


Digitized by the Internet Archive  
in 2011 with funding from  
University of Toronto

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIAE PATRUM,

XXXVI.



PATRES QUARTI ECCLESIAE SÆCULI.

*S. EPHRÆM.*

III.

PROSTAT INSUPER VENALE

*MONTIS PESSULANI,*

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

*PARISIIS,*

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE;

**SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,**

Rue des Saints-Pères, 16

---

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

# COLLECTIO

SELECTA

## SS. ECCLESIAE PATRUM,

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

RECURANTIBUS  
D. A. B. GAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI,

NONNULLISQUE OLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIAE PARIENSI ELOQUENTIAE  
SACRAE PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

*BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.*

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TRIGESIMUS SEXTUS.



PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.



M. DCCC. XXXV.



JUN 4 1937

9763





S. P. N. EPHRÆM

SYRI.

---

SERMONES SIVE TRACTATUS.

---

- CLASSIS I. — SERMONES IN SCRIPTURAM EXEGETICI.  
— II. — SERMONES DE SE IPSO.  
— III. — DE DOGMATE CONTRA GENTILES, SCRUTATORES, JUDEOS ET HÆRETICOS.

S. P. N. EPHRAEM

SYRUS

---

SERMONES SIVE TRACTATUS

---

- CLASSIS I. — SERMONES IN SCRIPTURIS EXPOSITI.  
II. — SERMONES DE CA. 1960.  
III. — DE DOCTRINA CONTRA GENTILES, SCILICET  
TALONES, JUDÆOS ET HÆRETICOS.

# S. P. N. EPHRÆM

SYRI.

IN SELECTA DIVINÆ SCRIPTURÆ LOCA:

---

CLASSIS I.

SERMONES IN SCRIPTURAM EXEGETICI.

---

SERMO I.

*In illud Genesis: Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*<sup>1</sup>.

I. Quicumque sitis sapientiam, et votis omnibus disciplinam desideras, age modo tibi fontem monstrabo perennem, ex editissimo loco scaturientem, ex ore summi Opificis. Aquæ sapientiæ vivæ sunt, et quatuor mundi regiones alluunt, magnam harum scatebram divina nobis munerata est bonitas, indeque funduntur fluvii, ultro citroque permeantes universum usque ad ultimas oras; primus Geon, rationis lumen; secundus Phison, vera cujusque rei intelligentia; tertius Tigris, rectum mentis intelligentis iudicium; et magnus Euphrates, ratiocinatio. Hæc porro ab illo fonte derivata flumina divisim alveis ad loca permeant sibi a supremo Artifice designata; manet autem illorum potestas, nec enim se invicem opprimunt. Animus Deo si-

<sup>1</sup> 1 Gen. 1, 27.

milis cœlum obtinet, caput; huic serviunt spirituales facultates, quibus subsidiatur phantasia: in corde velut in sua regia spatiatur animus; idem est suarum rector cogitationum, ipsique præcurrunt velut exploratores, notitia et ratiocinatio. Cogitationum sedes sunt renes, quibus congenita est objecta discernendi facultas, nisi quod verum a falso dijudicare, et internoscere pulchrum atque turpe, rationis officium est, atque conscientiæ. Intra pectus interponitur siparium summa ab ipsis discriminans, *Διάφραγμα* vocant, id est, septum, velut medium ostium sanctum a Sanctis Sanctorum disspescens, quod extra patet, sanctum exterius puta quod intra latet, Sanctum Sanctorum dices: « Cor hic locatum est, vitæ sedes, Arcam fœderis repræsentans. » Pulmones istud protegunt, Cherubim binas habentium alas imaginem referentes nec non aurei thuribuli, spirandi quippe officina pulmo est attrahens ac reddens spiritum, et odores hauriens; inde cordis constat vita, candelabrum hunc puta heptalychnion in templo positum, symbolum videlicet vitæ lux est. Pulmones nec potum, nec cibum admittunt. Hepar alimenti pater est, a quo reliqua membra nutriuntur.

II. Prostabat ante fores Tabernaculi Mare æneum; hujus usum repræsentat vesica urinæ receptaculum, in qua sordes deponunt, et purificantur octo facultates a natura corpori inditæ, genitiva videlicet, vegetativa, nutritiva, attractiva, coagulativa, solutiva, excretiva, et expulsiva. In meditullio corporis stomachus situs est, victimarum altare; ignis, quo ardet, nunquam extinguitur, idemque consumit hostias, et holocausta. In angulo exterioris atrii patebat spatium excipiendi hostiarum crematarum cineri destinatum, intestinum hoc est, purgamentorum receptaculum; huic adjunctus est lien crassioris sanguinis sedimenta continens. Columnas Tabernaculi puta, firmamenta corporis

crura; bases plantæ sunt, operimenta ternæ membranæ, quarum tenere locum totidem tabernaculi tegumenta cortinæ videlicet janthinæ, et coccinæ, pelles rubricatæ, et saga cilicina. Triplex porro illa cutis membra omnia circumvestit ad ipsorum custodiam, et firmitatem.

III. Cæterum non ego has aquas ex rivulo Commentationum mearum effudi, pauper cum ipse sim cujusvis potententi esculentive inops, quæ ergo audis, velut guttas e pelago, aut de situla stillas a sanctis viris emendicavi. Unus, qui fontem attingit, Moses fuit; hic sapientum princeps caput profluentis invenit, cunctisque gentibus, ac populis divitem scatebram patefecit, indeque sapientiam docti, indoctique hauserunt. Secus fluenta duo et viginti sata est arbor omnia fructuum genera proferens, ex ipsa ducti fuere surculi ad Syros et Persas, et usque ad oras orbis ultimas, universo generi humano victum de suis fructibus subministraturi. Græci porro supra cæteros in ejusmodi disciplina profecerunt; e Græcia quippe prodire insignes oratores, breves et pusilli verbis, sententiis ampli et grandes; his adjuncti sunt præstantissimi disputatores sophistæ, et grammatici, perpolitii, et elaborati sermonis studiosi. Accessere deinceps nobiles medici, quorum studium et opera fuit morbos curare, ac dignoscere corporum affectiones ac temperamenta, et herbarum virtutes exponere. Astronomiam alii professi sunt, scientiam oppido quam fallacem, et alii astrologiam, erroris robur et firmamentum. Hos inter excellere Porphyrius vir doctissimus, et magnus Plato omnium ore celebratus, Socrates item subtilissimi vir ingenii, et Hypococrates excellentissimus medicus, et celeberrimus Galenus. Omnes tamen doctrina et eruditione prævertit Aristoteles, cunctosque priores, atque posteriores antegressus est. Universam iste dialecticam paucis complexus est, atque philosophiam in

unum corpus absolutum ac perfectum digessit, et quod de sapientissimo Salomone Scriptura prodidit, perfecte implevit. « Nullus ante similis tui fuit, nec post te surrecturus » est <sup>1</sup>. »

IV. Agemodo quisquis animum ad apprehendendam sapientiam appulisti. Videris « Ne des somnum oculis tuis, et » palpebris dormitationem <sup>2</sup>, » nec enim tibi sapientia dabit otium citra laborem, et contentionem; desides illa non amat, nec complectitur inertes, nec accipit luxuriosos; pudicos enim et innocentes diligit. Dominus creavit sapientiam in principio creaturarum, et operum suorum, et per eam universum opificium suum molitus est. Ipsi sit gloria, et fiat misericordia ejus super nos semper.

## SERMO II.

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo qui comedit <sup>3</sup>.

I. Sublime elatus Adam, humi dejectus est. Principium ejus locus summus, imus novissima ejus. In paradiso invenit initium, exitum in sepulcro. Ante Evam conditus, corpus nactus est perfectum et integrum. Umbra deinde futurorum, costa ex illo decerpitur. Hæc Eva fuit; eadem casus occasio mox futura, quæve stantem Adæ murum labefactaret. Per Evam nempe decora et amabilis hominis gloria extincta est, quæ tamen rursus per Mariam resloruit; honor quippe Adæ, Evæque concessus primum, mox ademptus fuit. Quæ ipsius adjutorium futura fuisset, per-

<sup>1</sup> 3 Reg. iii, 12. — <sup>2</sup> Psal. cxxxii, 4. — <sup>3</sup> Gen. iii, 6.

nicies fuit; quæque conjugem sublevatura credebatur, profligavit. Sic virum sæmina subegit imbellis. Subjecta subjecit, fregitque infirma. Evæ suasit astus, ne fructum conjugum ante offerret, ut prior ipsa comederet, unde illo fieret major, ipsaque primum teneret locum, maritus secundum. Evæ Dominus etiam secreta ejus propalavit, quando suum illa sibi conjugem subdere cogitabat; ideo dixit: « Vir tuus tui dominabitur<sup>1</sup>. »

II. Cæterum ab Optimo neuter accusatus fuit, quod sua illos accusaret voluntas, et conscientia condemnaret. Sua illos dejecit superbia, sua illos concupiscentia profligit. Ipsa se libertas ad inopiam redegit inter divitias; in horto, deliciarum nempe domicilio, mente licet prædita intelligente, pulchræ tamen capta est arboris specie. Prævaricatio mandati homini mortem intulit, et adhuc mandatum contemnit. Diaboli seductus dolo, reus factus est, et illi adhuc obedit. Mundus deficit, nec tamen ejus defectum cognoscit; idem tamen explorat terras, ac maria, novitque naturas agrorum, et saporum, seminum, ac stirpium, compositionum et opificiorum. Quæcumque patent intelligit, investigat quæcumque latent. Jam si jumentum amiserit, amissum quærit, animam solummodo suam non quærit, cum mira sapienter excogitet: papæ ad caduca bona oppido quam callidus! quam tardus ad promissa! ad colligendas opes cum tempore transituras quam solers! quam promptus ad res inutiles! quam segnis et iners ad necessaria! Eidem prona sunt quæcumque ardua; aspera quæcumque planissima; res est plena laboris salus, citra laborem exitium, cum multæ sint mortis causæ. Quanquam neque salutis desunt homini præsidia, illum imprimis natura juvat, et sacra sustinet doctrina; Pater arma ministrat, Filius offert clypeum, et decertanti Spiritus adest.

<sup>1</sup> Gen. III, 16.

Sed enimvero nec leve negotium est peccare; obstant metuendus Judicum gladius, et Regis lex scelera vindicans statutis pœnis, terrentque divinitus inspiratæ Scripturæ, et libri Doctorum et horrendus gehennæ exagitat fremitus.

III. Nec vero scientia parvulus est, neque caligat ejus prudentia, et cognitionum ejus mensura parva non est, cum sit fons omnium artium, resque omnes conditas sibi subjecerit; tinca quidem est, quo parvus est; teredo est, quo infirmus, et locusta est, quo exiguus est. Papæ in horreo Regis iste vermiculus cuncta rodit!

IV. Si montes explorat, diripit flumina, et marium profunda penetrat, pervaditque sylvarum et specuum adyta. Arborum aperit sinus, radices rigat, quo fructus colligat; ubera vitis secat; blanditur et adulatur arvis, ipsorumque furatur opes. Imago Dei est in orbe nostro: cogit aquas, et ad ingentem altitudinem attollit supponens machinas quasi nubes, quo stum æmuletur Conditorem. Creandi potestatem arte supplevit, suffecitque nutui procreanti omnia, speculationem omnia machinantem, et disciplinam perficientem omnia. Quisnam proinde ejus numeret opes? Omnes colores invenit suis tincturis, texturisque suis omnes fatigat textrinas. Quot insuper, fuso metallo, vasa conflavit? Quotve, dolato marmore, sinit simulacra? Quisnam præterea compositionum ejus numerum describat, aut excogitata recenseat unguentorum genera, et condimentorum inventas species, illius proinde mensa paradisi Eden copia deliciarum adæquavit? Sed si quid de judicio, ac retributione legas, aut disputes, illico fatigatus deficit, et obrepente somno obruitur, somnium perinde putat quæcumque audit. Sique porro insistas, experrectus surgit, et lucra cogitat, supputatque pactos sœnoris terminos, totusque mens est, ne quod pecunia damnum sustineat. Manus ejus ad omnia porrigitur, domesticos jugum ejus



premit, externos servitium. Mercenarii facultas ipsi nequam satisfacit, urget exactores, ut desidem castigent. Loca omnia sunt illi propinqua, vicina sunt maria, ac terræ. Una ipsi Ecclesia velut in longinquo posita est. Si forte parvulum se mentiatur, illi ne credas, quo te fallat, simplicem se fingit. Quanquam illum Cognitor omnium redarguit mendacem. « Terræ, ait, cœlique faciem dijudicatis, et quandonam futurus est æstus, et quandonam pluvia casura sit, serenitatem quoque præsentis, signa autem temporum non potestis scire? » Restat aliud magis dolendum. Factorem factus contendit scientia antevertere, eundemque non secus ac res ab ipso creatas investigat, et auctori suo limites describit. Ambiit Adamus ex arbore eo evadere, unde suo Creatore minor non esset, posteri ex investigatione. Quale initium, talis et finis. Jam vero prope est in januis dies adventus Domini. Deus, qui Adæ misertus es, eique locum pœnitentiæ dedisti, aperi, quæso, ostium pœnitentiæ nostræ, qui es benedictus, dimittens peccata nostra, et nostros thesauros multiplicans.

V. Diabolus est, qui in eum nos provocat, qui pervestigabilis non est, est autem credibilis; etsi quidem ejus pulchritudo pervertigari potest, comprehendi certe non potest. Nos autem illum nobis ipsi pro nostra imbecillitate fingimus creaturis similem. Diabolus nempe posterorum Adæ mentes cæcavit, ne dolum indagarent, quem per serpentem orditus est, qui si, ubi fuit compositus, fuisset igne examinatus, ibidem vitium deprehensum fuisset. Enimvero si Eva illum serpentem, quem nec de nomine noverat, excussisset, intellexisset utique qualis esset, et quantum abesset ab illa scientia arcanorum arboris illius, quæ Angelos quidem latet, patet autem simplicibus. Scilicet cum rei cujusvis amor cor occupat, consilio et prudentiæ nullus

<sup>1</sup> Luc. vii, 54-56.

restat locus, sed quantum est, omne trahit præsens voluptas, unaque ubique animum fatigat cura explendæ libidinis.

VI. Quicumque tamen opinatur Adamum, si novisset malum esse comedere, ad arborem nunquam fuisse accessurum, justum iste Judicem accusat, et arguit iniquum fuisse ipsius judicium, qui peccatorem flagellavit, ac torisit. Sed libet percontari hunc Adami patronum, qui illum ex ignorantia peccasse asseverat, utrum ipse prudens unquam peccaverit? Ideo a semet ipse discet Adamum peccantem peccare se haudquaquam latuisse. Cæterum si pro vero assumitur neminem peccaturum, si nosset malum esse Numinis iram lacescere, verisimile pariter apparebit Adamum adhuc parvulum nescivisse se peccaturum, si comedisset; quanquam serpens ipse Adamum irrisit cum delinqueret, et postquam deliquit, justus Deus condemnavit. Ut porro nudatus nuditatem agnovit suam, cepitque fugam, et latibula quæsivit; ita culpæ prætendit excusationem. Adamo similes sumus, ut ille nobis: ergo sicut ille sceleri causas prætexuit, nos similiter præteximus. Prætexuit Cain; Achar prætexuit; Giezi prætexuit; prætexuit et Judas: laudandus Judex, qui nos condemnat.

VII. Eva gloria et honore decora noluit serpenti despecto et vili repugnare, quando et ejus dicta ambigua erant, et igne probanda, ipsamque videre erat multa luce nitentem, et illum misere abjectum. Mariam ergo miremur, quæ magnum Angelum interpellavit, nec expavit; sciscitata est, nec timuit. Eva nec sordidum serpentem pedibus carentem ausa est interrogare, quando puella Gabrieli restitit. Nec tamen interrogavit Maria, quo de Filio Dei vivi disquireret, de homine mortali quæsivit, quod nullum cognosceret. Maria sciscitata est de rebus, quæ illi Veridico plana fuissent. Admisit Eva ab hospite dicta ignoto, quæ

factu difficillima. Mater imprudens nostrarum miseriarum origo fuit; facta est prudentissima soror felicitatis nostræ thesaurus. Serpens, in quem inquirere oportuit, examinatus non fuit. Christum credere debemus, et nunc, ut video, excutimus et scrutamur.

VIII. Fratres filii Evæ, audiamus antiquæ matris casum, quem Maria tandem reparavit. Illa clausas mortis fauces aperuit, et obscuratas inferni fores patefecit, stravitque novam ad tumulum viam. Clarum est eam arboris speciem concupivisse, sicut hera Josephi formam amavit; altera nempè viam viri sui surripere voluit, altera arboris fructum. Sentit fur facinus suum; Eva tamen glorioso promisso a sensibus alienata, meretricia procacitate, scelus minime attendit, quidquod cum libido mentem eripuisset, nec serpentem interpellavit, ut quæreret. Quid tu hic? servus-ne, an liber de Cœlitibus unus? Brutum-ne animal, an Angelus? Nec enim video Superum quempiam talia narrare, nec aliquem ex ordine Seraphim, aut Cherubim ad nos cœlo delapsum. At tu quonam doctore didicisti scientiam omnium maximam, quam nec Inferi, nec Superi tenent. Profecto si est præter unum aliquis Deus, tuque legatus ejus es, tibi illum similem credere fas est, ex te ergo conjicere licebit eum esse oppido turpem. Porro si te cæteris antetulit, quo te munere distinxit, quandoquidem te suorum consiliorum consciùm fecit, idemque te ad nos allegavit? Vides-ne ut vilis iste Deus tuus testetur, quem colimus, verum esse Deum, qui non rogatus cuncta nobis largitus est. Quid, si ejus de arbore mandatum observaverimus, quanto putas majora dabit? Si ergo talis te misit Deus, apage te hinc, et ad illum reversus exprobra, quod, præteritis nobiles, servo se nostro adjunxerit, quodve sua consilia cum bestiarum cognato communicet. Scilicet bestiis, ut video, compares ambo estis, tu, et ille.

IX. Sed age, teque cum Adamo in eadem trutina appensum conferamus, si tamen fas est brutum cum homine componere. Næ tu ineptus sis, si jactas te illo antiquiorem: tuum te redarguit nomen, docetque eo te longe juniorem esse. Datum quippe fuit Adæ animantibus cæteris nomina imponere<sup>1</sup>, quo illis ætate major haberetur; nec enim nati parentibus imponunt nomina, appellationes namque a majoribus ad minores descendunt. Et quemadmodum Deus, ut qui sua existentia sempiterna cuncta præcessit, nomina rebus a se conditis dixit, sic extremo suo figmento, qui Adam fuit, dedit omnibus eo majorem fieri, quo omnibus nomina imponebat, ultimum nempe condidit, et primum constituit, ut ætate minor, major dignitate foret, et primi esto ante eum in seipsis extitissent, ex appellatione eodem recentiores evaderent. Et sane quamnam putas, frater, fuisse causam, ut Adam Evæ et animalibus solummodo nomen indiceret, omnesque præteriret cum paradiso cælestes terrenasque substantias. Scilicet nullum ab istis Adæ parabatur bellum, nec ullum in ipsis condebatur malum. Distinxit itaque Conditor cæteris ab ipso conditis rebus nomina, cessitque servo animalium nomenclaturam, quo meminisset Evæ se dedisse nomen, nomen item serpenti imposuisse, ne fallerent imprudentem. Quod si creaturæ Adamo priores ætatis prærogativa seducere molirentur, illas ex ipsarum nominibus redargueret, quæ quidem ab ejus sapientia se accepisse sciebant, ipsaque proinde nomenclatura quodammodo revixisse. Nati dum nomine carent, vita carentibus æquiparantur, pro mortuis habentur ad vocem et auditum; accepto nomine quodammodo viviscunt, loquentibus, vocantibus, audientibus, quibuscum convivere occipiunt.

X. Proh pudendum! Fœmina, quæ artificiorum ma-

<sup>1</sup> Gen. 11, 19, 20.

chinatrix est, quæ Salomonem sapientiæ caput vicit, a serpente superata fuit, qui sicubi callidus prædicatur, ibidem cum brutis componitur, et bestiarum dicitur cognatus. Profecto si illum alteruter protoplasterum increpisset, confestim inde dilapsus ab oculis se subduxisset, vel succubuisset falsi convictus, si adversus eum disputassent. Non illum increpuit, nec contra illum disceptavit Eva; serpenti aurem, oculum fructui applicuit; vocem opus secutum est.

XI. Quid si illud quæisivisset? « Quid rei hæc arbor est? facta-ne, an factas ipsa res fecit? Creatura putas-ne est, an sempiterna illa substantia rerum thesauros continens? Omnes porro creaturæ nihil dare possunt sine illo, qui omnia potest. »

XII. Sed nec mortem alias comminatum arbor illa potuit delinquentibus inferre tempore, quo deliquerunt eodem, unde ergo potens fieret ad conferendam comedentibus Divinitatem. Neque illa peccatores nudavit, sed Justus, qui peccatum animadvertit. Arborem porro ut cætera omnia a sempiterna illa natura conditam fuisse vel ipsa nomina a Deo, et Adamo illis indita suadebant; nec enim in his audiebatur nomen æternæ substantiæ, aut Numinis huic paris et coævi.

XIII. Nunc quærendum est, si ille Justus celavit nomina substantiarum ab æterno tempore existentium, eaque latere voluit, nec enim illa reticuit Justus, quod non libuerit, eorum notitiam in vulgus manare, quisnam ista prodiderit? Videamus an usquam occurrat nomen, quod arguat eas substantias ab omni æternitate extitisse? Adestis quicumque sapientia gloriamini, a Græcis nimirum fictas ejusmodi naturas ab omni ævo extantes didicistis; in Scripturis enim minime reperiuntur.

XIV. Veteratoris vox cita, confusa oratio, variat ad

momenta vultus : qui texit retia et laqueos tendit, huic de maleficio metus clamat, ejus mœchatur oculus, et intuitus furatur. Vide tamen, ut absque examine fidem præbuere decipienti, et mentienti assensum, dolosque obtendenti auscultarunt, nec signum postularunt, nec probationem, neque testimonia. Optimum contra mentiri putarunt, qui veracitatis suæ testes dubat decies mille. Terra, cælum, cunctaque horum ambitu contenta Conditoris præsentiam astruunt, prædicant beneficentiam, paradisi Eden imprimis profusam ejusdem liberalitatem laudat, qui cuncta donavit Adæ gratuito, etsi hunc postea minime puduerit illi præcipienti non parere.

XV. Invidit diabolus Adæ, excogitavitque modum, quo illum caperet, dona ferre se sinxit, captumque latro non fictus expoliavit. Spinās et vepres, sudorem et laborem, mœrorem et mortem, foliaque ignominiosæ nuditatis tegumenta specioso texuit munere; porrexitque petentibus pro pane lapidem, serpentem pro pisce, pro ovo scorpium. O execrandam cum suo munere manum! illa utique sinistra fuit, subversionis causa, fuitque manui simile, quod obtulit donum.

XVI. Ad noxam Adæ te demisisti innoxius, pro injuria gratiam retulisti, amplas de thesauris tuis opes, talibus ornatum donis hominem deduxisti ad benedictas regni delicias. Majestatem tuam terrenis passionibus subjecisti, quo nostram inopiam divitiis cœlestibus locupletares, et hunc in modum auctos Superis proximos efficeres. Porro si quis tacendo ingratus fiat, et impudens si audeat loqui, loquar ut beneficium fatear; tacebo, ne videar minus verecundus. At enim quæ lingua, quisve orator cloqui valeat beneficia, quæ omnem dicendi facultatem amplitudine et copia superant, sed enimvero cuinam liceat loqui? tacere quis valeat? neutrum ego nec silentium, nec ser-

monem probo. Psallam igitur quousque potero; silebo, ubi impotens factus ero: rursus prorsus cursabo, ut proficiam; quiescam, ut auxilium exorem.

XVII. Gremio corporis, quod quantum est, in ipso inhabitantem animum non capit, immiscuisti majestatem tuam. O rem mirandam, tuum de Maria conceptum! sicut enim per exiguum auris sinum intravit, et infudit se mors, ita in novam Mariæ aurem penetravit, fuditque se vita; et quemadmodum lignum mortem intulit, sic aliud lignum vitam revexit, ut per alterum mors vinceret, per alterum vita triumpharet. Henoch et Elias mysterii hujus præcessere typi. Mirabili raptu ambo in paradysum translati fuerunt, duo intrarunt, unde duo expulsi fuerant: gemini victores in paradysum invecti sunt, unde gemini victi excedere compulsi fuerant, ut geminos victos victores gemini condemnarent; sic natos parentum judices fieri placuit. Adam victus et ejectus est, quia conjugii obtemperavit; illi ambo vicerunt, et introducti sunt, quia honeste vixerunt, Elias insignis castitate, et Henoch sanctimonia. Armis, quibus victus est Adam, isti vicerunt; non damnatur a suis, qui victus est, armis, sed ab illo, qui eadem arma induit, et vicit. Elias in paradysum transvectus est, ut stultorum Judæorum arrogantiam solveret, nugantium hæreditatem Jerosolymis fore cernendam. Terra promissionis occulti paradysi imago est; quis autem sibi pro exemplari eligat exemplum, et pro veritate umbram? Circumcisi ut parvuli, terram fluentem lacte et melle suspirant, futuram sibi matrem, infantibus similes, nutricem expectant. Illos ergo adultos puta, qui illud viventium præstolantur pomarium, ubi surgit vitæ arbor, imago Filii Dei viventis; nec istud ruinæ obnoxium est, Jerosolyma qualis, quæ jamdiu deserta squalet.

XVIII. Superbia elatus Adam Dei ambivit similitudi-

nem, illius ambitus ab Elia reprehensus est, qui tametsi quasi alter Deus cœlum clausit et aperuit, non ideo tamen elevatum est cor ejus. Illi scilicet æquum est patere paradisi fores, qui quantum attollitur, tantum ipse se demittit. Ejectus est, qui altius quam oportebat se extulit; admissus est, qui humilem se ipse fecit. Id porro factum, non quod duo tantum reperti fuerint humilitatem amasse, nec paradiso cæteri exclusi, ideo repulsam passi sunt, quod nimium sibi placerent; sed Conditor rerum voluit in duabus personis admittendorum conditionem repræsentare. Henoch itaque, quoniam justitiam colebat, raptus est in paradysum, quo constaret sua Adamum culpa inde ejectum; sic uterque ejectus est, alter intra, extra paradysum alter. Cæterum ne quispiam objiceret, Dominum in prælio pugnassee, vicisse tamen, cum idem esset Deus, idem paradysum aperuit, admissi sunt homines duo, qui vicerunt, ne veritas vinceretur. Quisquis ignavus fuit, majori comparatus, pudore suffundi non potest; suffundi potest, si componatur pari, qui vicit, et coronatus est.

---

### SERMO III.

Et placuit Henoch Deo, et non apparuit, quia tulit eum.  
Dominus <sup>1</sup>.

Vidit Adamus Henocho patuisse paradysum, cædere se cœpit verbere compunctionis. Illius scilicet introitus ipsius exitum accusabat. Quanquam unde plagam, inde accepit medicinam. Henochi causa doluit, quo ille paradysum ingressus est; idem lenivit ejus dolorem, quo amissam

<sup>1</sup> 1 Gen. v, 24.



hereditatem recuperavit. Gavisus est generis nostri parens, quod etsi inde dejectus fuisset, suos tamen posteros deliciarum sedem jam tum tenere videret. Illa nimirum gratia, quæ sententiam resciderat, ne eo, quem dixerat, die reus moreretur, vitam eidem produxit, ut mœstum recrearet aspectu Henochi, redditum patrimonium adeuntis. Odoratus est gratiam Adamus, intellexit sibi quoque opera alterius Evæ introitum fore muniendum, nec porro penitus extinctam recuperandæ hæreditatis spem. Vidit descriptam in Henocho figuram Salvatoris paradisi fores aperientis, eoque revocantis exulem, olitoris typo, clavem interim apud se repositam celantis, gratiam. Ad illam scilicet vitæ arborem deduxere Henochum ambæ; justitia, ne interiret, gratia, ut in altiori honoris gradu locaretur. Jam si Henochus, qui vixit, sine ligno vitæ vivere non potuit, quisnam vivere possit sine vivente Filio, cujus fructu cuncta viviscunt, et vegetantur. Nemo mercedem pro merito potest accipere, nisi tribuente justitia; nemo potest accipere supra meritum, nisi tribuente gratia. At enim cujusnam meritum sit regno par, ut istud justo pretio accepisse dicatur, nec possidere gratis. Gutta est, quod exhibet justitia; reliquum supplet gratia. Justitiæ meritum ansam remuneratori præbet tribuendi pro parvo magnas et immensas opes; nec vero si accessionem facit, reprehenditur qui hunc in modum cuncta exauget et amplificat. Mortalis hominis labor brevis de longissimo satisfacit, quem laturus fuisset. Nam si vitam diutius protrahere licuisset, ad eundem modum labores pariter excurrissent. Justitia ergo est et gratia; justitiæ interest, in merito nunc deputari laborantibus, quod amplius laborassent, si diuturnior vita concessa fuisset; gratiæ interest, quod cum homo non fuerit operatus, in modico, quod operatus est, intelligitur quanta illi ex gratia accessio facta sit. Est ergo labor

operantis minimus, et maximus, minimus operis, maximus voluntatis in infinitum projectæ; exiguum est quod hominis virtus operari potest; multum est quod voluntas cupere potest; multum ergo promovet voluntas, parum opus. Cum ergo Remunerator non magna tribuit, laborem exiguum cum exigua mercede compensat, cumque modum in largiendo prætergreditur, id nimirum voluntati concedit.

---

#### SERMO IV.

*In illud Genesis* : Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit<sup>1</sup>.

Quæ duæ sæminæ innocentia et simplicitate floruerunt, Maria et Eva, altera salutis, altera nostræ mortis origo fuit. Age, rationes utriusque conferamus. Eva, ex quo simplicitatem a prudentia discrevit, plane desipuit; Maria sapienter prudentiam credidit esse salem, et condimentum simplicitatis. Enimvero non sapit simplicitas, quam non condit calliditas, nec calliditas spem salutis facit a simplicitate remota. Nullum crimen procul abest a simplicitate, et calliditatem pone sequitur omne flagitium. Id tamen verum ac certum habetote, fratres, si altera alteri societur, ambas evadere pulcherrimas atque ornatissimas. Calliditatem itaque simplicitas temperet, condiat calliditas simplicitatem: simplicitas sit prudens, simplex prudentia: nisi jungantur ambæ, displicent singulæ, quia altera iudicio caret, caret altera charitate: si vero concurrant, mutuo se ornant, et

<sup>1</sup> 1 Gen. iii, 6.

amplificant. Geminis illas corporis nostri manibus comparant parabolarum studiosi. Nam si alteram ab altera manum separas, ambas debilitas; si vero coërint, nullam huic potentiam in orbe parem invenias. Manuum siquidem opus est, subegisse terram et maria, æra liquasse, domuisse ferrum, valles æquasse, atque in ingentem sublimasse altitudinem, dissecuisse montes et complanasse. Duæ matres denas habent filias, exiguo quidem robore præditas, hoc tamen quantulocumque apparatu adversarios fregere potentissimos, sic parvas vires ingentia facta sequuntur. Paucas dices, si præsens numeres; plurimas credes, si absens opera supputes; pulcherrimas et venustissimas, si quas pingunt tabulas contempleris: cum libros scribunt, tacent et loquuntur, nudæ numeros induunt et calculos: pugillos cernis vacuos, quos tamen nec mundus suo impleat censu. Est illi affinis et socius, cognatus et gentilis, cujus historiam repetere operosum foret, hic ab illis excernitur, ipsis tamen totus velut immersus hæret. Idem illorum est legatus, pennas non habet, et devolat, revolat et alas non explicat, sine plumis per æra vehitur, commissa sibi arcana in sinu celat. Mussat, ne veniat ad aures vox. Porro nec ab illo in hac parte superatur alter illarum nuntius auris; in ea tamen, qua utitur, quiete, loqui absistit, cum unus sit ejus sermo silentium ipsi cognatum. Quanquam, qualis oculo vox est, talis et auri silentium, ambo scilicet ipsis extranea, omnia tamen audit oculus videns, omnia videt auris tacens. Oculum Evæ arboris perculit species, aurem pepulit veteratoris consilium, ambo hæsero fixa animo: absoluto opere, incessit dolor et pœnitentia. Aure vidit Maria illum absconditum, voce concepit in utero Virtutem ad corpus demissam. Inter hæc mors et diabolus, dum anxii se mutuo suspectant, invicem interrogant. Quid istud, quod pulsat aures, carmen? Angelos quippe audiebant hunc

de illo hymnum modulantes : « Hic est extinator mortis, et diaboli triumphator, gaudium Angelorum et hominum spes. » Hinc incessit trepidatio et metus, compulitque ad fugam ambos. Diabolus deserta petiit, sub terram subiit mors; incassum tamen, ille nimirum fugientes insecutus suis in latebris oppressit, in solitudinem penetravit, et diabolum in propria eremo debellavit, descendit in imos terræ sinus, et mortem in suis spelæis concidit. Hinc sublatis humanæ rei eversoribus, spes Infimis revixit et aucta Summis lætitia. Tum vero cælo delapsi Vigiles terrigenis læta omnia nuntiarunt, eorumque cumularunt gaudium. Cæterum lumen oculo receptum sua illum præsentia tergit et illustrat, ejusque pulchritudinem ac venustatem proprio fulgore exauget et ornat. Maria oculus fuit, lux habitavit in illa, suoque Numine ipsius mentem extersit, purificavit phantasiam, cogitationes mundavit, et defæcavit virginitatem. Rursus si fluvius, in quo baptizatus fuit, illum mystice iterum concepit, et mollis aquarum uterus purissime partiurit, sancteque peperit et extulit gloriose, agnoscas in puro fluminis alvo filiam hominis, quæ sine viro concepit, et peperit sine semine, atque ex gratia gratiæ Dominum educavit. In flumine paruit Sol Oriens, fulgur in sepulcro, in summitate montis resplenduit, et refulsit in utero; cum elevaretur et ascenderet, sua luce coruscavit. Blæsus Moyses in extrema et aperta corporis parte illustratus, extrorsum splenduit: fluvius, in quo baptizatus fuit, intromisso lumine, claruit. Corpus item, in quo habitavit introrsum, recepta luce, perfusum fuit, nec qualem accepit Moyses in summa cute hærentem. At si talem, ac tantum Moyses ex levi divini Solis irradiatione hausit splendorem, qualem et quantum cepisse putas corpus, in quo ibidem habitavit, vel qua lotus est, profluentem. Cæterum si blæsus Moyses tentorium ingressus, inde tenebras sua præsentia dissipa-

bat, eo quod ejus ex ore micantes radii, quæcumque peteret loca, illustraret. Beatorum relege, velut in imagine, prærogativam; adeo nec illis opus erit aliunde mutuare lucem; emicans quippe ex oculis fulgor et clarissimum, quo circumvestiuntur, gloriæ lumen, hanc abunde sufficient. Quocirca sicut sol a nullo alio sydere sæneratur lumen ut tenebras discutiat, nec enim indiget lucerna, qui lucis est fons: tales et Justi erunt, propriaque splendebunt luce, quæ illis circumfusa dabit amictum et ornatum. Ipsi ergo sibi vicem supplebunt syderum, et operam præstabunt. Eodem porro mundi supremo die occurrent mali omni lube polluti, omnique dedecore maculati, sibi que ipsi tenebras parient et cruciatus, eum ferme in modum, quo ex ægrotante ad correptionem corpore oriuntur febrilis æstus, et multi dolores, cami videlicet et frena laborantibus injecta ad cohibendam illorum insaniam, seu virgæ expeditæ ad vindicanda eorundem crimina. Optime, qui nobis solem per diem, et per noctem lunam et stellas in remedium tenebrarum providisti, tuo nobis, precor, munere luceat consolationis tuæ lux. Confitemini, fratres, Creatori lucis, et in hoc spectabili lumine supercælestium syderum agnoscite imaginem, et laudate Opificem, qui in visibili luce, lucem invisibilem Salvatoris nostri spectabilem nobis fecit. Illumina, quæso, præceptis tuis vocem dicentis, et aures audientis: oculorum nempe geminæ sunt aures, hisque lucis officium vox præstat. Agenesis cum oculo debeat corpus, suis bene compactum partibus, suorum organorum nitorem, decorem actuum suorum, reliquorum sensuum ornatum, membrorumque venustatem: manifestum est Mariam fuisse ejus syderis januam, cujus præsentia spes nostra revixit, quando per illam mundum, ejusque habitatores revisit lux, quam expulerat Eva omnium origo malorum. Et si mysterium utriusque nosce cupis, cogita

corpus geminis præditum oculis, quorum alter casu occæcatus lumen amisit; mira nitet alter luce, quam rebus omnibus etiam communicat. Mundum jam respicito, duos hic oculos nactus est; Eva fuit oculus sinister place cæcus, dexter ex adverso nitidissimus Maria, ut lævo oculo lux occidit, simul universo orbi incubuit nox. Cum ergo homines cæco errore viam pertentarent, quodvis incideret offendiculum, crediderunt esse Deum, et falsi verique nomina confuderunt. Postquam vero iis, qui hactenus per noctem erraverant, illuxit dies per oculum dexterum a cælesti luce, quæ in ejus sinu habitabat, resipuerunt, et damnarunt errorem, agnoveruntque salutis suæ perditionem fuisse proprii capitis adinventiones.

---

## SERMO V.

Luc orta est justis, et rectis corde lætitia <sup>1</sup>.

Lux, quæ diem Justis attulit et rectis corde lætitiâ, fuit Dominus noster Jesus Christus, qui e sinu Patris nobis illuxit. Inde ad nos digressus « Vocavit nos de tenebris in » admirabile lumen suum <sup>2</sup>. » Illo aperiente se die, simul occidit noctis imperium, et obtensa nostris oculis nubes continuo discussa est, ejus lumine nobis ministrante lumen. Ipsius fulgor terræ pervasit viscera, et in abditissimos usque recessus penetravit. Mors extincta est, diffugere tenebræ, et inferni portæ contritæ sunt. Dispulit noctem, quæ mundum hactenus universum obvolverat. Mortui, qui in pulvere jacuerant, surrexere, et de dato Salvatore egere gratias. Postquam salutis nostræ opus peregit, ad summum

<sup>1</sup> Psal. xcvi, 11. — <sup>2</sup> Petr. ii, 9.

Patrem suum conscendit, inde magna cum gloria et majestate rediturus. Eia agite, nostras accendamus lampades, lætique venienti occurramus. Lætetur in eo, sicut ipse in nobis; idem namque sua nos decora luce lætificat. Ipsius magnificentiam prædicemus universi, et excelso ejusdem Genitori ingentibus nos obstrictos beneficiis fateamur. Hic enim propter magnam misericordiam suam, cum ad nos allegavit, qui spem nostram erexit, et salutem aperuit. Supremo eo die, quo derepente apparebit, et in ejus occursum Sancti prodibunt, illi scilicet omnes, qui in eo laboraverunt, ut paratos inveniret, lætabuntur Angeli, et cælestes Vigiles in gloria Sanctorum, et ipsis adeptam felicitatem gratulantes, eorumque capitibus imponentes coronas, simul omnes uno concentu jubilabunt et laudabunt. Ehodum, fratres, date operam, adeste læto animo, nostrum Regem ac Salvatorem cum gloria et majestate venturum, nosque jucundissima regni sui luce exhilaraturum, magnificemus.

---

## SERMO VI.

Pone, Domine, custodem ori meo, et custodem labiis meis <sup>1</sup>.

I. Ad orationem, fratres, continenter paratos nos esse oportet. Res oppido magna est oratio, quæ orantes intro-mittit ad Deum. Cum ad colloquium Dei, charitate comite, ascendit, cæli fores panduntur, ingressum nemo disturbat, non illam Angeli prohibent, non Seraphim morantur, quin cum lubet, Deum adeat, et quæ petit, impetret. Orationem

<sup>1</sup> Psal. cxi, 5.

nemo non amet, nemo non jungat cum illa laborem dierum, et noctium vigiliis, oratio orantem non deserat. Oratio Jonam a pisce haustum medio e pelago extraxit. Oratio Daniellem bestiis objectum in ipso lacu præstitit incolumem, juvenesque Azariæ socios in mediis flammis servavit illæsos. Ubicumque pugnavit, vicit; a Deo quæcumque petit, consequitur; beneficia vero, quæ impetrat, suam amanti-bus consuetudinem dispensat. Ipsius Dominum delectat ab illa rogari, eique jucundum est precantem audire, quin et jubentem, jussaque exequitur, quæcumque suggessit exultans fiducia et certa spes. Prophetæ orationem considera: astat ante Deum, confidenterque loquitur, nec veretur dicere: « Domine Deus meus, custodi me quasi pupillam oculi, et in habitaculis tuis et sub alis tuis eripiar a temptationibus. Dominator orbis, summa atque ima tenens, oro te, custodi me quasi pupillam mihi in meis oculis repositam. Exaudi, Deus, omnes sperantes in te, et quasi pupillam oculi tuere ac protege. » Geminas natura dedit oculo palpebras, quæ ab illo, quo totum illuminatur corpus, injuriam propulsent; binas fixit pupillæ fores, eandemque jussit intra oculum se abdere quasi verecundam intra cubiculum virginem, aut dilectam intra thalamum sponsam: duo scilicet ostia opposuit, quæ sponse se aperirent et clauderent, lucem reciperent, et noxias pulsationes arcerent. Palpebris nempe illam vestivit et sepsit, et adversus incidentia objecta munivit, ut istis aditum obstruerent et suam pupillæ claritatem a quavis turbatione præstarent immunem. Quocirca Prophetæ anxius enixe precabatur et clamabat: « Domine Deus meus, custodi me ut pupillam oculi: oculum contine, ne furtivo capiatur aspectu, et aurem obstrue, ne pravis intentat colloquiis, labiaque et linguam custodi, ne mentem pervertant, pertrahantque voluntatem ad nefaria perpetranda. » Adulter est oculus, si minus caste aspiciat;



scortatur auris, si inhonestis sermonibus attendat. Cum oculus videt, et concupiscit quod suum non est, Deo mechatur, seque suis cogitationibus incestat. Oculus corpori inditus fuit, ut opera Dei aspiceret, et admiraretur, suamque admirationem ad animum transmitteret. Similiter auris, dum obscænis cantionibus et impuris carminibus se præbet, infami stupro violatur, ipsi pudicitiam eripuit, qui eam tenet, et delectat sonus et cantus. Aurem divinus Opifex homini accommodavit velut disciplinæ organum, per quod sacram doctrinam exciperet et in animum transfunderet. Eapropter orationi continenter insistito, et in vota precesque ne cesses. Custodes imprimis postula, qui tuorum membrorum ostia defendant, septem supra septuaginta tuo in corpore panduntur portæ, hastu diligenter custodi, instant quippe latrones, et aditum explorant, quo pulchritudinem animæ tuæ extinguant. Prospice ne mors fenestras tuas occupet, et in ædes invadat, hisque in potestatem reductis dilectæ Deo imaginis, ad quam conditus es, formam corrumpat. Spiritus sancti signaculo obsignantur tui capitis ostia, sigillum unctionis cunctis tui corporis membris impressum est. Suam te epistolam scripsit Rex, appressisque sigillis igneis, clausit; vide ne illam legant extranei, ejusque characteres corrumpant: cave ne Regis sigillum rescindas; si feceris, continuo tibi latrones incumbent: vide ne hujus impressionem oblitteres, alioquin a sicariis oppressus occumbes. Quod intra te est, hoc tuum esse puta, quod enim extra te est, tuum certe non est; intra te Deus, diabolus extra te.

II. Vidit in Apocalypsi sua Joannes librum magnum et admirabilem, a Deo scriptum et septem sigillis munitum<sup>1</sup>; qui scriptum legeret nullus erat, arcanum Superis atque Inferis impenetrabile solus norat, qui scripserat obsigna-

<sup>1</sup> Apoc. v, 1 et seqq.

veratque Filius Dei; nec enim oculis videre licuit, nec auribus percipere, aut mentibus cogitatione comprehendere, quæ animæ scripsit bona Deus; regnum nimirum in anima scripsit, scriptumque in eadem pro arrha reposuit, quousque adveniat regni hæres Filius Dei, atque animam in nuptialem thalamum introducat. Veniet autem in gloria sua, et congregabuntur ante eum omnes gentes. Tum vero Virgines prudentes paratæ exhibunt in occursum ejus, illæ videlicet, quas sibi idem despondit, ipsisque arrham conscripsit. Exultabunt utique intuentes adventantem Sponsum, ipsasque ad nuptiarum epulum invitantem. Nam quæ datam servavere fidem, thalamum intrabunt; quæ autem virginitatis signacula resciderunt, in tenebras exteriores compingentur, sponsoque cogentur redhibere arrham ab illo traditam, iis firmatam verbis: «Regnum Dei intra vos est<sup>1</sup>.» Quod quidem tibi perinde dictum accipe, quatenus enim Dei Filius intra te est; sequitur intimum esse tibi etiam regnum ejus. Euge peccator, cœli gazæ in tua conduntur anima. Si vis regnum Dei, hoc intra te est, ergo in te ipse descende, illudque intra te quærato, quæsitum non multo labore reperies. Vide ne post mollioris vitæ oblectamenta, commodaque vageris, corruptæque naturæ cupiditates cohibeto. Cave ne te immoderata habendi cupido transversum rapiat. Fuge hominum societatem, et secessum tibi apud te ipsum quære. Morare tecum in olio tranquillæ mentis. Satage ut tibi regnum obtineas, sicut nos noster Salvator admonet; quod si assequi nec dum concessum est, voca illud verbis, quæ idem nos docuit: «Pater noster,» adveniat regnum tuum<sup>2</sup>.» Adveniet utique, si vocaveris; quanquam idem intra te est, quod enim extra te est, regnum non est. Intra te est regnum, extra te gehenna, atque mors, hujusque janua peccatum. Culpa pe-

<sup>1</sup> Luc. xvii, 21. — <sup>2</sup> Matth. vi, 9, 10, et Luc. xi, 2.

rinde ut pœna procul a te absunt, cave ne exeas ad externos, ne in simile exitium transversus incurras, neve ad alienos ingrediaris, ne in sicarios incidas et percas. Ostia corporis tui obstruito, ne latrones ædes ingressi te capiant, et ferreis vinculis constrictum, in tenebricosum carcerem conjiciant. Membrorum tuorum fores claudito, ne forte qui tuæ libertati insidiantur, in captivitatem abducant, et e regno pulsum secum in gehennam rapiant. Animum ad te ipsum revoca, et in corde tuo, ut dixi, habita, ibidem habitat Deus; nec enim ille a te recedit, ut tu ab illo. Quocirca iterum moneo, ut cum magno affectu, et cordis gemitu ac devotione Deum depreceris: corporis tui portas ut custodiat ora, pete tibi oculorum custodem, ne quæ concupiscentiam inflammare solent, aspicias, indeque conceptam flammam oculus cordi communicet et regnum eripiat. Custodem pariter auribus exora, inhonestis allocutionibus obsistentem, ne fores nactus apertas flagitiosus sermo, continuo pervertat mentem, avertatque a Domino voluntatem. Iterum orando contendito, ut labiis orique similem custodiam impetres, ne obscœna dicere assuescant, indeque ad turpia facta delabantur. Postremum cordi tuisque sensibus provide, ne suo destituantur custode; alioquin si pravæ libidines animum semel invaserint, nullam in illo honestæ vitæ partem relinquent. Cum voluntas adhæserit summo bono, bonis affluet omnibus, fitque vitæ fons; nam ex quo a Deo deflexit, in scatebram deformata est, unde mala omnia fluxerunt. Dei habitaculum est cor, lictore indiget, infestam arcente turbam, qua intrante, Deus confestim inde recedit. Ego vero vehementer miror, fratres, et obstupesco, charissimi, miraculum, quod nec Cœlites mente assequuntur, nedum nos infimi verbis explicare sufficimus: summam videlicet illam naturam ab omni utique intelligentia remotissimam humanum subire cor, atque in eodem

domicilium fixisse adeo ut qui Seraphim latet, nobis nostro occurrat in corde. Enimvero tametsi quanta est orbis terræ moles, pedes ejus non sustinet, puro tamen corde gestatur. Cœlorum spatia pugillum ejus non implent, cor tamen etiam templum sufficit; sua cœlos comprehendenti manu, capacem præbet locum vix pedis unius capedo; cumque idem se pro sua voluntate collatat, amplissima hæc rerum universitas præsentem nec capit, nec in angustiam adducit, nec tamen cor istuc exiguum illius immensitati breve aut angustum est. Exiguum nempe locum postulat ab homine sibi Deus, quem cum intraverit, simul suum efficit templum, ibidemque moratur et habitat. Anima quippe illius templum est, et sacrosanctum altare cor. Hic suam explicat majestatem; hic illi sacrificatur; sacerdos Spiritus sanctus præsens sacrum peragit ministerium. At tu cave, ne huc insiliat peccatum, et hinc suo fœtore Spiritum sanctum expellat. Cum ergo factus sis divinum templum, pudeat hujus curatricem habere luxuriam, exædificatum est cor tuum in altare sanctitatis, et adhuc sustines huic incubare impudicitiam. Spiritus sanctus sacris in te fungitur ministeriis, pateris tamen tua cum illo habitare vitia, miscerique cum suavissimo odore sacrorum graveolentes intemperantiæ anhelitus. Hoc ergo curabis, ne sub tectum tuum subrepat luxuria, Deique templo injuriam faciat, nevé ulla tibi adhæreat fœditas, ob quam sanctum altare vilescat, aut ullum huc se infundat peccatum, illoque admissio, Spiritus sanctus pulsus abscedat. Paulus, in quo Christus loquebatur, cum dolore et lacrymis dicebat: « An nescitis, » fratres, quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, dis- » perdet illum Deus<sup>1</sup>; » animam nempe suam Dei templum appellat, quam impudicitia profanari affirmat. Animam

<sup>1</sup> 1 Cor. III, 16, 17.

ergo tuam tuere diligentissime, quoniam facta est templum Dei : pie sancteque serva cor tuum, quia factum est altare sanctitatis. Orando satage, ut excubitores habeas ante vivum Dei templum, indeque omne profanum ac immundum procul abstineant, ne contristetur Spiritus sanctus. Theaurum in corde tenes. Ganem pervigilem habeto, ante fores perpetuo excubantem, cave sollicitus ne improvisus fur spoliet domum, tibi que tua scelerati homines surripiant. Itaque cum tua quæque cures, salutem animæ tuæ negliges, ut nec illi custodem vel rogando procures? Unde fit ut immundi spiritus, furesque nequissimi inopinantem præoccupent, ejusque bona prædentur. Substantiam scilicet non tuam sollicite defendis, animam patrimonium tuum contemnis. Quidquod pacta etiam mercede vinetis, olivetis et segetibus custodes conducuntur, sola Dei hæreditas sine custode relinquitur, adeo nullus est, qui de ejus salute laboret. Res suas omnes curant, et conservare student; si autem quis animam suam rem utique Deo charissimam maligni spiritus depeculentur, et opprimant, non idcirco dolet et clamat : « O me perditum ! » Pretiosis, quas possides, vestibus pulverem decutis, eis que a tineæ caves; peccatum vero, teredinem arrodentem animam nequaquam removes. Infestum reptile scrutaris in tunica et pallio, indeque abigis, cor interiù vitiis sepultum cernis, nec ea exterminare cogitas. Cum capitis tui comam vermibus liberare satagas, ostia nihilominus septem in illo aperta negligis, paterisque per ea latrones ultro citroque commeare. Collapsam domum reædificas et stabilitatem atque firmitudinem ædificii diligenter curas; tua modo anima multis faliscit rimis, ut unam et alteram obstruas, non curas. Si cubi perfossam domum deprehendas, foramen continuo obturas, mirum sane te animæ tuæ peccatorum tineæ labe factæ hactenus minime prospexisse, neque portam clau-

sisse, qua data irruit diabolus, tibi que mentem et intelligentiam eripuit. Hinc porro fit ut unusquisque temere seratur et erret, quo effrenata cupiditas abripuit, adeo ut idem, quem tantopere sollicitat cura bouum, et ovium, atque jumentorum, minime laboreat, quomodo suam a peccatis conscientiam custodiat; et idem, qui ne fures domum infestent, magnopere cavet, tametsi grassatores illius animam jam obtineant, horum tamen ingressum adhuc ignoret, nec intelligat, quæ ejus vecordia est, eosdem in ejus exitium incumbere, ipsumque a Deo creatore suo jam abduxisse. Habes ergo, ut prius dicta resumam, qui dat operam, ne vestes abrodat tinea, peccata tamen et vitia teredine longe nocentiora consecatur. Habes iterum qui defossa humo, ne rapiatur, aurum recondit, nec tamen dolet mentem sibi luxuria ereptam, et infamium muliercularum se evasisse ludibrium. Rursus, qui etsi lutum ex cœnoso vado forte sibi allitum continuo detergat, et eluat, omnibus tamen obsitus vitiiis exultat, nedum ea removeat; qui perinde non sustineat aspersum pallio pulverem, animam tamen suam palitur suam de graveolente cloaca redeuntem referre. Similiter, qui lavat corpus, et accuratissime incidentes emaculat labes, ut ad speciem formosus appareat et pulcher, propriæ tamen animæ superaggeratas sordes corradere recusat. Sunt præterea, qui odoratis unguentis cutem imbuunt, ut bene oleant; interea vero minime sentiunt, qualem factorem ipsorum peccata spirent, cadaveris nimirum humi jacentis putrefactique putore tetriorem. Profecto aliunde odorem non quærent, nisi iidem de proprio sceterent: scilicet postquam peccatum suo illos afflavit putore, hunc suave olentibus speciebus corrigere nituntur. Concede nobis, Domine, sapientiam et insuper adde ac tribue intelligentiam; tribue nobis, Domine, tibi bonum spirare odorem, thuris, ac thymiamatum suffitu

suaviorem, item amare te, et mundum odisse, ut pro caducis bonis possideamus te. Domine, da, quæso, nobis lacrymas, hostias electas offerre tibi: Domine, da, quæso, custodire tibi tria suavia incensa: Domine, da, quæso, accendere tibi tres splendentes lampadas, mentem, animam et carnem; tria Trinitati reddere, mentem Patri, animam Filio, carnem Spiritui sancto, qui et illam de pulvere repetet, ac renovabit. Pater, nobis sanctifica mentem nostram; Fili, nobis animam nostram sanctifica; Spiritus sancte, sanctifica carnem infirmam, ejusque sordes absterge. Da nobis, Domine, ut lætemur in te, tuque læteris in nobis in die novissimo. Mens, anima, caro laudent te, tuque misere nostri.

---

## SERMO VII.

Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ  
inclina aurem tuam<sup>1</sup>.

Gestienti sapientiam indito, quæso, Deus, disciplinam, tuoque in regno magnifica præceptorem probe docentem. Qui amat sapientiam sapientior fiet; et cui torpor et otium voluptas est, nullus esse potest profectus. Age obtine diligentiam, magnum scientiarum thesaurum, fugito negligentiam omnis corruptionis promptuarium. Libros assidue evolvito, ut inde haurias rerum cognitionem et scientiam. Gulæ vitium abigito, ne quæcumque adeptus fueris, perdas. Dei amicos tibi perinde amicos asciscito. Ebrietati ac intemperantiæ deditos homines nec in itinere socios admittas. Dei metum tibi eligito, initium sapientiæ; et pa-

<sup>1</sup> Prov. v, 1.

rentes honora, quoniam illorum oratio ipsa te custodit. Aurum posside in mensura, sine mensura sapientiam, ut cum incubuerit tribulatio, quietem et consolationem invenias. Aurum et argentum si possideris, ne te efferas, neve tibi nimium placeas, sed in omnibus moribus tuis modum et modestiam sapienter observa. Esto in pueritia tua humilis, ut in senectute sublimeris. Bonos habitus comparare tibi stude, ut beatam ac tranquillam vitam agas. Hæc discere quisquis amat sapientiam et persequere: inde tibi, parentibus et majoribus tuis gaudium et lætitiâ parabis. Si quando senioribus assidere contingat, vide ne ad loquendum festines; sed sile, donec rogeris, rogatus responde, submisse tamen. Quæ loqueris, prudenter considera, ut quisque te audit loquentem, parentibus gratuletur tuis, et præceptoribus tuis bene precetur. Cuique rei tempus præfinito, ut ordinate agas, cibo, potui, locutioni, orationi et lectioni. Animam tuam bonorum operum viatico instruere satagito, dum vacat præparandi viatici tempus, ne postquam hinc decesseris, illic egeas. Contine os tuum a juramentis, blasphemis et maledictis; quin linguam piorum hymnorum suavi modulationi assuescito. Parce, puer, adolescentiæ tuæ, ne cibus ignis aliquando fias, et ægritudinis tempus recogita ac senectutem, celeri pede te insequentem. « Melior est sapientia quam arma<sup>1</sup>, » et disciplina quam pecunia<sup>2</sup>, et melior est puer sapiens » rege sene et stulto<sup>3</sup>. » Quære, puer, sapientiam, et ordinem in actis tuis observa, ut in hoc sæculo proficias, et in futuro regnum assequaris. Majoribus honorem habeto, et senum consuetudinem diligito, eorumque pedibus assideto; verba fac attendas et intelligas. Disciplina est altera lux, præstat forma et nitentibus oculis: hanc deperito puer, unde tibi laus apud audientes et familiares tuos emanabit

<sup>1</sup> Eccl. ix, 18. — <sup>2</sup> Eccli. xxx, 15. — <sup>3</sup> Eccl. iv, 13.



maxima. Coronam fabricat sapientia, quam diligentium se capiti imponet, postquam de stercore ad regnum illos pro-  
 vexerit, et collocaverit in throno. Mensam crede tuam  
 libros, et inde omnem hauries voluptatem, illos puta tuæ  
 stratum quietis, ubi dulcissimum somnum capies. Impro-  
 borum societatem fuge, et post mendaces ne abeas, neve  
 invidos imitere, et cum petulantibus noli nugari. Nimiam  
 confidentiam cave, ne amicis tuis despectus fias. Cape con-  
 silium a sapientibus, et parentum tuorum mandata cus-  
 todi; nec unquam jurabis, aut mentiaris adversus homi-  
 nem, qui in te peccaverit. Si te cuipiam sociaveris, vide  
 ne pecuniam appetas. Proximis tuis, quod tibi, bonum  
 opta et facito, ut bona tibi precentur. Actuum tuorum lux  
 sit veracitas, sic sic, et non non, sit sermo tuus, ut ab om-  
 nibus dicto tuo habeatur fides: veri sint sermones tui, ut  
 super omnes homines diligaris, et absentes ac præsentis  
 vitam tibi optent diuturnam. Bona facito quot et quanta  
 poteris domesticis et extraneis; et bonis verbis alloquere  
 probos et improbos. Spera in Domino, et custodi viam  
 ejus, et incede in omnibus mandatis ejus, et homini noli  
 confidere, quia derepente exarescet, quasi non esset; uni  
 Deo constanter confidito, quia qui confidunt in illo, in  
 utroque sæculo beati. «Mundus transit, sicut scriptum est,  
 » et judicium stat <sup>1</sup>, » sicut definitum est. Memento puer,  
 ne delinquas, et si deliqueris, ad pœnitentiam festina: as-  
 suesce os tuum laudi, et decoræ mentis jubilationi: jura-  
 mentum et mendacium fuge; diabolus enim in his lætatur.  
 Redde Deo beneficiorum, quæ accepisti, confessionem,  
 vigiliis, jejunium et orationem; psallat lingua modos ju-  
 cundæ laudis. Jejunium quadraginta dierum observa, et  
 esurienti tribue panem tuum, et per diem septies ora, sicut  
 a filio Jesse doctus es. Bonam voluntatem posside tibi su-

<sup>1</sup> 1 Cor. vii, 31.

per omnes divitias, quoniam nihil est in rebus præstantius. Ista lege, qui cupis disciplinam, et verba, quæ os tuum pronuntiat, expende. Diligito bona, ut deliciis affluas; quæ proferunt labia tua, diligenter attende, et quasi sapiens versare in cunctis sæculi negotiis. Cogita introitum tuum in hunc mundum, exitum pariter ab illo, quoniam e nihilo factus es homo, et de repente nihil eris. Recole multos, qui fuerunt ante te, reges magni et fortes, et considera eos ab hoc mundo migrasse, teque pariter hinc migraturum. Adhortanti ad pœnitentiam obedi, si peccator es, et si justus es, cave ne pecces. Auditio judicii mala ac terribilis est, peccatum fugiat unusquisque; videat ne curis hujus mundi implicetur, ne post contingat hæreditate ignis tormentum. Domini tui majestatem admirare semper, ipsi gratias age incessanter, et lauda illum assidue. Nam si universum mundum lucreris, hic a morte non liberabit te. Trinitas nos adjuvet, ut ejus voluntatem faciamus, et ab eo, quod operantibus iniquitatem reservatur, judicio eripiamur.

## SERMO VIII.

Cuncta vanitas, et afflicto spiritus <sup>1</sup>.

Propheta clamat: « Homo vapori similis est, ejusque vitæ » spatia velut umbra fluunt et elabuntur <sup>2</sup>. » Vos autem, « Filii hominum, usquequo diligitis vanitatem, et quæritis » mendacium <sup>3</sup>. Præterit enim figura hujus mundi <sup>4</sup>, » nos admonet Apostolus. Tempestas tempestatem trudit, ætas ætati succedit, et expirat. Anni, menses, et dies mundum

<sup>1</sup> Eccl. 1, 14. — <sup>2</sup> Psal. cxliii, 4. — <sup>3</sup> Id. iv, 3. — <sup>4</sup> 1 Cor. vii, 31.

in transitu esse prædicant. Quisquis mundum intrat, quo inde egrediatur, intendit iter. Quisquis utero concipitur, sepulcrum petit, ibi mansurus. Alter dum nascitur, in mundo victurus, jam inde migravit alter. Dum ille divitias congregat et recondit, iste reliquit et discessit. Aspice ut opes ab altera in alteram familiam transferuntur, utque subit egestas alteram ex altera domum. « Vanitas vanitatum et omnia vanitas <sup>1</sup>, » sicut scriptum est. Mundus rotæ similis est, motibus rapit suis tempestates ac tempora. Illius mala vanitas et bona nihil, nec mala mala sunt, nec bona sunt bona. Cum obvenerit copia, illico succedit inopia; cum intraverit, constiteritque tantisper voluptas, transit, et subeunt dolores. Qui hodie lætatur, plorabit eras et mœrebit. Qui modo nuptiali epulo assidet, gestitque præsentia uxoris adolescentiæ suæ, casu intervenit mors, et conjuges dividit, et major gaudio præsentis sequens dolor superstitem obruit. Splendidis ille nitet vestibus, et pretioso amictu superbit, sua hic quoque brevi exuet ornamenta, et ista somnium fuisse sepulcro exceptus discet, araneorum telis mox operiendus. Nec aliud cogitabit iste, qui superbam domum ædificat, et per ampla spatiat atria, quando supremus illum opprimet dies, et ægrum prosternet, abjicietque in lectulum, ac tandem extinguet. Continuo funeris curatores manus ejus, pedesque constringunt, obstruunt os, oculos obnubunt, suisque cogunt excedere ædibus; nec dieculæ mora in propria domo domino conceditur; sed inde confestim elatus, subit sepulcrum ibi relinquendus. Talis erit vitæ illius exitus, « Vanitas utique, et afflictio spiritus <sup>2</sup>. » Velut somnium avolarunt dies ejus, fuitque quasi non fuisset. Alius quispiam præfecturam adeptus est, indeque altos spiritus ducit ætinet; cæteros opprimit, ac fraudibus dolisque captos

<sup>1</sup> Eccl. 1, 2. — <sup>2</sup> Id, iv, 16.


spoliat, et iniqua præda proprias implet ædes. Sed cum venerit vitæ finis, hoc omne in cineres rediget; fuerunt nempe divitiæ ejus « Vanitas et afflictio spiritus. » Mundus noctis imago est, ejusque operationes somnia sunt, quibus demersus animus, deceptus errat. Ut nox per falsas imagines trahit dormientem, sic vigilantem suis mundus promissis capit. Ut somnus spectris et vanis visionibus hominem ludificat, sic mundus jucunda voluptatum et divitiarum specie fallit, somnia objiciens gratissima. Sic te tibi fingit divitem, præfectum, et in celsissimo gradu locatum, pulcherrimis ornatum vestibus, insuper promiscuam hominum turbam tuis advolutam pedibus, ac talibus illum speciebus fastu inflat. Transacta nox abiit, discutitur sapor et cessat; expergiſceris, et evigilas, objecta tibi somnia vanas imagines fuisse deprehendis. Mundus suis nos seducit opibus et divitiis, ut nocturna somnia sic avolabunt, et erunt quasi non fuissent. Fugiente spiritu, et sopito corpore, anima evigilat, mundique somnia recogitantem pudebit talia somniasse. Jam nunc in suis erubescit malis, stupet, angitur, pavet ac tremit, cernens in propatulo jam posita, quæ hactenus occultata latebant. Accidit illi nimirum, quod passim experiuntur quicumque, discusso sopore, objectas in somno imagines cum præſenti non ficta egestate et mœstitia conferunt. Videt præteritum tempus velut somnium defluxisse, præſentemque statum considerans perturbatur, et stupens hæſitat, circumſpiciensque se undique suis septem criminibus, et omnibus, quæ perpetravit, malis, velut tetra caligine circumfusam, quo se vertat non habet, quovis enim abeat, et ubivis lateat, suæ illi ex adverso stabunt iniquitates. Tum vero occurret ille malignus, et animam immitis exactor aggrediatur, somnia a mundo objecta repositet, continuo in oculis conspectuque exponenda. Exiget collectas divitias, quæ illam a di-

vniis laudibus avocare solebant, omniqne spoliata amictu nudam irridebit et subsannabit. Detestabile flagitium improperabit, gehennae flammis piandum, tenebrisqne puniendas rapinas objiciet, regetque nequitiam et astutias dentium stridore luendas, et ad cruciatum cientes iracundiam et invidiam. Cuncta retexet scelera, suasqne ipsi ante oculos explicabit noxas nulla dissimulata. Eiusmodi declarationes utiqne acerbissimas praesens diabolus exiget ab anima, quae sua ante per somnia errabat. Somnia, quae fuerunt, ejusdem tormenta fiunt. Cavendum ergo ne mundi praetereuntis error nos abstrahat, neve illius illecebris capiamur, quia ut somnium avolat, sic ille evanescet. Cogita quomodo dies decurrunt, et rapidae fluunt horae, festinant, nec ullas nectunt moras; similiter mundus praecipiti cursu ad finem properat. Praesens dies sequentem non moratur, nec hora horam expectat, ut fluvius, objecta manu, non sedit, nec cohibet cursum, sic nec ullo vita impeditur obice, ne transcurrat. Ex utero natis vitae spatia certo limite et invariabili mensura definita sunt, nec talibus mundum ingredientibus modus aut potestas conceditur, quo liceat praescriptum vitae terminum transcendere. Concessum homini vivendi tempus adfixum limitem exegit Deus, istud metiuntur dies, et inter se dividunt. Suam singuli partem suffurantur, etsi furtum ipse non sentias. Horae similiter attributam sibi sarcinulam abeuntis secum asportant: tuam dies labefactant vitam; horae statumina ejus dissipant, dum tandem extinguant: quasi vero vanitas non ipse sis, vita tua furibus et latronibus praeda data est. Illam trahunt et devolvunt tempestates, donec per parva detrimenta paulatim consumptum, rumpatur stamen vitae tuae, et dispereat. Tuam dies sepelient vitam, et horae cadaver efferent, quoniam per horas et dies illa traducitur ad inferos. Vitam, quam in praesenti ducis, cadente die

simul occidet, et transiet, dum unaquæque dies, ut dixi, particulam aufert et transportat, unaquæque dies suam vitæ tuæ partem sepelit, et hora suam. Sic properato temporis cursu, celerrime vita deleritur, transit et perit. Dies quod suum est, vindicant et efferunt, suum pariter horæ, et confestim abeunt, donec evolvantur vitæ tuæ tempora, et citatus finis adveniat. Deus modum statuit vitæ tuæ, et locum distinxit terram, et singuli dies dimensum suum inde hauriunt, donec istud vitæ tuæ exhauriatur flumen. Quo devolvuntur dies, cursu eodem labitur vita tua, præcipitat et pertransit. Nec ullo, ut dixi, pacto fieri potest ut maneat. Cum in cælo substiterit sol, et luna suos continuerit meatus, tuæ etiam vitæ tempus stabit et non effluet. Experire, quæ audis in umbra, inde vitæ tuæ defluxum intelliges. Sicubi aversus a sole constiteris, lineam describito, inde contemplare tui corporis umbram, vides ut a loco semper recedit, nec unquam stat, simili fluxu tua etiam vita transcurrit, et præceptis trahitur ad mortem: a mane usque ad vesperam corporis tui decurrit umbra, sic a matris tuæ ventre ad tumulum devolvitur tempus vitæ tuæ. Tuo vitam tuam metire palmo, hac scilicet illa quanta est continetur, in quinque digitis totidem cerne ætates: a minimo incipit palma manus, et in pollicem desinit, hoc puta nascentis initium vitæ, et senescentis finem: a minimo inchoatur vita, hoc est infantia tempus; ad secundum progreditur, hæc pueritia est intelligentiæ iudicii que expers; venit ad medium, hæc juvenia est superba, speque atque animo inflata: succedit, quem quartum dicimus, est perfecta virilitas: atque hic metientes incipit spatium deserere; unus superest digitus pollex, senectus est, vitæ terminus. Hæc sunt humanæ vitæ spatia, si tamen homini conceditur ad ordinarium vitæ terminum pervenire; accidit enim, ut hunc appropinquata mors antevertat, palma


quippe manus tuæ sua quavis in parte sectioni exposita est ad Dei nutum. Contrahitur autem quandoque vitæ tempus, ne diutius victuri malitia protrahatur. Sic in palma manus suæ cuivis homini vitæ mensura repræsentatur, quinisque in digitis videt expressos, quos scandit gradus. Tu interim considera quem digitum teneas, quemve attigeris gradum, ignoras enim quonam in digito te cita mors occupatura sit : « Dies namque Domini fur est <sup>1</sup>, » inopium opprimet. Quamobrem in pace ducito vitam tuam, eique bonorum operum viaticum provide, siquidem cupis illam ad Deum pervadere, eandemque, postquam te deseruerit, invenire ; quod quidem tibi continget, si ordinate vixeris, nam si ab ordine deslexeris, tolletur vita tua et peribit, quæres, et non invenies eam. Errantes per agrum aquas nunquam bibes ; si autem in vase reponas, ad usus tuos reservas ; cave ergo ne vita tua diffluat luxuria, odio, ira, rapinis, aut pauperum oppressionibus. Hosce per calles errantem si quæsieris, nunquam reperies. Iterum cave vitæ tuæ ab impudicitia, et turpi quovis quæstu, alioquin velut putridus humor sub terram ibit, et ex oculis evanescet. Vide ne fraudibus et invidia, vel simultatibus et jurgiis, vel alio quovis vitio seducatur et occidat : ne vera spoliatus vita, non falsa morte dispereas. Bonis operibus instes oportet, indeque tibi canales provideas, qui post obitum tuum aquas tuas ducant, et in Deo aduent. Rivulus nempe vita tua est ; hunc in Deum derivare stude, ut cum hinc defluerit, tibi mare fiat. Rursus breve stillicidium est vita tua, ut caducus est mundus, hoc si Deo commiseris, abyssum evasisse reperies. Tua in dies vita tabescit et contrahitur, hanc in Deum refundito, ut æviternam resumas, provide, ne vitam tuam absumat ira, aut aliud simile profliget vitium, totusque intereas omni orbandus vita. Anj-

<sup>1</sup> 2 Petr. iii, 10.



nam si occupet ira, præsentem eripuit diem; satage ne in sequentem diem invadat, ut totam non deperdat vitam. « Sufficit diei unicuique malitia sua <sup>1</sup>, » Salvator noster ait. Unum ergo diem perdidisse sufficiat iræ, non illa sidat in anima, et noctem cum die jungat, neque sol occidat, quin ante lucis occasum illa discesserit. Malus hospes ad tuam domum divertit, hunc statim dimittito, cunctantem etiam exigo. Cum cadente die cadat ira simul, nec ipsi longior concedatur mora, sicut te non moratur hora, sic nec tu iram. Totam massam semel immixtum corrumpit fermentum, nec aliter ira, sed cum animam incesserit, propria statim amaritudine totam inficit: sævissimæ sunt pestes aspis et regulus, sævior illis ira est, animam infestat et necat, atque a Deo separat. Monitus aliquando anguem in tuo se oculuisse conclavi, persequeris, et captum occidis; hæret infixæ tuæ animæ ira, et exitium parat; vides, nec tamen inde depellere satagis. Conspectum colubri quiescentis expavescis, ictum formidas, pateris tamen iram animo insidere tuo, nec ignoras venenum in ea condi letiferum. Statim ut senseris anguem in tuum repsisse sinum, artus pervadit horror; cor tuum in aspidum cubile transiit, nec casum horres. Ut reguli halitu afflata caro inficitur, et extabescit; sic animum, quem semel contigerit ira, suo labefacit veneno. Serpentis formidas morsum, et ictum scorpionii; ira tibi morsum impressit, nec ullus inde metus sollicitat mentem; pupugitque odium, nec tibi trepidat cor. Quis ita desipuit, ut petat aspidem suum sub tectum succedere, aut secum morari anguem, si forte proserpat in sinum. Ista certe non petis, istis pejora petis, iram regulo pestilentiozem, et horribilius serpente odium. Verbum inconsideratum pepulit aures, hoc diabolus nempe suggestit, illico animæ fores patefecisti iræ, insiliit illa, et

<sup>1</sup> Matth. vi, 34.





adhuc tuo hæret animo. Incidit cum proximo tuo de re futili contentio, odium accersisti, venit, tuoque infusum cordi etiamnum incubat. Tibi latrat ira, et canum in morem spumam emittit; tu contra silicem jactas pacem, ejusque latratum compescito, vultus hilaritate negotium ejus disturba, risum oppone, non tristitiam, iramque coërcuisti, ne duas simul animas perdat. Deus, qui summos et imos pacasti sanguine, qui de tuo latere fluxit, iratis concede pacem; qui ambas concordasti partes, et supremos cum infimis conciliasti, dissidentes mutua charitate conjunge, et pacem tuam insere cordibus eorum. Domine, qui es « Pax nostra <sup>1</sup>, » sicut scripsit Discipulus tuus, pax tua custodiat animas tibi supplicantes. « Pacem meam do vobis, » pacem meam relinquo vobis <sup>2</sup>, » dixisti, Domine, Apostolis tuis, et ad Patrem elevatus es, quando venies in majestate magna, et tremor invadet orbem, quando clanget tuba in cælo, et solventur fundamenta terræ; quando sepulta saxa scissa dissilient, et aperientur sepulcra, et in ictu oculi incorrupti resurgent mortui, et convertetur Adæ limus totus cum pulvisculo, et cum ingenti horrore surgent summi et infimi. Pax tua, Domine, egrediatur in occursum nostram et gratia tua succurrat nobis. Domine, tibi sit gloria, et fiat misericordia tua super nos, o clemens et multum misericors. Amen.

---

## SERMO IX.

Tollatur peccator et non videat gloriam Dei <sup>3</sup>.

I. Divinas Scripturas quicumque legunt, vel excepta auribus illarum oracula, oculis mentis diligenter conside-

<sup>1</sup> Ephes. ii, 14. — <sup>2</sup> Joan. xiv, 27. — <sup>3</sup> Isaï. xxvi, 10.

rant, sensum etiam assequuntur : isti enimvero intelligent, quibus eum gemitibus, quoque metu accipiendum sit, quod modo nobis ex divino Codice lectum est. Formidandum id plane, sapientibus tamen et demissa per aures animo studiose revolventibus. Horribilem nimirum præfert sententiam, et cuius peccatori maxime pertimescendam. « Tol- » latur, inquit, peccator et non videat gloriam Dei : » peccatorem sequatur impius ad locum a divina laude vacantem. Res unaquæque Deum loquitur, prædicat gloriam ejus quisque dies, quam nec muta elementa silent : « Cæli » namque narrant gloriam Dei, et opera manuum ejus » annuntiat firmamentum <sup>1</sup>. » Terra Dei majestatem confitetur, et admiranda ejus opera deprædicant maria. Nulla res a laude Domini sui vacat, quandoquidem quilibet vermis quamvis exiguus Deum magnificat. Quem ergo petet peccator locum, « Ne videat gloriam Domini ? » Aut in quas erit ablegandus oras, ut extra divinæ gloriæ limen abjectus dicatur ? Nam si in cælum reperit, acerbe increpitus inde confestim dejicietur ; sique velit in terra morari, negabit illa diversorium ; quod si hinc rejectus pertentet salum, accedentem cuncta repellent maria. Unum restat, nec me meus fallit, opinor, sensus, charissimi, ut ab orbe nostro exclusus in illas terribiles et horrendas tenebras exteriores detrudatur, eum profecto locum divina recusat gratia, quibus enim suam negat præsentiam Deus, et laudem negat. Tormenta gemitus angustiae, curæ tristes, vermis arrodens et semper infestus, ardens et nunquam sopiendus ignis obstruunt fauces nocentium, et suffocant voces, oculos cæcant, et adimunt visum : ora siquidem frementia, et stridentes dentes Dei gloriam annuntiare non possunt, nec lingua divinarum laudum carnem modulari, triste illud, « Me miserum, » assidue ingeminans. Sed nec oculi caligantes

<sup>1</sup> Psal, xviii, 2.

lumen gloriæ capiunt, et cujus carnes arrodunt vermes, extra prementem pœnam nihil sentit, quemque gehenna cruciat, præter ignem nihil cernit. Venite peccatores, ploremus hic, ne illic ploremus; venite in mœstitia et squalore vivamus, ne in maximos luctus incidamus illic. Omnes sancti et justî Deo placuerunt in fletu et dolore, ejusque indignationem lacrymis lenire conati sunt.

II. Triginta et nongentos annos luxit Adamus lapsum suum, hujusque causam, divinæ laudis in paradiso neglectum, nativum genarum decorem manans ex oculis humor extinxit, oraque fœdum in modum exulceravit lacrymarum cadentium fervor. Enoch, qui placuit, et non gustavit mortem, per annos viginti supra trecentos conceptum ex Abelis cæde dolorem sustinuit, eundemque vehementer exasperatum, ex quo vidit illum, qui primus omnium hominum mortuus est, mox patrefactum, sanie taboque fluentem, atque fœdissime deformatum. Et ideo translatus est, et mortem ipse non vidit. Item quia justus Noë luxit ad exitum suæ ætatis hominum, prospiciens ipsos ab imminente aquarum alluvione deletum iri, atque virginitatem per annos quingentos inviolatam custodivit; ideo communi sui sæculi mortalium cladi exemptus fuit. Abraham, similiter Isaac, et Jacob vitam traduxere laboriosam, multis exagitata curis atque tentationibus, similique exitu definitum sibi cursum peregerunt. Jam quis beati Job tentationem persequi sufficiat, qui per septennium in sordibus luctuque jacuit? Quantum putas ille flevit? quam uberes profudit lacrymas, cernens carnes suas a vermibus corrosas, sibi que præter cutem et ossa nihil relictum? quis uspiam talia passus est? Ad solum credo rei famam aures exhorruisse. Suum David stratum lacrymis rigabat per

<sup>1</sup> Psal. c1, 10.

noctes, et cinerem tanquam panem manducabat et potum cum fletu miscebat <sup>1</sup>. Rursus, quot lacrymas fuisse putas Jeremiam? Illum virum dolorum, cum in perpetuo vixerit luctu, qui etsi omnem modum excederet, nihilominus Propheta Deum obsecrabat, ut daret capiti suo aquas, et oculis suis fontem lacrymarum <sup>2</sup>. Ezechiel ille nempe, qui comedit volumen <sup>3</sup>, in quo descriptæ erant lamentationes, carmen, et minæ, eo quod populi sui scelerum pœnam sustinere statuisset, per dies trecentos nonaginta perpetuo decubuit, huic nimirum supplicio popularium suorum peccata illum subjecerant: ergo sua ipsi domus carcer fuit, lictores, communes populi noxæ, quippe quæ illum in ea vincula compegerant; gravissimas autem fuisse inde conjicere licet, quod ad centum nonaginta quinque dies in singula latera cubare coactus est. Hoc etiam amplius, quod ille Superum et Inferum Dominus, in cujus potestate ac ditione cuncta sunt posita cum ad nos descendisset, atque nobiscum versaretur, civitatis Jerusalem excidium planxit. Risisse Dominum Scriptura nusquam memorat, flevisse frequenter. Cæterum, cum illum ad mortem Lazari collacrymatum fuisse narrat, de omnium hominum simul casu luxisse puta, quod cerneret imaginem suam morte detritam: doluit nimirum ille Bonus extypon suum, hominem, quem amabat, amisso veteri decore, informe cadaver effectum, mox efferrî, ac terra obrui. Si tua, frater, occidit anima, mortis causa fuit peccatum, vitam reddent dolor, fletus, lacrymæ, luctus, sonora suspicia culpam damnantis, ob quam illa cecidit et periit. Plora et mæstos ducito gemitus; hac enim via animam tuam ad Deum reduces.

III. Luctum animæ tuæ debes illo utique acerbiozem, qui matrem exagitat, cui mors natum abstulit, et sub ter-

<sup>1</sup> Psal. cî, 10. — <sup>2</sup> Jer. ix, 1. — <sup>3</sup> Ezech. iii, 1, 2.

ram demisit; miserabiliter ille plorat, quia abiit dilectus ejus. Nec vero secus separatur a Deo delinquens anima, neque minus dolet illa summa Bonitas pulcherrimæ imaginis suæ detrimentum. Jumentum periit, aliunde tibi haudquaquam diu mansurum, amissum tamen quereris, Deum cogita perinde moleste ferre suam imaginem perire, animam quippe amat plus quam reliquas res omnes ab ipso conditas. Næ tu quicumque peccas, stupidus es, qui necdum intelligis te peccando periisse, quamobrem nec doles ipse, nec Deum de te dolere agnoscis. Quod reliquum est, conare ut extinctam animam tuam tuis lacrymis suscites, ingentis inde Deo lætitiæ referes argumentum; nempe magnopere gaudet redditam tibi vitæ usuram. Ferunt repertam avem, quæ pullis suis statim a partu extinctis spiritum iterum refundat. Facta nimirum mater, dum natos complexatur et premit, suffocat. Postquam vero illos nec spirare videt, nec moveri, agnoscitque prorsus extinctos, tantum aiunt inde dolorem suscipere, ut per triduum omni cibo potuque abstineat. Iterim nec a nido abesse sustinet, sed eodem perstans loco, natorum cadavera custodit: postremum inflicto vulnere fundit sanguinem, qui simul ac pullos tetigit, animat, divino sic jubente præcepto. Jam si avis suos novit suscitare natos, disce, peccator, vitam animæ tuæ reddere tuis ereptam peccatis.

IV. Cæterum, si pellicani calamitate eo tangitur Deus, ut præter naturæ ordinem ejus pullos vivificet, quam oppido ipsi graviolem fore putas tuam in procuranda animæ tuæ resurrectione socordiam. Nam si avis natos mœret extinctos, adeo ut ægritudinis suæ impatiens sponte sibi mortem consciscat, sique ipsius Conditor dolorem ejus dolet, et relevat, perverso naturæ ordine; intelligis, credo, illum animæ tuæ sentire interitum, et ejusdem separationem: sentit utique et mœret, imaginem suam ab ipso se

sponte dividere, quin ergo tu pariter doles et ploras, quando ille tui causa mœret, quasi mater super unigenitum suum. Odit parentes, qui, filio moriente, risit; qui dolet, amorem dolore probat; odisse Deum videtur quisquis, postquam peccando animam occidit, ejusdem morte lætatur, ex qua tantum ille capit dolorem. Nam, ut sæpe dictum repetam, Deus animæ exitium vehementer dolet; quisquis ergo eam periisse ridet, Deo dolorem exaggerat, quandoquidem etiam ille parentes exasperat, qui mortuum natum sepelientibus per jocos et ridicula illudit: sic plane Deum irritat, qui lætatur, cum malefecerit. Quanquam nec patris dilectum suum sepelientis dolor Dei æquat tristitiam, animam propria culpa pereuntem intuentis. Tuam, quæso, animam luge, et ostende sic a te amari Deum, ut dolenti animæ tuæ ruinam, ipse condolens, consentias. Cæterum, cum, ut dictum est prius, Deus imaginem suam perire ægerrime ferat, planum fit illum, quem eam perdere non piget, aut perditam non plangit, a diabolo nihil omnino discrepare. Quicumque funeri intersunt, cognatorum luctum intuentes lugent, mœrentque cum mœrentibus. Ecce periit anima, deque ejus interitu secutus dolor ascendit in cælum, Angeli quippe mœrent, et contristatur Deus; cui in tam acerbo luctu adhuc ridere licuit, nec illum animæ suæ damna movent, profecto obstupuit, et nescit se habere animam.

V. Tuam, ergo, peccator, flecto animam, ejusdem namque vita ab oculis tuis pendet, et in cordis tui potestate posita est. Te vita reliquit, et ideo non fles, quia destituit te sensus et anima. Animæ tuæ justas lacrymas solve prius, deinde si vacat, externorum casus flecto. Exinctum corpus luges, nempe doles ab eo recessisse animam, quin ergo luges animam, quam deserendo Deus mortuam reliquit. Et vero lacrymæ cadaveri superfusæ, istud animare ne-

queunt; at si animam asperserint, simul vivificant, et surrigunt. Cogita non corporis causa datas fuisse lacrymas, dolorem et mœstitiam, quoniam propter animam ista fecit Deus ut ipsa se suscicaret. Offer Deo luctum et uberes ex oculis tuis lacrymas, fletuque tuo, et ejus gratia, amissam animæ recuperabis vitam.

VI. Te expectat ille misericors, petitque oculorum tuorum aquas, hisce cupit deturpatam animæ imaginem eluere, et ad pristinum, quem ipse dedit, nitorem reducere. Tuam animam ipsemet occidisti, quando peccasti; tu ipsi spiritum, quem cripuisti, reddito; non alius quispiam illam cecidit et perdidit, voluntas tua necavit et proflixit. Si quis alius tibi vitam abstulisset, is utique restituere deberet, quoniam vero tua tibi voluntas mortem intulit ab eadem vitam redhiberi justum est. « In pigritiis manum » perstillabit contignatio, et cadet <sup>1</sup>. » Ecclesiastes hoc docet, collapsam animæ tuæ ædem cito repara, nec enim alius id curabit, si tu neglexeris, aut fortasse ignoras illam ingredientis peccati impulsu quassatam corruisse; cum ergo tuam ipsemet animam errando destruxeris, vide ut errorem damnando reficias. Mala opera tua illam profligarunt, sublevent opera tua bona. Si peccatum occidere cogitas, ut Deus loquere: « Ego occidam et ego vivere » faciam <sup>2</sup>; » peccatum occidam, ne regnet in membris meis; vivere faciam justitiam, ut quocumque duxerit, bonis operibus sequar. Peccatum rem mihi fugiendam certum est remove, et si quæ inflixit animæ meæ vulnera, obligare innocentia et sanctitate. Sicut per agros, quæ aruere, ossa disperguntur, sic animæ tuæ cogitationes per inanes curas dissipasti; satage ut illas a sæculi negotiis contrahas, et in Deo componas.

VII. Ab Ezechielis facto discito super istiusmodi cogi-

<sup>1</sup> Eccl. x, 18. — <sup>2</sup> Deut. xxxii, 39.

tationes vaticinari. Dei vivificantis mortuos verbis illas alloquere, sic nudis obduces ossibus cutem, constantem scilicet animam, et mentem minime socordem, Deoque obligabis utrumque. Vaticinare, et voca spiritum, ut interfectos ingrediatur, et vivant, ipsisque vitale spiraculum inspira, divina videlicet præcepta. Pro foribus inferni horrendum excubat peccatum animarum interfactor, illic ossa animæ tuæ dispersisti, cogitationes, aio, tuas terrenis intentas curis, istas colligito, et arrige, suisque insistere pedibus consuefacito. Si hoc præstiteris, opus oppido admirandum te peregisse credito, atque mortuorum resurrectionem Ezechieli præmonstratam, in te ipso repræsentasse.

VIII. Cæterum, si gaudium erit in cælo super peccatore pœnitentiam agente, erit utique luctus videre negligentem, Deumque vehementer contristabit, quicumque peccat, et pœnitentiam agere recusat. Hanc ergo suscipe, peccator, Deumque et Angelos ejus exhilarabis de tua conversione mirifice gavisuros.

IX. Postremum cogita quisquis peccare non desinis, animam tuam Filii Dei sanguine redemptam, nec enim Cœlitibus, spiritus et flamma cum sint, propria morte animæ interitum deprecari licuit. Dilectum illum Filium Pater tradidit ad mortem, ut salutis tuæ fieret pretium, Filium unigenitum et unum; tradidit, inquam, et non pepercit, tradidit propter te, propter salutem tuam; principium omnis vitæ tradidit morti, morti ipsi formidandum; vinctumque occidendum tradidit, qui tamen mortem ipsam continuo affixit cruci, clavisque scripsit chirographum tuum. Vides-ne salutis tuæ pretium? vide ne pereas, neve pereundo Emptorem fallas. Redemptoris vita vitam tuam accusat, si te vita manet, et peccare non pudet. Mortem tuam illius mors damnat, si morte plectenda committis. Sanguis ejus en clamat ad thronum Dei; ille fusus est, ne perires; pec-



cas tamen, et peris? Qui sibi emit servum, si post amittat, non hunc solummodo, sed etiam pretium ejus amittit. Dei passionem et mortem, quantum in te fuit, sustulisti, si moriaris, nempe ne morereris, ille traditus et mortuus est. Ideoque illum nunquam pœnitebit animam tuam tanti emisse, dummodo mortuam restituat vivam. Attamen si emptor non doluit, ut parceret Filio, mortique non traderet, dolebit utique, si ipse tibi redditam vitæ usuram peccando sponte abjicias. Solvit Filius Dei pretium tuum mortem suam, mortem scilicet et passionem Dei: si tanti emitur anima tua, ut vivat, vide ne vitam tali comparatam pretio gratis eripiat mors.

X. Cæterum, quæ in Deo vivit anima, potens fit ad impertiendam etiam aliis vitam. Idque tibi, si audis bene, idoneus testis loquitur Elisæus: hic enim quoniam divinam animæ suæ vitam comparaverat, duos mortuos suscitavit; alterum, dum nobiscum in orbe nostro versaretur; alterum, postquam a nobis discessit, nempe quia vitam a Deo utrobique ducebat, vivus et mortuus vitam mortuis reddidit. Prophetæ spiritus spiritum a Deo hauriebat, quem etiam a corpore separatus mortuo sui simili communicavit.

XI. Jam vero intuere vitam in Martyrum reliquiis conditam. Quis enim neget illis manere vitam, quando videt ipsorum etiam titulos vivere? Res compertissima est, de qua nullus dubitet. Martyrum sepulcra arces sunt inexpugnabiles, tutumque contra publicæ libertatis invasores perfugium, urbes munitissimæ, præparata fugientibus munimenta et certum præsidium. Quem ergo livor adussit, aut seduxit fraudum artifex astutia, satagat, ut præsentem opem sentiat, retusa vi veneni, ne officiat. Qui cæteros opprimere consuevit, petat æquitatem, neve quempiam in posterum lædat; qui furatur, ne deinceps furetur; qui-que, subeunte ira, charitatem expulit, orando impetrare

studeat, ut, serenata aliquando mente, cum fratre redeat in gratiam. Quem vero invasit immundus mœchiæ spiritus, et sæda inflammat libidine, oleum adhibeat illorum lumini instillatum, cutique illinat, abactus ille discedet. Medici sunt, sanitatis sunt curatores, pharmacum vitæ portant, animæ corporique utilem medicinam, spiritu quippe componitur, quo corpora et animæ sanantur. Fidem exigunt, ut tibi quæcumque postulaveris, largiantur; nisi tibi dubia hæsitaverit mens, vel si occideris, revivisces. Deus in illorum lipsanis inhabitat, inde habent, ut omnes operentur virtutes. Deus, qui in Justis habitas, tibi sit gloria, et misericordia tua sit super nos.

## SERMO X.

Væ nobis, quia peccavimus <sup>1</sup>.

I. Duæ sunt recordationes acerbissimæ, plenæque timoris, et ambæ mihi observantur in cunctis commentationibus et diebus meis, meque incessanter exagitant et cruciant. Duo etiam menti meæ occursant objecta, meque vehementer commovent, atque artus meos conculiunt, et oculos provocant ad fletum, et quorum memoria animus meus contremiscit timore perterritus: duo extrema et ultima bonorum et malorum, in quibus hominem quemque manet aut gaudium aut dolor. Hæc quoties ascendunt in cor meum, timidus ac tremens horreo. Plane dicam, audite, fratres: Duo me terrent, vosque velim periinde reformidare, cuivis namque homini sunt magnopere pertimescenda; peccatorum, quam ipse mihi composui, sarcina, et quæ illa vindicabit, Justitia. Hæ sunt illa duo, quæ dixi me

<sup>1</sup> Thren. v, 16.

recogitare et extimescere. Tabula magna meorum scelerum, et horribile Justitiæ judicium sunt illa duo, quæ mentem meam exagitant et conturbant, iniquitas, quam operatus sum per socordiam meam, et quod mihi novi paratum supplicium; hæc, inquam, me sollicitant, et ossa mea succussant, mihique metum et formidinem superexagerant, ingens sarcina, quam dixi, delictorum meorum, ipsaque secutorum supplicium pro quantum acerbum et severum! Hæc crebro recogitans omnibus artibus contremisco, dumque mecum ipse tacitus revolve, quæ perpetravi, scelera, quasve pro iis pœnas referam, incumbunt mihi gemitus, et dolor, et horror.

II. Etiam istæ sunt, dicta prius repeto, duæ recordationes acerbissimæ, quæ meam concursant mentem, et undique urgent, et cor meum sævissime torquent. Conscientiam sentio, quæ intus me lancinat, oculisque meis subjicit per seriem disposita præteritæ vitæ meæ malefacta, unde tremunt cuncti artus mei. Adolescentiæ meæ peccata mihi repræsentat, et occulta iniquitatis meæ ulcera reteggit, proptereaque oculi mei diffluunt in lacrymas, mœstoque plenæ sunt cogitationes meæ timore, quoties mihi ipse retexo acta pueritiæ meæ, quoniam nihil ex iis, quæ in mundo egi, subducitur aspectui meo. Dum autem peccata illo tempore commissa retracto, eaque vindicaturam Justitiam recolo: o me miserum, exclamo, ac perditum! Dumque recordor omnia delicta mea, et futurum horribile judicium, singultus suffocant animam meam, et anxius ac tristis illud mecum revolve. At ego quo ibo? Scilicet, quæ seminavi, hæc et metam. Hic porro animo occursat dies retributionis, unde mihi ingens metus, trepidatio, et multi gemitus, dum observatur ante oculos illius imago momenti, quo quisque trahetur ad judicium, et doleo, et contremiscunt genua mea. Præter hæc revenit in mentem illa hora, quando

Sponsus triclinium intrabit, ut invitatos ad nuptias exploret, indeque subit aliud flendi argumentum, dum illud momentum recogito, in quo ducetur ad tenebras, quisquis inventus fuerit ibi sordidis amictus vestibus. Et, o me miserum, clamo ! Iterum dum considero fore, ut eodem tempore manifestentur opera mea, et confusio operiat me in conspectu sæculorum, singulibus opprimor, nec constat mens. Item dum occulta mea examino, quamque fœda sint contueor, et provideo hæc etiam propalanda fore, atrox membris meis influit dolor. Hinc porro ad illam gloriæ stolam oculos intendo, quam in baptismo suscepi, cumque meis peccatis inquinatam video, vehemens animo desilit timor, et concutit dentes atque labia tremor. Rursus dum contemplor hinc gloriam, quam in novissimo hæreditabunt Justi, et inde peccatoribus præparatum horrendum ignem, cor meum consternatum fremit, recogitans horrorem atque metum impiorum ex præensione imminentium malorum, animoque perturbor, et concido.

III. Incubat assidue cordi meo isthæc cura, et omnes occupat cogitationes meas, talia quippe oculis meis, fratres, semper obtrudit conscientia, et inde mihi amaram facit vitam cunctis diebus meis, statuens ante faciem meam peccata mea, quæ cum intueor, et repeto cætera, quæ hactenus occulta non video, miserum me dico, et beatos prædico immaturos fœtus, quibus hujus mundi luce frui minime licuit ; mihi enim potiores sunt sepulcri tenebræ, quam lux vitæ peccatis insertæ ; quoniam cui in peccatis vivere libuit, hunc in exitu suo æterna excipiet nox. Cum in adolescentia mea errarem, dicebam in corde meo : « Si ad senectutem pervenero, fortasse peccare absistam ; cum corpus ætate devexa cœperit algere, defervescet vitiorum æstus. » Video autem nec in senectute voluntatem meam a flagitio cessare, et quamvis corpus mutatum sit, ipsa vo-

luntas non est mutata, ut negligenter vixi in adolescentia mea, sic in mea senectute vivo : post exitum mihi imminet iudicium. Consumpti sunt dies juventutis meæ, atque transierunt onera peccatorum portantes, jamque advenerunt dies senectutis meæ omnia scelera pariter referentes. Tempus illud adolescentiæ meæ exactum est in operatione iniquitatis, et postquam advenit senectus, in iisdem peccatis ambulo.

IV. Hoc profecto mirandum, charissimi, corpus æstum suum restinxit, voluntas mores suos nullatenus reliquit, corpus senectute victum evasit, et infirmum, nullo modo voluntas; incanuit caput, et non incanuit cor; senuit corpus, et omnes cogitationes meæ in me semper viviscunt, et revirescunt; quantum albescunt crines ætate, tantum nigrescit cor peccatis. Corpus ad proprios actus languescit, voluntas integra viget ad vitia. Qualis extitit voluntas juventutis meæ, eadem in senectute mea perseverat, qualis juventutem egi, talis senectutem transigo deses et iners. Senectutem sequetur mors, et mortem resurrectio et horrendum iudicium, et constituta peccatoribus pœna. At si ad actum hujusmodi veni in mundum hunc malorum et ærumnarum plenum, melius fuisset nunquam huc intrasse, quoniam præter spinas nil mihi inde provenit, quod me ergo bonum impulit, ut huc accederem, et hæc mala viderem, indeque ejusmodi efferrem sarcinam? Beatus Job cum illius mala aspexisset, invidit fœtibus de utero translatis ad tumulum, quo, alta defossus humo, pessimum hunc mundum minime spectaret. Ego vero quid me lucraturum sperarem talem ingressus mundum, in quo occurrebant adversarii plurimi, perpetuæque tentationes? Sacros codices habeo, qui mihi iudicium et retributionem prædicant : concupiscentiæ me meæ ad peccatum impellunt, absterrent a peccato divinæ Scripturæ, et quid agam positus inter timorem et concupiscentiam? Et quoniam nulla

subest expediendæ salutis ratio, ut liceat declinare horribile iudicium, damnationis meæ sententiam anxius opperior, ejus autem expectationem quo effugiam?

V. Talia, fratres, reputantem mœstitia et luctus opprimunt, et atræ caligines involvunt, cunctis diebus vitæ meæ. Sed et cum occulta delicta mea considero, gemitus cordis mei merito exaggerantur, cumque dierum meorum finem recogito, qui vitæ meæ meorumque maleficiorum cursum abrumpet, objicietque tenebras sepulcri, mortis horrore concutior, et genua mea tremunt. Nihilominus tamen mortem optavi, qui simul a peccatis moriens liberarer. Mala duo in præsentī me cruciant, et in futuro etiam tertium; sic omnia me accusant, vexant, sollicitant, et ut a peccato abstineam, objurgant; ego vero peccata adhuc multiplico, quæ quidem etiam, cum hinc demigravero, mihi sepulcro agglutinatæ hærebunt, et sequentur in novissimo die, quando iterum lucem revisam; interim recta ad gehennam pergo. Cum autem tria illa vidissem, et serio considerassem, sepulcrum reliquis antehabui, quia levius mihi est illic sub terra morari, quam hic supra terram, aut in gehenna. Nihil enim me tantum torquet, quantum præsens sæculum, et alterum post secuturum; hic enim peccata video, illic pœnam gehennæ. Atterunt me hic tentationes, et peccatis oplevit me diabolus, et illic tormenta me manent pro malis, quæ hic in præsentī sæculo perpetravi. In illa die iudicii quemque capiet metus, unde capiet quemque pœnitentia, modo excipias illum Perfectorum ordinem, quicumque isto minor, et infra ejusdem mensuram deprehensus fuerit, hunc suamet conscientia arguet, quasi Perfectis dissimilem. Quare omnes hominum ordines, qui illum Perfectorum gradum, vel non attigerunt, vel in eodem non perseverarunt, eo die dolebunt, se superioribus impares fuisse, nec ejusdem socios dignitatis.

VII. Sed ego, et omnes similes mei, et quod regno Dei excidimus, et quod nec ignem evaserimus, fratres, omnium acerbissime dolebimus, clamabimus, et alta ducemus suspiria; alius est enim dolor illius, qui regni Dei felicitatem amisit, atque alius servi, qui verberatus, vociferatur; si enim quicumque gradum Perfectorum non tenuit, ibi morietur, nos flammis tradendi, quid eo die faciemus? Obvio et facili experimento comperitur ignem, quem divinæ Scripturæ memorant, hoc nostro longe acriorem atque atrociorum esse, ejusque cruciatum tormentum ignis hujus temporis multo superare. Hujusmodi porro pœna exercebuntur, quos Dei judicium in eas flammis conjiciet. Quod ut mihi verum et certum est, sic debent omnes fateri et credere, sæculi videlicet illius ignem, ut dixi, hoc nostro esse longe atrociorum. Nam ut iste maxime efficax sit, nitet tamen, et splendet; ille vero cum vehementissime ferveat, et acerrime urat, horrendis tamen involvitur tenebris, et noctem affert teterrimam: iste obvium nutrimentum usque eo depascitur, dum assumpserit, si quid autem contrarium inciderit, extinguitur, cessat, et revanescit; contra ille ignis nunquam extinguendus, non absumit, quos torret, miseros; nec enim absumere jussus est, sed tantum urere ac torquere. Ignis iste coquit cibos, et esui aptos reddit, et algorem expellit. Ille suis flammis præter tenebras etiam dentium stridorem miscet, fontes tenebrosus depascitur, depopulatur, desolat ac torquet, ut expers lucis, sic etiam finis. Scriptum est enim ignem fore sempiternum. Hujus casus cogitatio ut tristis cura, charissimi, me coquit et versat, quamobrem ingemisco et suspiro, certus hanc mihi pœnam reservari ob ea, quæ hactenus occulta hæere mihi scelera.

VII. Hanc severi Judicis sententiam assidue meditor, et vae, aio, vitæ meæ! eheu quale mihi paratur malum! Simul mecum ipse considero ignominiam mihi subeundam tunc,

quando ponentur ante oculos omnium ætatum, atque hominum, totiusque universi, quæ olim occultavi, flagitia; meque mei admiratores revisent, nec sane qualem me in præsentem existimant, talem eo die comperient; hic putant, qualis videor, talem esse me, cum reapse alius sim. Secretas ibi labe perspicient, quas in hoc sæculo ignorarunt, hinc mirabuntur, obstupescunt, et velut attoniti hærebunt, comperto scelere, quod ante nec subolere licuit. Ibi cernent mala opera mea, spinas, quas ipse mihi sevi, et arcana mea cunctis patebunt, universim meam stupentibus audaciam. In illo sæculo solis luce clariora fient dedecora, quæ ipse intra conscientiam tecta celavi, et deprehensa velut in meridiana luce tenebuntur omnia scelera mea; ibi in amplissimo theatro proposita oculis omnium gentium exponuntur crimina, quæ ipse semper occulta volebam: nec vel unum dissimulabitur aut grave aut leve. Tunc mihi relegendis, et retextent omnia flagitia et peccata mea, quoniam omnia opera mea litteris consignata in codice prostant.

VIII. Hæc, quæ commisi, fratres, timeo et reformido, atque assidue fleo, dum cogitando revehor ad ea, quæ in illo sæculo reservantur, supplicia, conscius me bona nulla fecisse, quamobrem nec bonum fore mihi repensandum in die iudicii, qui huc usque mala thesaurizavi mihi. Væ misero mihi! quando in supremo illo die occurrent ignis, tenebræ, et pœnæ, et magna ac publica ignominia: Væ mihi perditio! tunc quando Sponsus vultu irato discumbentes intuebitur; quo tunc fugiam? quasve latebras petam? O me miserum! quando famulis præcipiet, ut, ligatis manibus et pedibus, me a communi triclinio abigant deprehensum sordida amictum veste. O me perditum! quando separatus ab agnis ad dexteram locandis, hædis ad sinistram detrudendis adjungar. O me infelicem! quando Sanctorum cœtum adjudicatam sibi hæreditatem adire cernam,



me autem flammis continuo tradendum, et quonam gentium evadam tunc? Væ misero mihi! quando a longe stabo pudore ac timore suffusus, nec licebit attollere oculos, et illum Judicem intueri. Væ mihi perditio! quando Sponsus me nosse negabit, ingressumque flagitanti, jubebit occludi januam, et in gehennam statim detrudendum dimittet. Væ mihi misero! quando aspiciam partem utramque obvenientem sibi accepisse sortem, et obseratis cœlestis aulæ portis Beatorum quemque suam adiisse hæreditatem. Væ mihi perditio! postquam decretum fuerit mihi præcludi ostium, indeque rejectus et exclusus compellar jacere foras in mœrore, fletu ac dentium stridore. Hunc ego exitum, ut dixi, timui semper et exhorruui, contuens quæ in me conduntur scelera, et præteritæ vitæ malefacta recogitans, hæc, inquam, peccatorum meorum, et diei judicii terribilis recordatio membra mea perpetuo qualit, et cogitationes meas exagitat. Jam et hoc admiramini, charissimi, et obstupescite, quod cum hæc omnia ego habeam compertissima, omnia nihilominus audeam nefaria: scio quam oppido amara futura sit retributio mea, contraria nihilominus ago, meliora video, et deteriora sequor.

IX. Libros evolvo, Spiritu sancto aspirante, scriptos, qui mihi repræsentant judicium et vindictam, sedes lucis et regnum, lego, et lecta non facio; doceo, nec docendo disco. Eruditus sum in Scripturis et in sacris lectionibus versatus, et adhuc ab officio aberro; legi aliis Scripturas, nec tamen vel una aures pepulit meas: illarum sensa rudes et simplices docui, et ad virtutem adhortatus sum, mihi tamen ipsi nil profui. Sacros libros aperui, legi, intellexi, et suspiravi; mox statim oblitus sum, ut codices sublati sunt ab oculis meis, ut a mente mea pariter sublata est illorum memoria. Et quid faciam, charissimi, huic mundo, in quem intravi, vel huic corpori pleno malorum, quod ad

oblectamenta ac voluptates assidue me allicit ac trahit? Scripturæ siquidem terrent me, et admonent de iudicio, et retributione; concupiscentiæ contra cogunt me servire operibus carnis; unde interclusus hæreo inter futurum iudicium, et præsentem metum. Quamobrem væ ingemino miseræ vitæ meæ cunctis diebus meis! et beatos dico immaturos fœtus, et infantes, qui mundum hunc pessimum ingressi non sunt, nec hinc communem sarcinam extulerunt. Qui enim justitiam in illo assequi studet, atque pugnae iudicii que metu solutus optabile otium tenere, improvise bello obrutus, conserto prælio prosternitur. Porro quominus hic bellum suscipiam, et assequar justitiam, adversatur corpus et obsistit. Rursus quominus otio et voluptati me dedam, atrox retributio absterret in exitu reddenda. Domine, tu es refugium meum, ad te confugio; te protegente, mundum hunc pessimum evadam, et istud corpus, in quod omnia confluunt mala, ut omnium est peccatorum origo et causa: quare cum apostolo Paulo frequenter illa repeto: « Quando liberabor ab hoc corpore mortis <sup>1</sup>. »

X. Interea cum ea, quæ dixi, animo assidue revolve-rem, indeque vehementer anxius æstua-rem, subito alius quidam instinctus afflavit mentem, meque jacentem confirmavit: scilicet obrepsit animo tacita quædam cogitatio, suggestitque utile consilium, et quasi porrecta dextera in spem bonam erexit. Tum vero velut e specula prospexi pœnitentiam optimum desperationis remedium, quæ mihi mox comiter occurrens, submissa voce quasi ad aures loquens, eximio me promisso recreavit. Simul admonuit inutilem omnino fuisse tristitiam, quam ex vulgari omnium nocentium more indueram. Inde resipui, et quorsum, dixi, infelix peccator incassum dolco, et futili mœstitia atque miserabili luctu conficior, aut multitudine scelerum meo-

<sup>1</sup> Rom. vii, 24.

rum consternatus diffido? Ad hæc Pœnitentia : « Attende, ait, animum, mentemque advertito ad ea, quæ tibi sum locutura, » continuo leni voce meas blande demulcens aures, verba plena salutis subjunxit. « Ausculta lubens, ait, quæ dicam, paucis docebo, quomodo juste doleas, ut tibi tuus prosit dolor, et fletus afferat salutem. Videsis primum ne desperes, aut animo concidas, vel torpeas peccatorum tuorum conspectu dejectus, et inde salutis tuæ curam abjicias. Bonus et suavis est Dominus tuus, teque foribus suis astantem videre desiderat. Cum pœnitentiam egeris, lætabitur in te, effusoque sinu excipiet redeuntem. Magna iniquitas tua gutta clementiæ ejus minima minor est. Ipsius est sua gratia maculas eluere, quibus peccatum ea, quam in te exercuit, tyrannide, te turpavit; scelerum tuorum pelagus levissimo ejus misericordiæ flatu siccabitur; sed nec omnia mundi peccata pietatis ejus mare exhauriant. Verumtamen si huc usque extra viam errasti, retrogradere, et peccare absistito : illius ostium pulsa, introitum minime negabit. Jam iterum admoneo, ne putes, ideo quod multa peccaveris, te minime recipiendum, ut hac persuasione deceptus, inertix te dedas, et otiosus pœnitentiæ labores fugias, cave, inquam, ne facinorum tuorum enormitate in desperationem adductus, salutis tuæ curam deponas; nec enim Domino tuo difficile est, deterisis sordibus, ad pristinam te nitorem et integritatem revocare; nam etsi tuis a peccatis talem contraxeris colorem, qualem infecta extulit lana ad nivium candorem te referet, sicut scriptum est per Prophetam <sup>1</sup>.

XI. Restat, ut hoc unum etiam atque etiam caveas, ne in posterum pecces, quodve in eum alias peccaveris, te nunquam non pœniteat; nec dubium quin, quæ est ejus magna misericordiâ, te liberaliter suscepturus. Ergo con-

<sup>1</sup> Psal. I, 9.

tractas huc usque labes eluito; si feceris, nunquam ille repellet resipiscentem. Hoc ego jubeo, subdidit Pœnitentia, tibi mea fide futurum, dummodo, quæ dixi, exequaris; nec enim dubito quin te esto servum impurissimum et scelestum velut filium paterno studio sit complexurus, quodve si, quas a te accepit, injurias fleveris, tuaque maleficia damnaveris et illum supplex cum fide rogaveris, non modo tua tibi sit condonaturus peccata, verumetiam donis et muneribus pro summa sua liberalitate cumulaturus sit. Te nimirum oppido quantum sitit, et ad tuum suspirat reditum, illisque maxime jucundum accidet audire suas te pulsanter fores, qui pro peccatoribus et sceleratis opprobrium et mortem sustinuit. Hæc ita, ut dixi, se habent, non est quod ambigas, vera et certa sunt omnia; dura supplicia et horribiles pœnæ scelestos manent, sempiternum incendium, et vermis immortalis peccatoribus parantur, judiciali sententia in exitu damnatis. Sed et hoc alta mente reponito, subjecit Pœnitentia, re nulla a me illis juvari posse eos, qui me hic monentem contemnunt, nec tempestive sub alas meas se recipere satagunt. Næ ego talibus in futuro sæculo opem ferre non potero, sed neque judex pro illis me orantem tunc attendet, qui nunc obvium domi meæ perfugium recusant. »

XII. Quamobrem hoc bonum et utile consilium iterum repræsentato, ut dum præsens tibi manet sæculum, ad me festines, haud dubie quin mea opera tuam salutem in tuto positurussis. Confidito, ego culpæ dimissionem tibi apud Misericordiam transigam; spero namque meis lacrymis impetraturam, ut illa tibi a justitia hanc gratiam exoret. Ipsa tecum Misericordiam supplex conveniam, mixtoque precibus fletu eo tandem inducam, ut Judicem ad commiserationem supplicis rei flectat, ac tibi placatum efficiat. Confido, inquam, me pro te orantem ab illa minime repellendam, ac proinde

apud Justitiam continuo suas pro te preces interposituram. Quid tu igitur auxio animo hæres, peccator? Misericordia tibi dexteram porriget, et manuducet. Eadem postquam ad tribunal Justitiæ intromiserit, causam tuam perorabit. Justitia cunctis et semper metuenda dicet: « Respice hunc perditum, supplicem tamen confitentemque se fuisse peccatorem et multorum scelerum reum. Intuere trementem, et ob anteaactæ vitæ flagitia metu et pudore suffusum, et singultus precibus permiscentem; attende suspiria et lacrymas, dolorem et cordis compunctionem. Habes unde illi ignoscas, et peccata dimittas, neququam in posterum iteranda. Vide ne ex nimia animi tristitia in desperationem prolabatur. Cecidit, porrige manum lapso. Non decet te in miserorum ruina lætari; spem ostendito, ut surgat et confidat se, a mitissimo Domino servum a fuga retractum, benevole suscipiendum. »

XIII. Hæc mecum ipse tacitus versabam, charissimi, postquam cepit me timor ac tremor meis mihi injectus peccatis. Fictam Pœnitentiæ personam introduxi, quo inatitem luctum et ignaviam ab ægro corde meo excuterem, eadem porro nunc peccatoribus mei similibus reponenda duxi, unde aliquod tristitiæ levamentum capiant, et in spem veniæ erecti ad pœnitentiam festinent. Sit benedictus ille bonus et suavis, qui lætatur in nobis, si pœnitentiam egerimus, atque pro summa sua charitate hilari vultu et absque opprobatione reduces nos excipit. Sitque iterum benedictus, cujus janua introitum petentibus probis, atque improbis patet, nec enim peccatores odit, ut resipiscentibus gratiæ suæ fores præcludat. Sit tertio benedictus, qui omnibus hominibus expediendæ salutis rationes providit, ut nemo a sui regni hæreditate excidat, sed Justi benefactis suis, sua peccatores pœnitentia illam obtineant. Sit etiam atque etiam benedictus, qui pro peccatoribus contu-

melias et mortem admisit, nec ignominiam crucis ferre recusavit. Ea solummodo ductus ratione, ut peccatoribus salutem compararet. Sit iterum atque iterum benedictus, qui postquam nos liberalissima sua voluntate creavit, venit, et crucis supplicio redemit: atque denuo venturus est magno illo sui novissimi adventus die, ut nobis ereptam vitæ usuram restituat. Optime maxime, oro te pro illa tua de omnibus bene merendi voluntate, tales nos esse præsta, qui gratiæ tuæ aspectu oculos exsature, teque in omne ævum laudare mereamur.

---

## SERMO XI.

Surge, vade in Ninivem civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas, et abiit in Ninive juxta verbum Domini <sup>1</sup>.

I. Vides ut Niniven ad concionem advocat Jonas. Judæus scelestos aggreditur præco: ferox et acer invadit urbem, quatitque horrendis vocibus. Hebræo loquente, ethnica civitas mutavit vestem. Ut pelagus turbant venti, sic pelago eductus Jonas concussit urbem: hinc adversi illam oppugnant fluctus, ut ratem direptus aër, cum miscuit maria. Salum cum subiit, subita tempestate pervertit: terram cum pressit, quatefecit. Eo fugiente, inhorruit mare, et concionante, terra trepidavit. Mare compescuit oratio, terram pacavit pœnitentia. Oratio salutem attulit Jonæ, pœnitentia Ninivitas servavit. Oravit ille clausus immanis piscis alvo: in magna urbe opere magno oravere Ninivitæ. Fugiebat Jonas Deum: pudicitiam oderant Ninivitæ. Conclusit strinxitque ambos Justitia, quippe no-

<sup>1</sup> JONÆ III, 2, 3.

centes. Supplicium deprecati sunt ambo, oblata pœnitentia. Hæc nempe Jonam in salo periclitantem tutata est, atque Ninivitas domi laborantes incolumnes præstitit. A suo ac in suo Jonas didicit, misericordiam pœnitentibus esse tribuendam. Formam ipsi in ipsomet descriptam tradidit divina gratia, pro delinquentium regimine præscribens, ut quemadmodum ipse pelago erutus fuerat; ita præsentī naufragio eriperet urbem. Nihilominus, ut mare exagitant venti, sic Ninivis piscinam Jonas, et ipse pelago rejectus.

II. Unus Jonas locutus est, audiit Ninive et luxit; unus Hebræus concionator universam perturbavit urbem. Os suum minis implevit et auditoribus denunciavit interitum. In urbe gigantum parvus concionator assurrexit. Fregit vox ejus corda regum. Urbis ruinam super eos impulit. Uno verbo, quo spem abstulit omnem, calicem iræ porrexit. Audiere reges, et victi dedere manus, sua abjecere diademata, et demisere supercilium. Audierunt nobiles, ac territos oppressit stupor, continuo vestes in saccos mutarunt. Audiere venerabiles senes, et caput consperserunt cinere. Audierunt locupletes, et arcam aperuere indigentibus. Audierunt creditores, conscissisque sygraphis, in opera misericordiæ incubuerunt. Obedierunt fœneratores, ne ultra sortem exigent; quique fœnus acceperant, redhibuerunt acceptum. Æs suum alii condonarunt, cum salutem quisque suam pie curaret. Nemo repertus ibi, qui alterum circumvenire cogitaret. Omnes quippe sancte certabant, ut suam quisque animam lucraretur. Jonæ obaudiere latrones, et assueti vivere raptō, sua reliquere: quisque se ipse accusabat, et comparis sui vicem dolebat. Nemo socium condemnabat, quia ipse se quisque condemnabat. Unusquisque se ipse reprehendebat, quia Ira reprehendebat universos. Jonam audierunt parricidæ, et judicium metum se abjecisse confessi sunt,

Judices judicia interruperunt; præsentē Ira, siluit forum; noluerunt quod justum erat judicare, ne ex justo judicarentur. Unusquisque misericordiam seminabat, ut meteret salutem. Jonam audierunt peccatores, suaque singuli peccata confessi sunt. Audiit urbs scelerata, suaque confestim exiit scelera. Audierunt etiam domini, et subiectos dimisere liberos. Pie audierunt servi, et auxere erga dominos reverentiam. Declamante Jona, nobiles fœminæ fastum ciliciis compressere; pœnitentia fuit vera, quando superbæ humilitatem induerunt.

III. Nostra hæc illi pœnitentia composita somnium est; et illi supplicationi nostra collata umbra est: et illi humilitati comparata hæc humilitas larva est; quam oppido rari sunt, qui malefactorum, subeunte pœnitentia, simile jejunium secuti sunt. Ninivitæ stipem egentibus erogarunt; utinam nos a pauperum oppressionibus abstineremus. Ninivitæ servos libertate donarunt; liberorum vos utinam misereret. Quoniam vero Jonas ad urbem mittebatur omnium flagitiorum genere coopertam, ideo vindex Dei justitia dura illum severitate munivit, imbuitque vocibus horrificis, jubens extrema mala nuntiare. Acerbis medicamentis instructus formidabilis Medicus urbem intravit morbis oppressam. Explicuit et ostendit, quæ ferebat pharmaca, visaque sunt aspera et horrenda. Sed etsi Prophetam gratia mittebat, non quo civitatem everteret, sed ut laborantem curaret; civibus tamen concionator minime suggestit, ut pœnitentiæ se dederent. Docere volebat, ægrotautes debere morbi remedia per se quæritare. Pulsantibus obseravit fores, quo intelligerent posterī pulsantium constantiam.

IV. Sententiam Judicis Jonas intimavit; assensere Ninivitæ, et justam esse affirmarunt. Inde patuit quantum ad placandam iram valeat pœnitentia, quantumve insistere



debeant pœnitentes, donec impudentia misericordiam extorqueant. Ægritudinis enim causa peccatum fuit, voluntas, non necessitas. Horrisona vox terrebat, objecta velut exerti imagine gladii, unde audacissimus quisque metum caperet, et morbum depelleret. Medicus missus ad medendum ægris romphæam intentat, quam ut vidit civitas, ut exhorruit; medicus aderat, carnifex qualis præsens; cives metu consternati, mox trepidi consurgunt, et ad pœnitentiam procurrun. Ergo medicamentum virga fuit, quorumlibet medentium pharmacis remedium præstantius. Ægro alii medentes palpantur, et blande potionem porrigunt. Jonas ægrotos acerba et vehementi concione objurgat et sanat. Decumbentes visitat visitor sapiens, simul exagitat metu; lectulo sese illico proripuit æger, ut virgam furoris aspexit: consanvere suis furentes libidinibus: suas quisque cupiditates compescuit, ipse sibi factus medicus.

V. Cessarunt prandia regum, et principum cœnæ. Nimirum si a lacte arcentur infantes, quis interim jubeat convivia? si jumenta prohibentur aqua, vinum quis bibat? Si rex induit saccum, quis vestem non mutet? Si impura scorta sibi continentiam imperant, quis cogitet nuptias? Si luxuriosi stupent, quisnam rideat? Si qui modo lætitia exultabant, nunc misere plorant, quemnam delectet jocus? Si latrones didicere justitiam, quis opprimat amicum? Urbem universam imminentis ruinae metus sollicitat, quis jam in communi periculo propria curet, pro sua sollicitus domo? Si projectum videas aurum, fur nullus est, qui surripiat; si apertum thesaurum, nullus est qui auferat. Oculos continuere suos fatui, ne fœminas curiose aspicerent. Condidere fœminæ ornamenta sua, ne intuentibus præberent occasionem ruinae. Novere quippe istud esse commune malum utrisque, nec si alii in illis offensisent, ipsas salutem adepturas. Non ergo civium pœnitent-

tiam disturbavere formosæ, cum communis doloris causam se esse agnoscerent. Medicinam itaque fecere sibi mutuo, alter ab altero pœnitentiam docti.

VI. Nullus est, qui socio peccandi occasionem subji-  
ciat, dum quisque vitium eliminare studet; suum quisque  
sodalem ad preces et obsecrationes invitat. Facta est civi-  
tas corpus unum, tota se totam observat. Ne in alterum  
peccet, proximum quisque suum admonet, hortaturque,  
ut se suaque membra ad justitiam formet. Quare nemo  
illic oravit, ut se unum servaret, dum singuli alter pro  
alterius salute rogant, perinde ac si in unum coaluissent  
corpus, universa siquidem civitas velut unum corpus ad  
interitum ciebatur, nec licebat probis procul ab improbis  
vivere, cum velut membra invicem colligati conviverent  
una cum nocentibus innocentes. Justi itaque pro peccato-  
ribus Deum orabant, ut ipsis opem salutemque ferret;  
hunc orabant pro justis peccatores, ut ipsorum preces  
ratas efficeret; precabantur innocentes pro incolumitate  
nocentum, nocentes innocentium orationem exaudiri, ro-  
gabant.

VII. Pulcher infantium ploratus universam civitatem ad  
lacrymas provocabat; vox parvulorum, ut venit ad aures,  
ut impulit cor et viscera subvertit. Senes conspersere se  
cinere, canos laceravere crines longævæ anus, projece-  
runtque; venerabilis canities versa est in opprobrium.  
Juvenes, fixis in senes oculis, amare flebant; majores  
minores suos, optatos senectutis baculos, vocabant ad  
plantum; plorabant utrique, prospicientes mox ad tu-  
mulum elatum iri cum funerandis funeris curatores. Casti  
castæque cœlibes capillos deposuere, calvitium suasit luc-  
tus. Stetit in medio thalami mater: circumstant charis-  
simi: fimbrias tenent, orant, sospitet pereuntes. Crebra  
terræ succussione perterritus puer fugit in sinum matris

in die furoris parvulus intra nutricis alas se condit. Sol oritur, et occidit, supputant illi dies, et quoti transierint rogant, dolentque tantumdem spatii vitæ detractum suæ, decedere dies, et cum illis pariter animam decessuram. Plorantes nati parentes in communi luctu sciscitantur. Eheu! dicite parentes, quot ab hinc superant dies ad tempus conductum ab illo Hebræo concionatore; dicite designatam ab illo horam, quando viventes in infernum descendemus, quæve futura dies, quando pulchra civitas subvertetur; quænam ultima nobis illucesset dies, postquam amplius non erimus? Quonam tempore operiet nos caligo? Quo die nostri interitus fama pervolabit orbem? Quando secus locum transeuntes advenæ cernent dirutam urbem, patriæque ruinis sepultos cives.

VIII. Parentes, qui natos talia memorantes audiebant, vehementer commoti parvulos suos suis perfundebant lacrymis, oculisque pluentibus, mixto fletu, dicentes et audientes simul plorabant. Voce crebris singultibus suppressa, verba formare non licuit, fandi facultatem dolor abstulit, et charorum fletus colloquium diremit. Sed parentes, ne filiorum cruciatum suo redderent silentio majorem, indeque exasperato animi dolore, ante diem ipso mœrore conficerentur, tandem cohibuere lacrymas, et internos affectus represserunt, quo liceret de proposita quæstione liberis suis sapienter satisfacere; indeque aliquod doloris levamentum afferre. Cæterum cum veritatem manifestare vererentur, aperteque dicere diem utique a Propheta denuntiata haud procul abesse, Abrahami exemplum secuti, filios suos prophetica prædictione consolabantur.

IX. Exquisivit Isaac hostiam: « Ubi est, ait, agnus victimæ holocausti <sup>1</sup> ? » Abraham, ne triste responsum luctus sequeretur, qui sacrificium corrumpere, unigenitum suum

<sup>1</sup> Gen, xxii, 8.

blandis verbis trahebat, quo interim ligari se sineret, dum ipse gladium nudaret. Videbat filium duram sibi proposuisse quæstionem, silentio tamen usus non est, ne natum contristaret, nec tamen dolorem explicuit, ne sacrificium temeraret mœstitia. Excogitavit quomodo filio satisfaceret. Ergo cum manifesta fari nollet, occultum mysterium præmonstravit, cumque veritatem occultare vellet, prodidit; ausus non est dicere: « Tu es, » prædixit alium fore; credidit illum esse; non illum fore prophetavit. Abrahæ nimirum lingua corde sagacior fuit, a corde discere assueta, cor docebat, conticuit mens intelligens, quia facta est lingua præsciens, et ratio, quam docebat, hausit a lingua sapientiam. « Ascendemus ego et puer, servis suis dicebat » Abraham, et revertemur ad vos<sup>1</sup>. » Fallere voluit, et prophetavit. Mendax non fuit, qui pro veritate certabat, sermonem in prophetiam transtulit, dum studet laboranti succurrere.

X. Hanc cepere viam Ninivitæ, dum natis satisfacere student. Ergo lacrymis sensim manantibus sic affati sunt charissimos suos: « Bonus et suavis est Deus, nec delebit elaboratam manu sua imaginem. Quivis artifex, quod finxit, simulacrum diligenter custodit, quanta putatis cura Optimus incolumem manere velit vivam et ratione præditam sui effigiem. Nec oppidum, filii, cadet, nec patria nostra subvertetur. Dum ergo comminatur excidium, ad pœnitentiam nos provocat, dumque se vehementer iratum ostendit, ad bonam frugem nos revocat. Vos item, charissimi filii, quoties desipuistis, et continuo resipuistis flagello correcti. Vos nos cecidimus et duro verbere castigavimus, nec istud furor porrigebat ad exitium. Corripuimus, quia peccastis, et gavisī sūmus, quia peccatum agnovistis. Vos ipsi animadvertistis ejus vexationis auctorem fuisse amo-

<sup>1</sup> Gen. xxii, 5.

rem : vos ipsi perspexistis Misericordiam flagellum tractasse. Correptione profecistis , et inde hæredes effecti estis. Ipse verberum dolor multam attulit lætitiã , et virgarum supplicio suavissimæ jucunditatis successit thesaurus, omnemque mœrorem abstersit subsequens gaudium. »

XI. « Discite ergo, charissimi, ab eo, quod expertis estis, verbere, et vestrorum parentum sagaci eruditi virga. Ad nostrum profectum nos ab illo castigari Patre, qui nos corrigit. Extulit virgam furoris, ut terreat, et terret, ut emendet. Scilicet quemadmodum vestri vos parentes verbo et verbero castigavimus dum vos erudire et lucrari studeremus, et modicum passos admodum juvare, sic et ille optimus et mitissimus nos arguit et erudit, ut sua nos benignitate servet, et inclusum suarum miserationum amorem nobis profundat. Virga suam nobis charitatem significat, suum verbere nobis aperit thesaurum. Quod si minime dubitatis vos a nobis pro nostra erga vos benevolentia fuisse punitos, cur dubitemus idem eodem affectu a Deo nos in præsentis sustinere? Nostra ergo vobis severitas speculum fiat, in quo illam pietate et clementia plenam disciplinam perspiciatis. Enimvero omnis, quo vos complectimur, amor infra eam charitatem restat, qua Deus nos homines amat; adeo noster in vos amor, Dei in nos amore minor est. Sique magnam putatis ejus severitatem, illa major est ejus clementia. Pœna videtur, donum est, sic bene merentes quique ab illo locupletissime munerantur. »

XII. « Mœrorem, filii, depellite, cohibete lacrymas tantisper, brevi motus iste residet, vosque immittet ira, patriæ dolor profligabitur, et sublato luctu, succedet lætitiã, et gaudebit corrector, correctos vos intuens natos suos. » Hæc et hujusmodi suis Ninivitæ liberis memorabant. Mœstos quidem consolari volebant, tranquillitatem interim ex vero prophetabant. Et quia citra moram resipuerunt, citra

errorem futura prædixerunt. Pœnitentiam implevit opus, exitus prædictionem.

XIII. Cæterum etsi has sæpius ingeminarent voces, a lacrymis tamen minime temperabant, et quamvis ad leniendum dolorem talia memorarent, luctum tamen minime relaxabant. Metus jejunium produxit, et preces trepidatio. Prudenter namque cogitabant quantus esse deberet peccatoris timor, quando Justi quoque trepidabant. Cum itaque fores obsideret mors, rex in publicum progressus se ostendit, civitas commota est; ut rex apparuit amictus sacco, quis procerum byssum exuere dubitavit, ea præsertim incumbente ira? Rex flevit, illacrymantem contemplatus universam urbem: flere cives illum conspersum cinere caput contuentes. Flevit ipse civitatem conspicatus atratam, vestem in saccum mutasse: flebat civitas, et ad fletum parietes provocabat, et saxa; quales Ninivitæ fudere preces quis adhibuit? Quisnam corruptos sic emendavit mores, et vitia manifesta, et occulta correxit? Quis membra prostravit, ut simul voluptates et oblectamenta abjiceret? Quis ut vox pepulit aures, cor scidit, et peccasse se doluit? Quis verbo castigatus ingemuit? Quis hominis ad speciem abjectissimi voce percussus obrigit? Quis Deum sibi objiciens præsentem, pœnitentiam cogitavit? Quis Justum exerto gladio vidit instantem, ac tantopere expavit?

XIV. Interea videre erat amplissimam urbem luctu squalentem. Plorabant pueri, cum vitam, quam sibi vovebant diuturnam, ad dies contractam audirent, sed et senum intolerabilis erat planctus, cum non modo ipsi, qui sepulcrum non inviti opperiebantur, verumetiam suprema sepulcri adolescentes curaturi, monerentur oppidum quantocius casurum. Juvenum vero questus quis ferret, cum in expectationem nuptiarum projecti, fato se brevi

rapiendos intelligerent? Aut novarum nuptiarum lamenta, cum thalamo excedere, et imos terræ sinus subire cogentur? Quis lacrymas contineret, regem conspicatus lacrymantem? Quod a regia discedere juberetur, et in sepulcrum propediem descendere, inter vivos rex, inter mortuos pulvis mox futurus, ut regalis honoris curram tumulus exciperet, urbis ruina sequeretur. Hoc nimirum audiebat futurum, ut delicias et jucundæ vitæ commoda ipsi raperet mors, et a suavissima quietis lecto in foveam iræ regem et urbem repente transferret.

XV. Legiones suas convocavit rex. Flevere mutua comploratione communem casum. Prælia rex referebat hactenus ab illis gesta, et reportatas victorias, quotve feliciter evaserant pericula; nunc vero se animo defecisse victum mali magnitudine, nec ullam videre superesse opis et salutis spem. Non hoc bellum, aiebat, est amici, in quo conserto prælio, victoriam nostro more referamus, et ad votum succedat triumphus. Siquidem vel ipsos heroës exanimet horrendum, quod audivimus nuntium, sic nos plurimarum gentium victores unus Hebræus afflixit, ejusque vox perculit et prostravit. Plurima nos oppida subegimus, in nostra nos urbe ipse profligavit. Ninive heroum mater hominem unum, et hunc vilissimum exhorruit: in suo læna cubili ad unius Hebræi conspectum expavit. Rugiit Assyria, tremefecit orbem: Assyriam fremens voce concussit Jonas. Scilicet ad hoc omne malum venit fortis Nemrodi soboles.

XVI. Bonis militibus optimum consilium simul suggestit rex. Interim vobis consilium do, amici, non ideo in præsentī desperandum discrimine, sed ut fortes decet strenue dimicandum, nec committendum, ut desides mors occupet, quod ignavis ac timidis accidit. Quisquis, præsentē periculo, strenuum et magnanimum se præstitit, si

moritur, fortis fuit; si mortem evasit, vicit. Si ergo mori gloriosum est, et est vivere triumphus, duo bona sibi negotiatur magnanimus; duobus contra malis subjicitur ignavus, vel ut inhonesta morte fungatur; vel ut cum dedecore vitam traducat. Paranda nobis ergo sunt arma, simul componendus est animus ad agendum præclara et fortia, quo ut nihil assequamur, strenuorum certe nomen obtinebimus. Ex majorum disciplina didicimus Deum habere justitiam et gratiam, et pro justitia quidem intentare minas; misericordiam autem tribuere pro gratia, quod si placetur justitia, auxilians aderit gratia: si nostris precibus flectatur justitia, illico affluent liberalitas et clementia: si vero illius justitia retineat iram, ideo oratio nostra culpanda non erit, quod illam minime exoraverit, nec nostræ nobis fraudi erunt preces. Sed quoniam res inter justitiam et gratiam versatur, nostra profecto pœnitentia sua causa non cadet. Nova arma novæ urbi, charissimi, fabricanda sunt, et quandoquidem ad occultam vocamur pugnam, occulta arma capiamus.

XVII. A majoribus istud accepimus, qui hominibus recte vivendi præcepta tradiderunt, quorumque oracula ad nos traducta sunt, et acta, quasve passi sunt tentationes, fama repræsentat; nec ad captum homini deest mentis sagacitas: ubique gentium pervulgata sunt gesta Justorum, quibus hac potuit ad salutem via. Orbem implevit lex, qua condemnatur quicumque nocens; et audivimus quibus suppliciis mali homines mactati fuerint, quod peccare ausi fuissent: positum est ante oculos speculum, unde quisque intelligat impudentem quemque pudefactum iri; imago cuius videnti conspicua est, sed et pœnitentia pariter prædicata est, et aspectibus audientium proposita. Pœnitentia oculis peccantium exhibita est, ut ad illam appellerent animum.



XVIII. Et vero cuinam nostrum ignotus est cataclysmus? Nec enim a nostra ætate longe distat immanis illa aquarum eluvio, quæ Noë temporibus accidit, quando Justitiæ vindicatricis allapsu aquis obrutum fuit omne genus humanum; nec tamen illis deerat perspicacitas mentis, aut rationis oculus caligabat in sole. Homines noëtiæ illius ætatis, o filii, scientes prudentesque deliquerunt, dederuntque delicti pœnas. Nam cum tempore eodem audirent voces, imminentis diluvii præagas, Dei adhuc iracundiam provocarunt, quo risere minas. Malleorum et asciarum sonitus diluvium prædicabat, stridor serræ secantis cataclysmum clamabat, derisere tamen mallei sonum, et ascie vocem contempserunt, donec arca perfecta est. Tum vero Justitia sese ostendit, et audacia condemnata fuit. Erupere fontes, dederuntque vocem contra nocentes minarum derisores, vociferavit repente diluvium contra subsannantium vulgus, qui malleorum sonum modo ridebant. Tonitruum fragore puniti sunt, quibus serrarum strepitus ante ciebat risum, et cum horrissono nubium fremitu micantibus fulgetris etiam cæcati.

XIX. Ad arcam, quam luserant, certatim procurrerunt, clausit illa fores impiis, quibus ejus fabrica res oppido ridicula ante videbatur. Cavendum ergo, fratres, ne Hebræi istius Jonæ vocem aspernemur, nec debemus ejus monita otiose accipere, sed diligenter expendere et singula ponderare. Me fateor, in magnam anxietudinem ejus sermo conjecit; quod si illius oraculum quispiam ex audacia profectum interpretetur, aut deliramentum existimet hominis minime compotis sui; quicumque tamen illum insanire credit; si quæ dicturus sum consideret, intelliget hunc esse caput sapientiæ magno judicio et alta mente præditum. Despectus et simplex, ut videtis, est ejus aspectus; sermo tamen grandis est et reverendus. Vobis siquidem

præsentibus, quæstiones illi proposui varias, ut lubuit; explorare volui, quod dixerat, velut in fornace aurum. Non ille expavit tamen, non timuit, non est perturbatus, nec titubavit: non mutavit sententiam, veritatis lege ligatam, nec immemor dictorum a proposito deflexit, tenacissima præditus memoria. Blanditiis illum pertentavi, non attendit blandientem, nec perterrefacientem extimuit.

XX. Opes ostendi, risit opes; gladium intentavi, gladium contempsit; exertum ferrum, et ampla munera velut res sibi ignotas despexit. Est, quem alliciant divitiæ; est, quem tormenta exaniment. Non illum exterruit pœna, non illum gratia illexit. Inter blanditias atque minas hunc Hebræum conclusimus, integer evasit utrinque, qui utrumque lusit. Pecunias offerebam, risit offerentem; ferrum nudavi, distorto ore, labrum contraxit. Non illum vicere auri cupido, nec mortis metus. Sermo tamen telum erat, findebat marmora, nec meam potentiam formidavit, nec adulatus est majestati. Decus hoc meum tale habuit, quale reputamus retrimentum humi projectum; adeo nostras despicit opes, armaque nostra aspernatur. Frontem æream sibi composuit, ex quo nostras cogitavit terras, nec ulla affuit causa, quæ ad assentandum nostro imperio illum moveret.

XXI. Hujus itaque sermo speculum datum est, in quo nostra crimina inspiciamus. In eo jam vidimus Deum, nostris sceleribus offensum, ejusque justitiam vitia nostra persequentem, et patriam nostram ab imminente judicio de salute periclitantem. Satis perspeximus illum vera locutum, nec ista excogitasse artem, aut hominis vafri versutiam composuisse. Si prospera quidem nuntiasset, esset cur suspicaremur veteratorem hunc esse, qui felici nuntio amplam mercedem aucuparetur. Fausta auguratur sortilegus, qui in divinatione facit quæstum, blande palpat et

magna pollicetur. Chaldæus esuriens felicem horoscopum mentitur, quo uberiorem a fatuo referat strenam, ingentes divitias præ sagit, non quod aliquid dare velit, nec vero dat, sed quo futuræ opulentiaë augurio stultum decipiat, auferatque quod ille habet. Medicus contra integer et veredicus est, verum ægroto nuntiat. Chirurgus domum ægro-tantis ingressus, nec voce submissa, quod sentit explicat, nec angusto pectore intonat acerba caustica, in suo illi cubiculo; nec laborantem veretur, ut putridi dentis evulsio-nem non denuntiet; nec regem formidat, ut ne suam sententiam dicat; nec filium regis timet, quin acrem me-dicinam ipsi propinet; nec viros terribiles tremit, dum ligat, et secat; nec potentem quemlibet expavet, ut ejus potentiam causticis non subjiciat. Quis itaque mendacem dicat Vatem, qui funesta et infausta præ sagit? Non men-titur, cujus sermo nos tantopere perturbat; si sermo fortis est, sincerus est animus.

XXII. Medicus quantumlibet magnanimus et constans, quæstu tamen titillatur, et lucri spe; Hebræus iste me-dentium conditionem superat, qui ex nostra urbe, nec unius diei victum accipere voluit, ex quo nos convenit, jejunos et admodum tristis luxit. Quis ergo peregrinum adegit, ut citra præmium tristissima isthæc nuntia refer-ret? Cur in urbe nostra talia prædicare non timuit? Ab Hebræis accepimus Moysem et Eliam ad quadraginta dies cibo abstinuisse? quid? Num simile jejunium sibi indixit vates iste Hebræus? Si autem jejunat, qui justus est, jeju-nemus, oro vos, nos qui peccavimus, et si qui sanctus est, supplex orat, deprimant nos saccus et cinis. Et fortasse ideo jejunat et orat, ne, salva urbe, mentitus fuisse videatur, scilicet ut patriam nostram evertat, certat, quo vera prædixisse credatur. Cum illo igitur, qui nos jejunio op-pugnat, jejunio dimicemus. Nec ideo tamen cum Pro-

pheta pœnitentia nostra pugnat, non enim ille nos læsit, nostra nos peccata pessumdant; non ergo urbem destruet Hebræus, cui propria scelera ruinam accersunt.

XXIII. Habemus adhuc, amici, alium occultum hostem, contra quem fortiter dimicare debemus. In ore omnium versatur historia Jobi antiqui Justi, cujus illustria facta mutas animantes audisse reor, ejus victoriam ipsius tentatio per totum orbem vulgavit, et sicut nostri nobis prodidere majores, accusator ejus diabolus fuit. At si ille viro sanctissimo falsum crimen affinxit, ad verum objiciendum nocentibus, quanto eundem putatis fore paratiorem? Dispar est, eademque pars contra justos et peccatores ejus nequitia; Justum nempe persequitur, si forte peccatorem efficiat, et peccatorem occidit, ne forte resipiat. *Ædes* filiorum Job idem evertit, illorumque cruorem cum vino miscuit, corpora cum poculis. Idemque *ædium* ruinas impulit super dominos. Quare vereor, ne ipse ad subvertendam urbem et patriam nostram immissus sit. In bello reges armis vicistis, Satanam oratione prosternite. Exeant ergo armatorum acies cum illo prælium commissuræ, vestras tamen exuite ante *diploïdes*, et abjicite. Saccos, optima adversus hunc hostem arma sumite; fractos projicite arcus, et ad preces confugite, inutilem deponite gladium, ense capite triumphalem, jejunium. Sola jejunii acies secretam patriæ nostræ amputavit noxam. Victorias, quas præteritis bellis hactenus reportastis, nihil esse duco. In præsentem autem si vincere contingat, nullam hac illustriorem victoriam retulimus; et quoniam aliis in præliis primus in acie steti, in præsentem etiam conflictu pugnaturis præibo. Ergo arma sumite, sed qualia me cepisse videbitis, eia, amici, accedite.

XXIV. Hæc fatus rex vestes exuit, exuerunt pariter universi. Continuo saccum induit, regis ad exemplum mi-

lites attracti processere. Sic repente Assyrii, alias fulgente feroces ciclade, modo lugubri tecti amictu, incedebant, cilicioque setis horrente mysteria Jacob repræsentabant. Ad planctum dum se demittunt, victoriam peperit Pœnitentia, victus est Satanas, quemadmodum victus est Esaü, ut magister, ut discipulus, viceruntque Ninivitæ, sicut et Jacob, ut magister, sic ejus discipuli. Convocatis itaque rex copiarum ducibus, exercitum lustravit, missique ad singulas turmas præcones, singulos adhortabantur ad pœnitentiam. Impurus quisque, aiebant, turpes emendet mores, ne forte suis oppressus vitiis occumbat. Avarus amorem habendi cohibeat, ne perturbet pugnantem. Quisquis fervet ira, exorabilem sodali se præbeat, ut Justum exoret sibi. Non animum occupet odium, ne salutis negotium disturbet, neque os jurgia componat, ut civitas benedictionibus, Deo miserente, cumuletur. Nemo perjurium et mendacium non fugiat, ne probet eventus prænotionem pronuntiatae in nos sententiæ falsam non fuisse. Rumpenda sunt vincula cordis, ne orantes præpediant. Neminem deinceps peccare delectet, ne nos assequatur pœna novis exaggerata flagitiis. Talia præcones per amplæ urbis regiones prædicabant.

XXV. Interea rex mœrore agitatus, ut in eundem locum vocaret, exercitum lustravit, edixitque militibus jejunium, veraque arma subministravit, suavitque, ut Deum orarent, omnem quippe salutis spem in oratione consistere, orationem esse arcum, cujus sagittæ certantibus victoriam pararent, loricam ad tegendos afflictos mire comparatam, et ferum gladium illam adhibentibus. His ita compositis, pieque provisus exercitui armis, rex ad muniendam urbem conversus, quibus telis sexus uterque pro patriæ salute certare deberet, proprio cilicio admonuit; saccis ergo cives armavit fortis Nemrodi nepos, strenuus

venator, qui feris parcens, populi sui scelera cecidit, nec sylvas depopulatus est, sed urbem a vitiis purgavit, agrestes bestias domuit, et domestica crimina sustulit : sprevit. « Fel draconum » imbuitque ex jejunio mira suavitate mentem. Regali dimisso curru, pedes urbem lustravit : quo omnes ad pœnitentiam excitaret, singulorum ædes invisit : quo sordes elueret, sine pompa circumivit domos : sic posito fastu, vicos pervagatus, motibus succussam sustinuit urbem, cum humili habitu ingressus angiportus et compita, tranquillitatem seminavit et pacem.

XXVI. Talia cum Jonas spectaret, admiratus est, puditque illum populi sui, intuensque Ninivitarum triumphum, Abrahamidum casum dum flevit, videbat Chanaani nepotes resipuisse, Jacobi vero sobolem interim insanire, præputium habentes cor circumcidisse, et circumcisos contra durasse cor. Qui olim in sabbatis gloriabantur, modo etiam circumcisionem parvi pendere, atque negligere, ac vitam inter et mortem posuisse. Quid interim rex? Intellexit enimvero eam calamitatem hominum peccata accersivisse, malorum amputavit causam, simul sedavit, quos illa excitabat motus. Qui urbem invaserat Medicus, morbo præsentaneam medicinam non ignorans, laborantem curavit jejunio, cilicioque et cinere peccatum depulit. Illi peccare desierunt : ideo suam Optimus aggravavit in eos clementiam. Cornu et usuram sustulerunt; ideo urbem et suburbia evasere ruinam. Interea debitum reposebat Jonas, jejunio condonatum : congregati Ninivitæ consulebant, qua via solutionem et mortem effugerent, statueruntque abstinentia propitiandum esse Deum.

XXVII. Jam quæro quisnam Ninivitis divinum istud arcanum patefecit, indicavitque jejunio solvi posse Dei sententiam? Id utique Jonas non docuit, qui ejus senten-

! Deut. xxxii, 33, *id est, vinum,*

tiae rescissionem timebat. Jonas Ninivitis affirmaverat Dei decretum fixum et certum esse. Jonæ dicto adhibuere fidem Ninivitæ, resciderunt sententiam. Deum quippe et hominem sapienter discreverunt, hominem cogitarunt esse hominem, Deum esse mitissimum. Prophetam videbant severissimum, clementissimum esse Deum non ignorabant; non disceptarunt contra severum, ut clementem placarent; Prophetæ cesserunt justitiam, Deo clementiam. Jonas absceidebat spem, jejunium spem amplificabat: Jonas effringebat animum, animum affirmabat oratio; acuebatur ira, ejus aciem obtundebat saccus: nubes obtendit atram caliginem, ciliciorum conspectus dissipavit; contenebravit illic cœlum, serenatum est pœnitentia. Asiæ accolæ trepidarunt, ipsos sustinuit continentia; succussa labavit civitas, ne laberetur, succurrerunt erogatæ stipes; aurum solitum multiplicare crimina, crimina expiavit. Inedia se servarunt peccatores, quicumque didicere jejunium, et preces; ciliciis involuti suis exclamavere senes, vitæque labanti firmamenta submittere: quia mœsti flevere juvenes, coronas suas custodierunt, quodque lugubria obduxere sibi virgines, suos expurgavere thalamos; vociferavere mutæ animantes secundum species suas, dominis aquam negantibus. Miscebatur clamor animarum et animalium: voces exaudivit Justitia, Gratia servavit a condita per Jonam die. Multa erat concursatio, supplicatio assidua, jejunium continuabatur jejunio, cilicium jungebatur cilicio, cinis ad cinerem aggerabatur. Non illic oculus quievit a fletu, non illic siluit lingua exclamans et orans clementiam; non illic auris alias audivit voces, circumsonantibus undique gemitibus, et ejulatibus. Non illic aspexere pupillæ nitentes vultus, nec ora ridentia. Tristium et dolentium novæ ad singula momenta lacrymæ; cogente pœnitentia, depluerunt egentibus stipes. Quot diebus congeminabantur multæ preca-

tiones, iterabantur quotidie vota; ad impetrandam quantamlibet opem, publicæ supplicationes indicebantur. Tandem omnis consolationis fontem ibi aperuit Gratia.

XXVIII. Tum vero, obice submoto, temperantiam et castitatem complexi sunt viri fœminæque. Auctore jejuni, inducta est mansuetudo, suamque mitivagit lingua acerbitatem, societate et concordia cives velut membra sibi coaluere. Sic tandem dimisit se Clementia, suaque resipiscentes gratia irroravit. Puberes ornabat charitas, veritas viros, pax odia intestina sustulerat, communis inter matronas taciturnitas et silentium, operosum tamen, et ad omnia præstanda servitia promptum, commune senibus precandi studium, et utilis in dandis consiliis opera. Juvenes continentiam, modestiam virgines didicerant, ancillæque, dominæque mutuam charitatem et concordiam. Non illic fastus, non supercilium, humilis amictus contentionem, æmulationem et iracundiam depulerat, communis servorum et regum religiosa pietas; unus potus dominis et famulis, æqualitas, et unus cibus opulentis et egentibus, humilitas; commune nobiles et mercenarios cubile excipiebat, cilicium; totam civitatem unum ducebat jugum, pœnitentia.

XXIX. Uni omnes insistebant operi, ut unum assequerentur bonum, publicam salutem. Una lamentatio, vocibus licet diversis, per singulos iterabatur dies, unus, non uno quamvis natus dolore, gemitus quotidie ingerebatur, alta ducebantur suspiria undequaque, etsi non uno plorantium emissa sensu. Civitas alia atque alia admirans, omniaque pericula tinens stupebat, et velut assidens super vepres avicula, trepidabat, agitabatur, velut adversis pulsatus flatibus calamus. Cum illuxisset, non credebant cadentem diem se visuros; cum rursus se obtenderent tenebræ, non sperabant sequens diluculum sibi oriturum; obversabatur



quotidie velut ante oculos præsens mors, populus territus inferni januas pulsabat, urbem circumdederunt dolores mortis.

XXX. Jonas numerabat dies, sua scelera Ninivitæ; supputabat Jonas noctes, sua mala deplorabat Ninive; ad septem hebdomadas hunc produxit laborem, insomnis ploravit et flevit. In umbraculo interim considerat Jonas, cum Ninivitæ lugerent in urbe, cumque animadvertisset illos largo fletu malefacta damnare, ipsorum profecto lacrymas timuit, et magis jejunium. Atque illum quidem scerura sua tegebat umbra, quando istos præteritorum facinorum æstus torrebat; at illius mox disjecto tugurio, obumbravit istos dextera Altissimi. Vidit eos fudisse animas in conspectu Excelsi sicut aquam; vidit reges jejunantes, et humi prostratos, plorantes parvulos, vitulos mugientes, et balantes agnos, matres natos suis perfudisse fletibus, et infantium pectora genitricum madefacta lacrymis. Hic vero ingemuit: videbat Assyrios senes effluere in lacrymas, cogitabat populi sui senes disfluxisse luxuria: videbat Niniven lugentem, cogitabat Sionem vitiis corruptam: circumspexit Assyriam, et Jerosolymam se suaque prædicantem vehementer execratus est. Videbat hic impudicas jam nunc amare pudicitiam, filias autem populi sui jamdiu exuisse pudorem. Videbat in urbe Ninive a malis spiritus obsessos, mox liberatos veritatem didicisse: cogitabat in Sione vagari Prophetas mendaces, veteratores dolo plenos: videbat deorum simulacra ab ethnicis confracta: cogitabat populi sui ædes gentilium idolis refertas.

XXXI. Sic tandem proprio experimento doctus, mirari desiit a sacerdote Moysen benigne fuisse exceptum, Eliam a vidua, et Davidem, persequente Saüle, a populo gentili cum honore susceptum. Non ergo sine causa timebat missus ipse ruinæ nuntius, ne vanam efficeret Ninivitarum

pœnitentia prædictionem : interim tamen lacrymas continere non poterat, cum cerneret filias gentilium patriam superstitionem abjecisse, simulque cogitaret populi sui filias flere Adonidem<sup>1</sup> : ab urbe gentili exterminatos ariolos et divinos et per Judæam errantes Magos et Chaldæos, sacrificos fana Assyriæ suis manibus subruere, Judæum contra quemque in Sione ante januam suas erexisse aras. Niniven intuebatur suos velut in Ecclesia congregasse filios, ipsamque sordibus usquequaque purgatam, et jejunium sacrum et venerabile jam habere. Jerosolymam contra Dei templum in speluncam latronum convertisse, Assyriæ regem verum adorare Deum, Jeroboam contra vitulorum fana celebrare : Ninivitas scelera sua in conspectu Dei cum fletu recensere, Hebræos contra suos filios immolare, et macrare filias suas dæmoniis ; Ninivitas suas etiam lacrymas Deo libare, Hebræos simulacris meri prolibare simpulis ; Niniven ubique spirare luctum, Sionem olere nidorem ac thura idolis adulta.

XXXII. Sed si decesserat Judæis spes, eadem gentibus adaugebatur, si Judæis luxus crescebat, Ninivitis submitio. Si in Judæa grassabantur impune vitia, in Assyria luctus aggeriebatur ; nam si vita jam functos superstites deplorant, a Ninivitis etiam viventes plorabantur. Suum quisque natum dellebat, et cognato illacrymabatur. Mulierum species defloruerat labefactata jejunio et fletu, sui quisque sodalis ori libabat oscula, lacrymas simul pectori affundebat. Ingens sane luctus, horribilis dolor, quando valentes et integri continuo subire sepulcrum compellebantur : quo pauciores superabant dies, eo uberiores fundebant lacrymas, quasi homines, qui jam periissent, et in vivis amplius non essent. Jamque aderat tempus, quo credebatur oppidum repente subvertendum ; illuxerat dies,

<sup>1</sup> Ezech, 11, 14.

quo tota civitas casura dicebatur; ubique luctus, ubique fletus et clamor. Lutum depsuere sigulorum lacrymæ, parentes coram consistere jussere natos, ut cunctis illacrymarentur, ac hæredes et hæreditates deplorarent. Ordine simili cum sponsis disposuere nurus, communi esserendas funere. Quisnam tam atrocis spectator facti, animi deliquium passus non fuit? Ut coram astantes conspexere juvenes ac virgines, mœstæ per omnes iere voces et uberes lacrymæ, utque in conspectu venere puellæ, ac pueri clamorem ad sydera sustulerunt, intuentes adolescentum formam et pubescentes natos. Qui humi constiterant, eam diffissam desiderare credebant, seque velut in fluctuantem coniectos ralem.

XXXIII. Consedere senes, et effœtæ anus, astantibus iis, qui utrosque funeraturi credebantur, sublatoque clamore, hæc lamentabantur: « Quis oculos claudet nostros, aut extincta involvet corpora? » Futura flebant funera, quod dicerent neminem superfuturum, qui mortuos sepeliret, et consolaretur superstites; quidquod et sua flebant sepulcra, quod crederent defuturum, qui defoderet humum, tumulumque componeret, sed et pretiosas vestes lautumque suppellectilem; rati neminem fore, qui nudum operiret, aut nudus ipse operiretur. Suae cuique mortis imago ante oculos observabatur, cumque imminentis exitii cogitatio, aut memoria incideret, atrox subibat gemitus. Heu! aiebant, ad qualem exitum vocamur, stupentesque dicebant: « Papæ quale nobis paratur funus! » Cuique suum hiabat cor, cum sentiret terram dehiscere, et collapsus est oris color, cum humum labantem cerneret.

XXXIV. Pavidum assurrexere reges et reginæ, deposito super cilicia diademate: incessebat nimirum cogitatio se ocuis non futuros, qui tunc erant; terram quisque prensabat, et invocabat Deum; quisque, sublato clamore, ad

preces convertebatur, et vota; et pugillum cinere implebat. Non fuit flebile carmen, quod non fuerit decantatum, et cum fletu deductum. Ipsi parietes, ciliciis ferali cinere conspersis, affudere lacrymas; suasque simul agglomeravit tenebras dies, turbato cœlo, et nubibus inhorrescente aëre, conglobataque liventibus nebulis atra spissaque caligine. Fragor fragorem pulsabat, occursabat tonitruum tonitrus, fulgurationem fulguratio continuabat. Quare attoniti circumspiciebant orbem, rati mox ruiturum; flevere se mutuo, velut homines vitam ociosius cum morte commutaturi: fratrem quisque suum lamentabatur, et super dilectum suum ejulabat: sodalem quisque suum appellabat cupiens videre, quem amabat, ejusque supremo aspectu lumina satiare, satagensque, ut amborum verba simul deficerent, et uterque simul ad inferna descenderet.

XXXV. Jamque defluerant constituti dies, ut omnes perinde atque præsentem interitum opperirentur. Cum vero præterisset dies, quæ omnem sublatura spem, et iram completura dicebatur, cumque mox etiam decurrisset nox, post sex hebdomadas prima, perseverante adhuc luctu, sibi mutuo hæc obganniebant: « Qua hora, putas, patria nostra subvertetur? An credis ad posteræ diei vespereas ruituram, aut ad sequentis diei diluculum nostram ruinam dilatam iri? qua noctis vigilia, reris, nostras verberabit aures nostri vox acerbi doloris? » Adeo vespere eodem urbem arbitrabantur casuram, stetit tamen, cadente die. Ergo suspicari cœperunt sequenti se nocte repentino terræ hiatu haustum iri. Nox tamen illa vivos reliquit. Certe antelucano tempore se perituros: transiere tenebræ, illis vita manebat: inde ruinam urbis diei diluculo affixam esse conjectabant: diluxit dies, simul vitæ servandæ spes major affulsit. Sic nempe vitæ incertos, et mortem in momenta expectantes, inexpectata salus debuit

recreare. Interea perstabant attoniti, sodalem quisque presentem quasi absentem desiderabat. Ad quadraginta namque dies, continuis terra succussa motibus, subsultavit.

XXXVI. Inter hæc Jonas, qui se procul ab urbe seduxerat, suspicari cœpit cassam omnino futuram prædictionem suam, eo magis quod cerneret terram subsedissee. Sic ubi spem omnem decessisse sibi Ninivitæ opinabantur, signum remissionis accepere, illuxitque pene desperantibus Dei clementia, ut tali accepto iudicio, jam de salute ambigere non possent, cum cernerent cessasse terræ motum, et fulgurationes ac tonitruos conticuisse. Quod quidem oculos, et aures mirifice recreabat. Quam bonus ille, qui ad Ninivitarum lacrymas respexit, et incolumes servavit! Cæterum etsi non occidit, acerbe torsit, quos spirantes mortem gustare cœgit. Profecto eo senarum hebdomadarum spatio satius fuisset, mortuos jacuisse in tumulo, quam vitam vivere adeo ærumnosam, vita ipsis mansit, nil tamen ad mortem defuit viventibus præter sepulcrum. Occurrens frater fratri presentem non agnoscebat, amicus amico obviam factus, astantis vultum non discernebat. Non auris voces, non oculus imagines distinxit; dolor diuturnus homines in larvas mutaverat, fames corpora siccaverat, duraveratque in modum semiusti torris extincti, tabefacta vigiliis carne, cutis et ossium textum sola remanserant. Ergo dies, quem Jonas credidit urbi supremum, eidem salutem retulit. Ut statim evanescere nubes, et depulsa caligo est, iisque discussis et dissipatis, successit tranquillitas, et reffloruit spes, mortuaque civitas revixit.

XXXVII. Tum vero etsi id ægerrime ferret Jonas, Ninive læta faciem mutavit. Intellexere nimirum omnes certum esse salutis omen, concessam aëris serenitatem. Flexerunt genua ad orationes, expanderunt manus suas ad

cælum; omne os dedit laudem, et omnis lingua gloriam illi, qui post correptionem salutem restituisset, pœnitentia placatus. Nos, dicebant, populum tuum lætificasti, ex quo de pulvere populum tuum suscitasti; novam per te vivimus vitam, in manibus tuis invenimus ista bona, quæ nobis obvenerunt; nostram utique haudquaquam fefellisti expectationem, quod hoc pacto a morte ad vitam nos transtulisti. In manu tua reperimus clavem pœnitentiæ, postquam de thesauro tuo spes bona data est nobis. At tibi, Hebræe, quid profuisset, nos omnes periisse? Ecquem fructum, bone concionator, nostro de pulvere collegisses? Tua quid intererat, fili Mathai, nostrum in tumultu silentium? quid contra tibi officit, quod nostra te pœnitentia illustrem reddidit, nobisque vicissim per te salus reddita est? quodve populus universus suam tibi incolumitatem refert acceptam? An piget te nostram ab interitu vindicasse urbem? Et ex ista acie discessisse victorem? Nobis scilicet resipiscentibus, victoria penes te stetit, quanquam illud abunde tibi esse debet, quod reparator diceris, non auctor ruinæ. Quid quod nec decet te non magnopere gaudere, qui et Cœlitibus gaudium attulisti. Cum lætatus fuerit Deus in cœlo, quin tu læteris in terris?

XXXVIII. Cæterum hoc tu tibi magnificum et eximium duces, Deum ab hominibus cognosci et laudari, hoc te beare debet, regem et populum te Dei Prophetam agnovisse ac reveritos fuisse; sed et nostram, oramus, aspice sobolem, et quam ipsi servasti, vitam precare diurnam. Parvulos vides, isti scilicet manere jussi sunt, quo nomen tuum a multis prædicaretur in posterum: bona apprecare civitati, quæ per te tantum depulit malum, et castigata ruinam effugit. Benedic, Jona, patriæ nostræ, tuum in omne ævum celebraturam nomen; et quoniam senas hebdomadas jejunos transegisti, solve modo jejunium, et mæs-

titiam remittito; lætare nobiscum, fili Hebræorum. Festum hoc magnum est, cujus memoria in omnes ibit generationes, generatio generationi narrabit casum nostrum, nostramque redintegrationem.

XXXIX. Hæc, hisque plura Ninivitæ Jonæ memorabant; ad eum siquidem populus confluxerat, quod extra urbis pomerium, ut dixi, secessisset. Illic porro Jonam audierunt disceptantem, et Spiritum sanctum in ipso contra ipsum disputantem. Duas ergo Jonas agebat personas, Dei, atque suam. Audiit populus Prophetam de se suaque scerura, atque de Domino suo ipsiusque urbe verba facientem, et adversus istam cum ipsius Domino litigantem. Amborum ergo disputantium voces uno ex ore prodibant. Euge Hebræe orator, qui duobus litigantibus causam oras utramque. Circumstabat ingens hominum turba, quodque vernacula regionis lingua uteretur, Prophetam audierunt dolentem suæ sceruræ interitum, sibi que propterea letum optantem.

XL. Jonæ respondit Spiritus sanctus, qui ut ipsius cre contra ipsum pugnaret, ejusdem lingua utebatur. Responsum circumstans populus audivit, et Spiritum pro civitate in hæc verba perorantem. Adeo-ne, Jona, doles interitum Karoæ ignobilis plantæ, pro qua serenda excolendave nullum subiisti laborem? Quam ergo dies una protulit et sustulit, vernantem vidit, et extinctam cum tanta urbe composito. Sceruraque docente, discito sapientiam, et in vili frutice explora naturam clementiæ. Karoæ tu me pepercisse volebas, ego urbi parcere malo, postquam a te in civitatem pœnitentium conversa est. Euge qui umbracula figis, et diruis urbes, et inutilem plantam curas, et angularem lapidem dejicis. Ubi te tua destituit æquitas, Jona? Qui tugurium urbe pluris habes, illud amas, hanc odisti. Siccine Karoam escam hominibus datam, edentibus præ-

fers? Et esculentum mox consumendum pœnitentibus tibi pretiosius est, caducaque folia hominibus ratione præditis sunt chariora, ut ipsis eorumque liberis, ea anteponenda putes?

XLI. Audiere Ninivitæ, et unanimi concentu laudavere Deum, qui causam adjudicabat nocentibus, et pro ipsis certabat. Sic Spiritus Prophetam in advocatum mutavit, et actorem in patronum, ut idem reum in ipsa actione absolveret etiam invitus; accusatorem repulit, ut cives servaret. Jonas vero, ut Dei sententia maneret, suam mutavit. Non contristantur probi improborum pœnitentia, nec Jonas peccatores resipuisse doluit; sed enim multum Prophetæ intererat, ut civitas salutis suæ negotium minime ignoraret; ac oppido inconsulte egisset, si tacitus rem otiose negligenterque dissimulasset. Latet enimvero pœnitentes rerum suarum status, divinæque indignationis processus, et modus, quo per pœnitentiam revixerunt. Prophetavit Jonas, ut Justitiæ iram declararet: scerura moriens prædicavit Gratiæ erga peccatores indulgentiam. Et hæc quidem optime intellexit præsens populus, unde, sublata voce, Deum laudavit pro iis, quæ auribus suis audiverat, et viderat oculis suis; auribus quidem Prophetam concionantem, et oculis virentem sceruram. Viderunt in scerura signum præter naturam, plantam momento natam, et adultam, in ejus interitu majus aliquid intellexerunt, maximam videlicet Dei clementiam.

XLII. Continuo Ninivitæ concionatorem filium Hebræorum peramanter complexi rapuerunt, suisque elatum manibus in urbem regali pompa introduxerunt, ubi in regio collocatum solio, flexis genibus, illum venerati sunt. Confluxere quicumque se peccasse dolebant, eique attulerunt munera, et decimas exolverunt, et vota in præterita temporum acerbitate suscepta. Obtulere pueri zonas, juvenes



torques, coronas, cingula et fascias, adjecitque rex ex regis gazis magna dona, quibus benemerentem locupletissime muneratus est. Quod reliquum fuit, cum uno ore omnes omnia bona Jonæ dixissent, allataque dona et decimas Deo sacras in præparata vehicula importassent, dedere etiam viæ comites, qui revertentem eo, unde venerat, honoris causa obsequerentur. Cum hac scilicet pompa plane regali fuit deductus Jonas, sic ut filio Mathaï omnia honoris officia exhibita fuerint, qualia filio regis præstanda fuissent.

XLIII. Piscis Jonam in pelago vexerat, in terra regius currus. Sepultus aquis despectus jacuit, ut inde emersit, magnifice exceptus est, cum per maris undas iter ageret; præivere pisces. inde in terram rejectus, equites habuit apparitores; scidit mare cum descenderet, etiam terram cum ascenderet. Ejus præsentiam sensere maris pisces, sensere etiam homines in terra. Atrox tempestas miscuit mare, ingens tumultus turbavit urbem. Freta intrantem pertimere terribiles belluæ; inde revertenti munitissima oppida præbuere transitum. Piscis, qui missum sub aquas deglutiit, immanis fuit; potentissimus fuit, qui illum suscepit rex inde remissum. Piscis viam aperuit, rex munit. Cetum illo plenum pisces alias secuti fuerant, illius rhedam nunc stipabant equites.

XLIV. Interim rex præfectos præcedere jussit, et viam mox ingressuro diversoria præparare. Deus viam, qua fuerat ducendus, piscem docuit; quanto cum honore nunc deducendus esset, rex ostendit. Par in itinere populorum in eum obsequium fuit, quacumque transiret, obvios habuit flexis genibus venerabundos. Acerrimum oratorem reverebantur reges, et honorabant, ejus scilicet oracula timebant. Illius conspectum expaverunt urbes, dum ab ejus ingressu sibi ruinam ominantur, quare omnes ubique

illum summa cum reverentia exceperunt, Ninivitarum casu eruditæ; speculum nempe fuit Ninive, in quo justitiam totius orbis didicerat.

XLV. Jamque sui populi fines Jonas attigerat, patriamque in prospectu habebat, cum Assyriis, qui illum eo usque secuti fuerant, valedicere statuit, eosque cum pace ad propria remittere; merito namque verebatur ne multiplicem suorum Hebræorum idololatriam aspicientes, perversis illorum moribus imbuerentur, qui suos per pœnitentiam correxerant, atque a Judæis discerent male agere, qui ut ipsum hoc dedicerent, gentes reliquerant; nec immerito cavebat ne quod curatum coaluerat ulcus, per eam occasionem refricaretur. Oppido quantum obest privati cujusque prævum exemplum, quanto igitur nocentiora esse oportet illorum exempla, qui aliis eminent sublimi gradu, et inde male agendo labuntur et peccant. Item si nocet peccator modestus et verecundus, quanto majorem perniciem parant, qui peccant, ut eos peccare non pudeat; qui cum ejusmodi impudentia nefaria perpetrant, vitiorum fermentum in alios vi quadam infundunt, ut eos sua consuetudine, et familiaritate pudorem tandem exuere cogant.

XLVI. Jure igitur merito timuit Jonas, ne populus sceleratus, qui omnia corruerat, hospites etiam inficeret, et quos pios a gentibus acceperat, impios et idololatrias remitteret. Hærebat tamen, quod causam aperire nollet, et sine causa dimittere erubesceret. Sin autem, re dissimulata, venire secum permetteret, vere metuebat ne Chanaani nepotes in Hebræorum terras introducti, filiis Abrahæ insultarent. Comitibus idcirco egit gratias, libavit oscula peramanter, sancte benedixit, multa sapienter disseruit, monita dedit suavissima, suasitque ut redditum consulenti pro ratione obtemperarent; sin minus dimissionem pro gratia concederent petenti. Preces adjecit infimas,

nec precantem reveriti sunt, obsecrationes interposuit, nec puduit eos negare; rationes produxit, nec quemquam flexit. Suprema admovit oscula, nec persuasit, ut recederent.

XLVII. Certum est, aiebant, tecum eo venire unde plurima nos hausturos bona confidimus, morum certe disciplinam, et recte vivendi præcepta percepturos. Inde profecto discemus justitiam, popularium tuorum modestissimis moribus eruditi, vitæ etiam integritatem et innocentiam, hanc quippe tenent, qui ibidem commorantur indigenæ, et ad illustria insuper facinora illustrium virorum exemplis excitabimur, quorum magnus ibi proventus. Licet, te oramus, cernere terras, quas idolomania nunquam invasit, et laudare provinciam, quam vana augurum, et hariolorum superstitio nunquam oppressit. Jucundissimum sane erit observare sabbata populi a labore juxta atque a labe vacantis, et cum circumcisis versari, qui una cum carne circumciderunt cor, et cum Beatis, in quorum terris nulla morantur vitia. Scilicet populus alienæ luxuriæ reprehensor, luxuriosus non est; vitiosorum accusator, quam longe a vitiis abesse censendus est, quique cæteris populis velut virtutis speculum propositi sunt, quam opido bene moratos esse oportet. Externos docuere jejunium, an credibile est eos esse intemperantes? Cæteros ad ingenuitatem et fidem formarunt, incredibile est eosdem esse veteratores et fictos. Qui nos despiciatos habuerunt, olim multis criminibus implicitos, quis despiciendos putet?

XLVIII. Ne, quæso, Hebræe, nos tantis carere bonis patiaris; fecisti pœnitentes, justos nunc facito. Laboris hanc nobis reddito mercedem, ut concedas populi tui conspectu, et consuetudine ad tempus frui, atque ab illo formam virtutis, et probitatis exempla in patriam nostram transcribere, ubi nobis occurrent juvenes optime morati,

liberaliter educati pueri, reges tales, quorum institutis rex noster proficere debeat, iudices, quorum disciplinam popularibus nostris nos communicare debeamus.

XLIX. Ecquis referat omnia, quæ homines piæ vitæ initium nuper exorsi ad rem suam accommodata produxerunt. Quid interim Jonas? Dum illi talia hisque plura dissererent, ipse submissa fronte, defixisque in terram oculis, dicentes tacitus audiebat, aliquid contra reponere prohibente pudore, ut qui popularium suorum impietatem et scelera minime ignoraret. Id sane magis pupugit filium Mathai, quam illud de scerura, et sole torrente caput, quando sibi etiam mortem optavit. Una erat ex his salebris se expediendi via si fugeret, at nullus fugæ locus; quin et acerbius torserunt isti, quam qui raptum in mare ante projecerant.

L. Quo namque prætextu velare posset popularium suorum flagitia? Artem ergo, qua in mari usus fuerat, in continente adhibuit et complevit: sicut astu nautas persuasit, cum fugeret; sic rationem, qua non movebatur, prætexuit, et Ninivitas flexit, quo ab ipsis se divideret.

LI. Causas obtendit, composuitque insuper artificia, ut Ninivitis diceret: « Festum agitur hodie in terris nostris, nec advenis illuc intrare conceditur. Festum est filiorum populi, gentilibus proinde interdictum. Festum est circumcisorum, et incircumcisis illuc pervadere non licet, cum sitis pœnitentes, circumcisi non estis: violatur festum intemerandum incircumcisorum præsentia. Abscedite nunc non inviti, salvique et sospites patriam repetite, redituri peracta hujus festi celebritate: consilio nostro acquiescite; admittite nostras preces, petitionique nostræ annuite. »

LII. Nec difficile fuit homines, ut erant simplices et ingenui, Prophetæ precibus remolliri, passique sunt illum

abire, accepta ante ab eo flexis genibus benedictione. Egredere sane tulit Jonæ discessum universa multitudo, seque, obiecta ab illo festi religione, a spe sua dejectos fuisse doluerunt. Neque vero Jonas tantum timuit, quod hospites in multis sefellisset, quantum timuerat, ne non obtemperarent, neque a sententia discederent. Jamque ille longe aberat, ipsique Judææ fines, nec dum reliquerant, cum subiit cogitatio, editissimum montem, quam forte in prospectu habebant, sine mora conscendere, et illuc terram, ad quam visendam aspiraverant, contemplari.

LIII. Superato itaque jugo, ad summum verticem evasere, ut quoniam terræ promissionis ingressu prohibebantur, aspectu certe minime fraudarentur. Inde subjectas Hebræorum ditiones circumlustrare oculis, et considerare cœperunt, etsi contrario votis exitu; expaverunt videlicet spectaculum oppido horrendum, et attoniti hæserunt ad horam, mentis vix compotes suæ: occurrebant nimirum aræ montibus, et editis quibusque locis impositæ, luci nemoraque idolis sacra, arbores turpissimarum libidinum umbracula, erecta in domorum vestibulis simulacra, atque sub exitum et introitum adorata. Nec idolorum numerum assequi facile erat, sed nec vitiorum: videbant in tectis coli statuas, sed et libidines exerceri in hortis, augures insidere vias, et incantatores per vicos, et fora vagari.

LIV. Rursus in editiora loca subeuntes, observabant in solariis excitata altaria, et alios quidem saxum adorare, et alios malis dæmonibus libamina offerre; erant præterea ante oculos vituli, quos Jeroboam conflaverat, locaveratque alterum in Bersabee, et alterum in Dan. Isti crematarum hostiarum nidore honorabantur, et libaminibus ac sacrificiis; quando mortuorum vitulorum cultores ab ejusdem generis bestiis viventibus de scelere, et perfidia arguebantur; nihilominus coram istiusmodi mera artis fig-

menta, unusquisque reverentiæ causa vertice terram quætiebat.

LV. At nec deerant ibi avaritia, et comes nequitia et fraus, luxuria et soror ebrietas, lascivia et conjux incestus, dolus et compar rapina, divinatio et secretorum ejus particeps magia, chaldaïsmus et pedissequa auguratio, publica crimina et cognata privatorum peccata, oculis se ultro offerebant manifesta incolarum flagitia; viri in prostibulis frequentes; fœminæ, mater cum filia, velut obtento laqueo, obsederant trivia. Tota mors ibi, totus ibi diabolus, amicus mortis intimus. Principes nequissimi, et sceleratissimi judices, illorum avaritia ignis, iniquitas gehenna, domicilia foveæ, voragines ædes; clibanus succensus fœnerator, debitor diabolus, se invicem ambo torquentes, quo tandem ad sempiterna tormenta ducerentur ambo: minores majorum numina reverebantur, et jurabant. Divisere nefas cum gentibus, ut parte una istis relicta, sibi novem et nonaginta retinerent. Ecquis tot scelerum censum inire posset? Adeo increverat numerus, non tot perpetrare crimina hædi filii sinistrae.

LVI. Exhorruere tantæ nequitiae conspectum, quare se mutuo interrogabant; « Quid istuc? Num spectrum illius terræ promissionis somniantibus oblatum? Aut Sodoma ipsa videmus? Abrahami-ne nepotes, an verius mali dæmones nobis occurrere? Homines-ne cernimus, an sub humana forma spiritus oculos fallunt? Jam dubitare licet, ut huc nostræ regionis perfidia commigraverit, et simulacra, quæ illic confregimus, huc fuerint reposita, perindeque suspicari venit, ut aræ, quas illic disjecimus, alas sumpserint, et perpeti volatu huc se demiserint. At vero pestis, quæ in terris nostris cessavit, quomodo hic avidè concupiscitur? Stella, quam ejuravimus, quomodo hic adoratur? Auguria apud nos sublata, quomodo hic ampla

obtinent fora; et ex omnibus fenestris se exerit, quæ nos deseruit, idololatria? Signa zodiaci, ut videtis, quæ nos abolevimus, isti domorum foribus inciderunt. Petulantia, quam castigavimus, frontes istorum insedit, et quam fugavimus, lascivia in horum oculos invasit, hanc pupillæ loquantur et nares. Sol, quem trans fines illorum nullus vicinorum adorat, quomodo hic colitur? Vituli, qui alibi despecti negliguntur, quomodo hic honoribus afficiuntur divinis? At vero, qui aiunt propria patriæ vitia huc transmigrasse, observent hic bene multa alia nefaria admitti, quæ nostris popularibus ignota sunt, et sine fine execrata. Flagitia hic notantur nostris invisita terris.

LVII. Quadrifrontem Deum Micha invenit. Serpenti æneo nostrum nemo libavit, aut divinos honores tribuit. Scilicet in populum hunc maledictio antiqui serpentis incubuit, et merito quidem vivi Serpentis execrationi subjecti sunt, qui mortuo serpenti libamina offerunt. Dæmoniis nunquam sacrificavimus natos, quos tamen hic a parentibus cremari vidimus, pecora nostra in nostris sacris cæduntur, hic et filix jugulantur; si populi hujus tales sunt sospitatores, tales et mores; si tales leges, talia item et opera; quorum tales parentes, talis item et soboles. Populum, cui hæc finguntur numina, idolorum fabricatorem esse consequens est. Siccine gens, cujus unus est Opifex, Deus, idola fugit, et pretio distrahit. Interim magna nomina jactant, quod filii Sanctorum audiunt, sibi bique abunde esse putant, quod filii Jacob nuncupantur. Ex quo ascivere sibi nomina Justorum; fatui se justos evasisse credunt. Illorum nomen fusum est per omnes gentes, postquam in omnia scelera diffluxere mores.

LVIII. Filios justos se arbitrantur, quia censentur Abrahamo patre nati, et aiunt: « Nomen Israël invocatur super nos, » vana isthæc omnis nominum pompa est; sed et in

hoc maxime sibi placent, quod circumcisi sunt, peccatores tamen sunt et ipsorum acta parentem Abrahamum minime referunt, cum eos oppido magis delectet ejus nomen et circumcisio, quam pietas, fides. Quid? Quod et sabbatum ipsis a Deo traditum pluris faciunt, quam Deum; Deum arguunt, si suas solvit leges, et legem Legislatori imponere audent; ipsi itaque sine lege, et sub lege Deus. Majorem fecere Legislatori legem, non ut legem observent, sed ut Legislatorem sugillant. Despiciuntur Moyses, et Prophetæ, si cum sacrificiis conferantur; sua sacra unice prædicant, hostiam offerentes superbiunt; hoc illis satis, qui in fumo gloriantur; hoc satis visum visu carentibus, si cæsarum bestiarum sanguine ac retrimenti turpentur. Victimam a Deo amari putant, plus quam puram veritatem, quam docuit.

LIX. Hæc de Hebræis disserebant inter se pœnitentes Ninivitæ, adeo quantum optaverant promissionis terram conspiciere, tantum ejus postea conspectum abominati sunt, quia et fugerunt; mirabantur scilicet Hebræorum, quæ videbant, scelera, perinde ac si sua, quæ exuerant, vitia illi induissent, et idololatriam, quam gentilis populus abjecerat, populus Deo exosus collegisset. Accingere sodes, aiebant, excedamus hinc, ne forte cum perduelle populo eadem involvamus noxa. In Ninive spes ingens, hic ingens timor. Nec temere suspicari est, ut hæc regio cursura sit pro Ninive, quæ stetit, quanquam si vera fatemur, populus hic est avulsus et subversus; populus utique non est ille quondam formosus, postquam nostram induit deformitatem. Jonæ vero memoria nostratibus nunquam excidat, quibus salutem impertiit, omniaque isthæc contulit beneficia. Hæc locuti, retrocedebant stupore ac timore suffusi; discutere tamen utrumque, beati, lætique viam ingressi sunt in patriam redituri.

LX. Interea vero, dum secum singula, quæ acciderant,



distincte recolunt, insolito et vero gaudio exultantes, sequens cecinere carmen: « Magnificemus Deum, qui per populos gentiles hebræum populum confudit; illius nomen prædicent imprimis peccatores, quoniam justitiam adepti sunt, immundi quicumque per pœnitentiam suas eluerunt sordes; novis hunc amplificent laudibus, mœstis quicumque agitabantur curis; postquam perturbatæ mentis serenitatem consecuti sunt, pace reddita, iracundi, impudici temperantiam posthac amantes; largiter, et liberaliter agere edocti avari; intemperantes jejuniis assuefacti; ebriosi in potu tenere modum admoniti; rapaces facti benefici; homines perditæ luxuriæ a libidinibus revocati; impudentes et perversi persuasi oportere intra limites justorum se continere; recuperatoque cum ratione iudicio fatui; maledici, et obtrectatores docti cohibere linguam, et bona verba loqui. Deum adoret pupillus, nutritorem nactus, et vidua, quam ille oppressam, clamantemque exaudivit, et relevavit. Laudet mendicus, qui cartallum implevit bonis; agricola, qui, accedente uberiori proventu, auxit juga bouum; aratores item, et vinitores etiam in suo quisque opificio artifices. Deum magnificent reges, quod, re communi bene constituta, urbes et regna pacaverit; milites magnis erepti periculis; præfecti suis restituti præfecturis, et recuperatis fortunis locupletes. Patres ob auctam suis spem liberis; liberi parentum aspectu potiti; simplices parvuli productis vitæ spatiis; humeris circumgestati infantes; prægnantes, salvo ventre, et prole servata; novæ nuptæ cum lætitia in thalamos introductæ; matres filiarum benedictionibus gaudentes. Deum præterea laudibus efferant iudices, quoniam non secundum iudicia sua fuerunt iudicati. Optimum etiam glorificent duri exactores, quia exactum non est ab eis, quemadmodum ipsi exegere; seneratores, a quibus non est repetitum, quod jure

debebant; debitores, quia æris alieni syngraphas delere licuit; grassatores, quoniam quæ seminaverant, non mesuerunt; prædones, quicumque in beneficos repente transierunt. Offensor et offensus Deo gloriam tribuant, postquam ad concordiam ambo redierunt; injuriam qui fecit, non retulit, et qui accepit, non repetiit; quique in privatis domibus terræ succussionibus trepidaverant, posuere metum; arcium similiter præsidarii incolumes servati, impetratoque longiori vitæ spatio; ancillæ et servi sospites, cum dura servitus sepulcorum libertate potior sit. Lætata est mater, quia unigenitum suum iterum adepta est. Omnes cujusvis ætatis, et status laudem Deo dicant, læti se mortis faucibus modo ereptos, quodammodo revixisse. »

LXI. Jam si Ninivitarum pœnitentiam cum nostra conferamus, dico quod prius dixi, hæc umbra est. Qui sibi veram statuit pœnitentiam, semper timet, nec si aliqualis affulserit spes, supplicii, quo ante affectus est, memoriam deponit. Servus, qui ab herò quotidie vapulat, præteritarum plagarum nunquam non meminit; quisquis, amoto verbere, oblitus discussit metum, principio culpam dolet, in fine repetit, ad audendum quodlibet facinus projectus, ut qui sibi persuasit nullum exinceps sibi metuendum malum; vel Altissimum, quæ ipsius indulgentia est, scelera in posterum minime vindicatorum. Ninivitæ moniti, totum animum ad pœnitentiam statim appulere. Omnes, succussa continuis motibus urbe, sub initium culpam confessi sunt, et omnes in fine Deo laudem tribuerunt et gloriam, quod ad instar fluctuantis navigii agitatum civitatem servasset; ipsa jumenta mutæque pecudes, nedum homines ratione præditi agnovere beneficium, quod tandem licuisset deponere mœstitiæ saccum, et ad lætitiâ candidis se stolis componere. Sit ille benedictus amator Justorum, qui in Assyria peccatores ad pœnitentiam traduxit.

## SERMO XII.

Hæc cum dixisset, clamavit voce magna : Lazare, veni foras <sup>1</sup>.


I. Quoniam conglobati undique me comprimitis, auditores, dicite hoc primum mihi : « Factum-ne isthuc, ut ipse loqui compellar, aut vos obtusas attulistis aures, unde tacere cogar? Planius et apertius dicam : « Huccine adegit vos sitis bibendi sapientiæ merum? » Secus absistam invitis præbere liquorem, a divinæ Sapientiæ vindemia expressum. « Sitientes venite ad aquas <sup>2</sup>; » Propheta clamat : « Attendite, » ut sitientes alloquitur, nempe repellit nauseantes : ideo subdit : « Inclinate aures vestras, et venite ad » me, audite et vivet anima vestra <sup>3</sup>. » Fons Sapientiæ ab alto emicat, defluitque ad ima? sitientibus tamen. Quisquis ergo sitire desiit, abstineat. Non propinamus invitis, nec ad bibendum cogimus fastidientes. Quicumque rerum caducarum specie illectus in aliud suspirat, discedat, et ego dicere incipiam : « Quanquam nec mihi decrit auditor, nec illi quod audisse, non pœnitebit. Si quis divina fastidit, ut ipse non cogitur audire, sic nec ego loqui. Quisquis animum, necdum abstraxit ab eo, quod est in rebus inane, sed adhuc vana miratur, et ambit, hic nec me dicentem intelliget, nec ego audientem alloquor, illum dico, qui Græcorum insana adhuc superstitione tenetur. Quid? an hujus sectæ hominem, ut audiat, rogabimus? Quin ipsi illum adeamus, quæ narrantur ei, fabulas audituri. Profecto qui plurimum deorum religionem laudantibus assuevit,

<sup>1</sup> Joan. xi, 43. — <sup>2</sup> Isaï. lv, 1. — <sup>3</sup> Ibid. 3.

hunc me dicentem audire minime delectet, qui unum Sem-piternum prædico; quique dearum turbam, qualem ipse novit, tanto nomine indignam, magnis tibiis canit, huic ne placitura reris verba celebrantis admirabilem Virginis partum? Linum, quod in Christo netum non est, ad textri-nam meam non accedat, spiritum loquor, vasa electa re-  
posco.

II. Adesto Ecclesia Christi, hoc scilicet tibi paratur me-  
rum, tuque tibi mixtum calicem hauries. Te nimirum inte-  
gram, omnisque sceleris puram alloquor, cujus etiam est  
animus a rebus vanis, et caducis remotus. Aperte ac plane  
vera, et certa sapientiæ arcana promemus. Nec enim ve-  
ritas sub aliena specie larvata incedit. In publico insistit,  
reductoque velo, fronte aperta, sua se conspicuam offert  
in excetra; erubescit enimvero, quem tenet cœtum quoquo  
modo fallere. Inditam sibi Sapientia habet veritatem, spec-  
tabilis ac præsens interrogat, atque propriis modis sua per  
se declarat; nam sicunde fallere placeret, cuniculos quæ-  
reret, et latebras circumspiceret; sed quoniam veritas est,  
ut certe est, ejus vultus minime variat; et quidem si forte  
aliunde obscura foret, cam latere minime dedeceret, sed  
quia lux est, et statim a suo exortu vim habet maximam,  
in publico, cuivis conspicua, sedet.

III. Hæc itaque sapientia libere vobis se repræsentat.  
Vos interim videte, ut auditum afferatis minime impedi-  
tum, pronisque auribus auscultetis locuturam. Res habeo  
visu mirabiles, quas vestris oculis proponam. Oro vos, sa-  
pienter cernite, et dijudicate singulas cujusque miraculi  
circumstantias. De gestis Christi, sub aspectum cadentibus,  
unum afferam, cujus sane arcanum fidei reservatum vel  
ipsum Prophetas latet. Purgate mentis oculos, rem vere  
magnam spectaturi. Et postquam veritas explicuerit quod  
suum est, quod vestrum est, si miraculum est, plaudite.



Ago jam prodito in medium, tu qui mortuus et putrefactus, nunc tumulo redivivus prodiisti, Lazare, accede, unde fiat manifestum et publicum, quod in te exhibitum fuit prodigium: scilicet sub terram missus, et sepultus, repente supra terram emicas, ligatus ambulas, compeditus saltas. Videat populus rerum novarum studiosus, quod nunquam satis miretur. Ego sane, ex quo meas pepulit aures vox illa suscitatrix mortuorum, vix ipse mihi consto præ stupore. Eia igitur, cum summa admiratione factum summopere admirandum excipiamus. Unum Christi signum paucis exponam, quanquam nec uni sufficiam, cum omnia ejus miracula omnem dicendi facultatem superent, singula namque plane supra naturam sunt.

IV. Misit Altissimus Filium, qui quidem paucos a morte ad vitam revocaret, paucorum tamen suscitatione futuræ omnium mortalium resurrectionis specimen exhiberet. Dei itaque Filius omnipotens ad infirmum hominem se demisit, lapsum relevaturus immortalitatis spe mortuis aliquando reddendæ. Ac subigendum ergo mortis castrum æterni regni Hæres missus ad nos descendit, illoque in potestatem redacto, sua in eo fixit signa, et reportatæ victoriæ tropæa erexit. Duodecim Ducum opera, quos hujus expeditionis socios sibi ascivit, tenebrarum urbem sua amplitudine superbam expugnavit. Obierat Lazarus, cadaver sepultum jam fœtebat, in isto potestatis suæ specimen dare constituit, quo mortuorum resurrectionem, quam dicto affirmabat, evidenti facto testatam relinqueret. Nec enim priscae ætatis hominem quempiam suscitandum sibi proposuit, ne generis et parentum ejus ignoratio laqueum faceret præsentis temporis hominibus; qui si Sethum, vel Enosum, aut ipsum generis humani auctorem suscitasset, eos revixisse negarent, quos aliquando vixisse ignorabant. Uni ergo ex præsentis temporis hominibus mortuo vitam reddidit, ejus

resurrectionem notum parentis nomen, præsentium testimonium auctoritas, et ipsorummet cadaveris funeratorum testimonium, ratam, exploratam, et indubitabilem efficerent.

V. Puellam e mortis faucibus retraxit, e Manibus avulsit juvenem, Lazarum vero demissum in ejusdem stomachum, hujusque vi labefactum, et ad vitam revocavit, et ad pristinam integritatem reduxit. Nec enim ea una cura fuit, istos, quos dixi, vita donare; sed, facta iis potestate resurgendi, tres mortuos velut obsides e sepulcris sustulit, quibuscum regionem mortis ingressus, illic vitæ vexillum crexit. Sic omne genus humanum afflictum futuræ resurrectionis spe relevavit, quam præsentis trium mortuorum testimonio ratam, ac certam faciebat. Ætates, ut personas distinxit Sapiens, tres in triplici ætate delegit, virum, puellam, et juvenem. Definito numero omnes generatim homines comprehendens, priscae ætatis, mediæ, atque infimæ, quo significaret generalem omnium mortuorum reditum ab Adamo mortuo usque ad postremum ex ejus sobole moriturum, atque a vicini temporis defunctorum restitutione, remotæ ætatis sepultis fidem promissæ resurrectionis redderet certiore. In Lazaro primos, in juvene medios, in puella ultimos designavit, et similem cunctis resurrectionem edixit.

VI. Ergo cum præteriti temporis hominem, ut huic negotio minus idoneum repulisset, Lazarum delegit; testemque aperte resurrectionis opposuit populo pertinacissimæ perfidiæ, Lazarum, inquam, Bethaniæ civem, cujus, ut patria, sic familia erat notissima, non ignotæ sorores, et cognati præsentis; dies insuper discrevit, quibus cœptus in ejus funere luctus erat acerbior, et uberiores amicorum lacrymæ, cumque jam per universam synagogam, illam veritatis inimicam, facti fama percrebuisset, omniumque Judæorum aures de funere Lazari calerent, et ora loque-

rentur : cum fratri sorores justa persolverent, prius quam aut dolorem mitigassent dies, aut divulgatam mortis notitiam temporis intervallum obscurasset, cumque ad relevandum sororum de funere fratris mœrorem Judæi ultro citroque frequentissimi commearent, ac proinde nemo de ejusdem obitu ambigeret, præsertim cum funerationis, ac sepulturæ testes plurimi adessent, et cognatorum ac familiarium planctu ædes personarent : tum denique resurrectionis nostræ Auctor sese ostendit, suamque potestatem manifestare instituit, non quod, ut prius dictum est, sua multum referret, Lazaro vitam reddere, sed quod summo opere satageret resurrectionis veritatem ratam testatamque relinquere. Reditum itaque omnibus ex hac vita migrantibus præmonstravit, cum unius mortui resurrectionem præmisit, ut perinde videretur, vexillarium vitæ in mortis castrum impulsisse. Quod autem adventum distulit, dum cadaver putresceret, hoc fecit, ut fœtor mortem testaretur, et mortui excitatio generalis resurrectionis fidem astrueret. Trium dierum spatio per regiones mortis mortuus erravit integer, inde in corruptionis mare descendit. Mors illum per tres parasangas circumduxit, et ad quartam in ima prolapsus irreparabilis casus oppressit.

VII. Suum Jesus adventum protelavit ad terminum casus, quod vellet lapsum ex imo cavernæ recessu extrahere, et factam mortis in illum impressionem infringere. Abstulit mors exanimem, et in sepulcrum intulit, ibique absumentum vermibus commisit, cessitque. Tinea ossa admordit, et tabes carnem labefecit. Mortuorum fretum mortuus subiit, et sepulcorum naufragio obrutus est; in Oceanum mortuorum provectus est, inibi silere jussus. In profundum laci, in quo jacent datæ tineis prædæ, compactus est, ut quos ibi tenebat mors, oritura ex ejus reditu spes resurrectionis exhilararet. Illum submergi permisit

Jesus, et mortis abyssum contingere, ut vox eundem excitatura, illic pervaderet, et infernorum capita proculcaret. Illum mors e vitæ sinu captivum abstraxit, conjecitque in arcem munitissimam, obseravit obfirmavitque portas, confidens nec vi, nec arte expugnandas. Jesus autem restitit in loco, nec ultra processit, dum tabus in cadaver influeret, ut conspicuo et præsentè testimonio convictus, nemo postea de ejus resurrectione dubitaret. Factum, qui noverat, Discipulis suis aperuit : « Lazarus, ait, amicus noster mortuus est <sup>1</sup>. » Quo absens affirmavit mortui resurrectionem mox secuturam, suam indicavit potestatem, quo eandem distulit usque ad corruptionem cadaveris, peractæ resurrectionis grande fuisse miraculum ostendit.

VIII. Puellam intra paternam domum excitavit, patrique reddidit : juvenem elatum ad tumulum, in ipsa funeris pompa ad vitæ usuram redire jussit. Lazarum contra deseruit, donec in clauso sepulcri contabesceret, ut nimirum vox imperantis reditum, in arcem Fortis penetraret, et inde extraheret sepultum. Suis ex ædibus mortuos evocavit, deque pompa funeris, et ex ipsis tumulis, ut in qualibet mortis via velut funales faces, futuræ resurrectionis indices collocaret. Hinc migrantium semitam redituræ vitæ spe irrigavit idem, qui potestatem imperandi resurrectionem, in ejusdem principio, medio ac fine patere voluit. Propterea suum adventum ad obitum amici sustinuit, ut ad vitæ metam perveniret, unde illum retrocedere post cogeret. Mortem vitæ Auctor insecutus est, eandem recalcan, in qua illa dominabatur, viam; satagebat nempe promissæ resurrectionis rore eandem aspergere usquequaque ab initio usque ad finem. « Mortuus est Lazarus, dixit, et gaudeo, quoniam non eram ibi <sup>2</sup>. » Noverat utique cadaver

<sup>1</sup> Joan. xi, 11 et 14. — <sup>2</sup> Ibid. 14, 15.



eo intervallo corruptum iri, restitit tamen in loco, ut defectum reficeret.

IX. Postquam vero mors ad tertium diem cadaver obtinuerat et ad quartum tinea rodens ejusdem figuram deformare jam cœperat, Jesus cum suis Discipulis intravit, et funeratores ibidem congregatos appellans, « Ubi, ait, » posuistis eum ? » De re sibi oppido comperta percontatus est notæ proterviæ homines; luce siquidem meridiana clarius est illum ea notitia minime eguisse, sed tantum inde de sepultura constare voluisse, illos nimirum ea disquisitione premere, et comprehendere voluit. Non « Ubi positus est Lazarus, dixit, aut ubi sepultus jacet, » sed « Ubi, » vos qui adestis, illum posuistis? vos Lazari funeratores, » dicite. » Illorum nempe garrulitatem noverat, quantumque famam gestorum ejus extenuare studerent. Nec porro absimili quæstione etiam Patrem quidam aggrediuntur, ego vero hunc pio venerabor silentio, ab hujusmodi disceptantium strophis remotus. Veritas per se ipsa subsistit; nam et si sermo haudquaquam fidei adversatur, simplicitas tamen, velut reducto velo, intuetur veritatem qualis in se est, rejectaque garrulitate, et petulantia stat pro illo. Verò, quod controversias, et disceptationes non patitur. Quid? Ais-ne majus fuisse sepulcri locum non ignorasse, quam sepultum et putrefactum suscitasse? Certe occulta se nosse ostendit, quando absens Apostolis suis dixit: « Lazarus amicus noster mortuus est. » Perfidiosos nihilominus funeratores præsens interrogavit; « Ubi posuistis eum? » quo ab eis responsum sepulturæ arriperet, antequam ad eum suscitandum progrediretur; scilicet, quæ fuit ejus sapientia, ipsos funeris curatores induxit coëgitque fateri Lazarum reapse fuisse sepultum, ut eo ad vocantis imperium resurgente, resurrectionis ejusdem testes evaderent. Percontanti ubi

1 Joan. xi, 34. — 2 Ibid. 14, 15.

Lazarum posuissent responderunt : « Veni et vide <sup>1</sup>, » jam vero suomet responso tenebantur, ne a vero ad ineptias defluerent.

X. Non inde ergo colliges Filium esse Patre minorem ; quod de sepulcro sciscitatus est, vel quod ad Lazari illacrymatus est funus. Carnis scilicet assumptionem testabatur cum fleret, ut cum sudaret, et quidem vere flevit et sudavit. Nec ista Filium Patre minorem faciunt, qui perinde, ut Pater, mortuis imperat resurrectionem. Flevit, ut carnem testaretur ; mortuum excitavit, ut declararet potestatem ; interrogavit, ut adversarios convinceret ; ut sanctitatem suam manifestaret, oravit. Sed neque ejus ad tumulum oratio ejusdem Genitore inferiorem arguit, quod etiam ex ejus verbis disces, quod non ex necessitate oraverit. « Propter populum, qui circumstat, ait, hæc dixi, ut » credant quia tu me misisti <sup>2</sup>. » Curabat mentem populi auribus laborantis ; scissique palam in contraria studia, plerisque negantibus eum esse Altissimi Filium, idcirco omnia opera sua ad Patrem referebat, quos ostenderet non ex rapina eam in mortuos se exercere potestatem. Infima nihilominus in se suscepit, ut qui sapiebant, in minimis ejus charitatem suspicerent.

XI. Non hoc hujus loci argumentum est. Clara nitet veritas, nec nostro indiget testimonio. Perfectus est Genitus, qualis et Genitor ; admirabilis est Unigenitus, qualis et ille, a quo missus est ; excitator mortuorum est, qualis et Pater ejus ; quem mortuum flevit, vivum fecit. Plura de hoc arcano mihi dicenda recurrent, si tamen modo videam orationis nostræ semen in auribus vestris progerminasse. Quamquam etsi minus aridet vobis quod seritur, seminare non desinam. At vos absistite, quæso, lapidum ad instar ad audita stupere, aut similes fieri vepretis, et publicis viis. Ex-

<sup>1</sup> Joan. xi, 34. — <sup>2</sup> Ibid. 42.

purgatum Christi agrum accepistis, videte ne repullulantibus spinis iterum obruatur; crucis aratro proscissus est, nullis nullibi impeditur sentibus; hunc quippe fundum excoluere benedicti a Deo Apostoli ferro cæsi et lapidibus obtriti. Filius Dei eo, quod passus est, instrumento ad eundem colendum præparavit. Crucis ligno zizanias evulsit, rupes in eo repertas dissecuit, ne qua pars otiosa ad crucis proventus remaneret. Adorandus Deus diis falsis personam detraxit; hujusmodi videlicet spinas terra nostra protulerat, quas ille, excitato mox ab Apostolis igne, etiam cremavit. Asperas hasce sentes Crucifixi passio eradicavit, caveat quisque ne diabolus per ludos illas iterum seminet. Nil charius mortalibus, atque mortuorum reditus, et hic e superiore loco mortuorum resurrectio annuntiatur. Ohe lutum, te Dei misericordia finxit, et in pulvisculum aliquando rediget, quid, cedo, tibi jam jucundum sit, quam audire tuæ restitutionis historiam? et quidem hic ex dictis, et factis tuam redintegrationem discis, in spectaculis vero idololatriam spectas per ludos et jocos tibi repræsentatam.

XII. Sed age, reliqua expediamus, quæ ad Lazari historiam pertinent, paucis tamen, quamvis illa tibi, quisquis ades mortalis homo, tuæ resurrectionis spem ubique injiciat, indeque jucundissima futurâ sit. Ergo si sapis, mirabile Domini factum lubens accipito, ejusque amplissimam potestatem, tibi que profecto maxime admirandam contemplare. Descendit de solio suo ille potentissimus potentissimi Domini mei Filius, et quoniam cunctis mortalibus futurum mortuorum reditum manifestare volebat, accessit, quæsit, ut audistis, Lazari sepulcrum, eoque progressus spectabat mortis civitatem mortuorum præsidario agmine potentem, præaltis muris circumdatam, vitæque undique inaccessam, clausa quibusvis, eo subeuntibus tenebrarum

limina, perpetuisque obfirmata seris, ut inde remeandi nulla superesset spes; videbat Homon illam magnam exaggeratis sepulcorum cadaveribus incumbentem, et arcem arduis propugnaculis cinctam, oclusos omnes aditus, ne qua pateret resurrectionis via: constabat millenos vita defunctos illuc intrasse, qui inde rediret nullus erat. Natura loci mors confisa credebat, urbis ingressum, nec a gigantibus tentandum, quandoquidem nec vitæ fama illuc penetrare potuisset. Tunc vero, ut vidit ille, qui dixit: « Ego » sum resurrectio et vita <sup>1</sup>, » omnium præteritorum sæculorum captivos intra ea mœnia coactos, et agmina defunctorum illuc a nobis transmigrantium, catenata atque in cæcum carcerem compacta, substitit ad limen speluncæ, indeque futuræ resurrectionis spem facturus universis, unum ex illis vinculis eximere statuit.

XIII. Obierat Lazarus communi mortuorum naufragio haustus, et mortis rudentibus constrictus, atque sepulcorum spelæo inclusus silebat, injecto ori retinaculo impeditus, et pressus tristis inferni tumulo. Mortis compedes, et manicæ stringebant membra, cadaver in nativum pulverem solvebatur, afflabatque saniei fluentis fœtor quotquot aderant funeris curatores; sorores flebant sibi ereptum fratrem; taboque consumptum etiam deploraverant: circumstabat Judæorum turba, nam frequentes convenerant, mœstas sorores sublevaturi, cum Jesus submoveri lapidem jussit. Quod quidem sapientissime providebatur, multum namque intererat, ut Judæis insignis perfidiæ hominibus cederetur aperiendi sepulcri cura, quo exhalans inde fœtor, eo obice remoto, corripere propiores, et acrius percelleret, fiebatque, ut opere eodem, quo sepulcrum aperiabant graveolentis odoris sensu castigarentur; atque inde sequeretur, ut simul testem putrefactionis in suis vestibis

<sup>1</sup> Joan. xi, 25.

gestarent, simul oculis spectarent resurrectionis miraculum.

XIV. Cæterum, ut Salvator sepulcrum accessit, ut Homon tenebris involuta suis subito contremuit, et munitissimæ artis labefactata mœnia nutarunt, turresque succussæ in ruinam incubuerunt, validissimæque dissiliere vectes, serisque perfractis, et patefactis portis, interiora conclavia trepidarunt. Vox resurrectionem imperantis urbem quatibat, concussaque mœnia inter se collidebantur. Catulus Leonis infernum insulturus irrugiit, continuo mors expavit, afflavit Cervus formosus anguem, suo in cubili jacentem atque fugavit. Cœlistis Aquilæ vox milvorum nidos perculit, et dissipavit, ut audiit Mors insuetam Vitæ vocem suas pulsantem fores; trepida festinavit ad solvendos, quos tenebat, compeditos, laxatisque claustris, edixit neminem ab exitu prohiberi. Descendit de gradu suo Altissimus, ut locum Vita conscenderet, ac obtineret; Morti ademit in mortuos imperium, et Resurrectioni tradidit, ut in illis regnaret. Cumque Mors metu perturbata fluctuaret anceps, utrum omnem captivorum turbam dimitti oporteret, venit ad aures vox Jesu, non: « Venite foras » dicentis, sed, « Veni foras. Lazare, veni foras<sup>1</sup>, » dixit. Ad unum solummodo vox ferebatur mortuum, et ad omnes mortuos propagabatur, unum duntaxat suscitavit, ut per unum universis certa relinqueretur spes reditus, in die iudicii suum effectum habitura.

XV. Enimvero si pro eo quod dixit: « Veni foras, » dixisset: « Venite foras, » universus mortuorum populus Lazarum abeuntem secutus fuisset. Vox reditum imperantis, quem unum petebat, distinxit, ne illorum resurrectio ultimum, in quem differebatur, diem, confusa temporum serie, præverteret. Reditum imperantis vox mortuum res-

<sup>1</sup> Joan. xi, 45.

tituit, et relevavit prostratum, proprio illum nomine velut apprehensum segregavit, ut sine socio incommittatus prodiret. Saltus erat sepultis fartus, hunc adversus infremuit catulus Juda; fremitus in sylvam penetravit, unum discrevit, et extraxit. Mortuus revixit, et solutus doloribus inferni, vocantem secutus est. Flavit Spiritus vitæ, eoque relevante, mortuus constitit in pedes, ut jam incedere liberum esset. « Lazare, veni foras, » dixit : dictum peregit opus, ad dicentis imperium sepultus redivivus emicuit, sine mora vocem consecutus est mortui reditus. Spiritus suscitator mortuorum ex omnium defunctorum turba unum transtulit ad vitam, unum nempe afflavit. Exiliit e tumulo ligatus, compeditus ambulavit rectus ac trepidus; pedes namque ligatos habuisse indicat qui dixit : « Solvite » eum, et sinite abire <sup>1</sup>. » Vides non fuisse ante solutum, exiisse tamen, ligatum et in stipes involutum, nec tamen claudicasse. Scilicet, qui vitam impertiit, ac mortis vinculum solvit, institarum involucra non revolvit, ut manus, quæ antea extinctum, et mox sepulcro inferendum fasciaverant, quo postea fascias removebant, irridentium sannas comprimerent.

XVI. Hic jam admiramini, charissimi, Salvatoris nostri opera; quæcumque enim egit, acta sunt propter nostram salutem, et perfecta sunt, atque absoluta, sicut jussit, qui cælo terræque dominatur. Ipsi gloria, et ei, qui misit illum, et Spiritui sancto laus et adoratio atque magnificentia; super nos autem infirmos, et peccatores sit misericordia ejus semper.

<sup>1</sup> Joan. xi, 44.

# S. P. N. EPHRÆM

SYRI.

IN SELECTA DIVINÆ SCRIPTURÆ LOCA.

---

CLASSIS II.

SERMONES DE SE IPSO.

---

SERMO I.

*Reprehensio sui ipsius, atque confessio.*

I. Fratres, compatimini mihi, qui commiserationis habetis viscera : non enim otiose divina dixit Scriptura : « Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi munita atque alta » civitas <sup>1</sup>, » nam fundati regni instar fortis est ac potens. alibique rursus : « Confitemini alterutrum peccata vestra, » et orate pro invicem, ut salvemini <sup>2</sup>. » accipite ergo cohortationem, electi Dei, ab eo, qui decrevit atque promisit quidem placere Deo, sed mentitus est Factori suo; ut supplicationibus vestris liberer a peccatis, quæ me complectuntur ac detinent; sanitatique restitutus, exurgam e lecto tabifici peccati : quoniam ab infantia factus sum vobis inutile atque abjectum. Et nunc de iudicio audiens, nihili facio, tanquam offensis ac culpis omnibus superior; aliosque dum mea admonitione ab inutilibus deterreo, hæc

<sup>1</sup> Prov. xviii, 19. — <sup>2</sup> Jacob, v, 16.

ipsa duplo plura a me peraguntur. Hei mihi, in quali damnationis statu reperior? Hei mihi, in quo dedecore jaceo? Hei mihi, quod in me non est id quod latet, ut id quod apparet; unde nisi velociter commiserationes in me divinæ refulserint, nulla mihi operibus spes salutis ostenditur. Dum enim de pudicitia dissero, de lascivia cogito. Dum de cordis puritate verba facio, turpium affectionum meditatio in me dies noctesque dominatur. Quam igitur excusationem habebō? Hei mihi, quæ qualisque mihi discussio imminet! Revera specie tantum pietatis amictus sum, non potentia, aut virtute. Quo igitur vultu accedam ad Dominum Deum, qui abscondita novit cordis mei? Tantis malis obnoxius cum sim, pertimesco in oratione constitutus, ne ignis de cœlo descendat, ac devoret me. Si enim eos, qui offerebant coram Domino ignem alienum in deserto, egressus ignis a Domino consumpsit<sup>1</sup>, quid ego expectabo, tanto delictorum pondere indutus atque circumdatus? Quid ergo? desperabo—ne propriam salutem? Absit. Ea quippe adversarii est sollicitudo ac studium, ut cum aliquem ad desperationem deduxerit, mox eum dejiciat substernatque. Ego vero non despero de me ipso, sed Dei confido miserationibus, vestrisque pro me deprecationibus.

II. Ne ergo desistatis ab oratione apud hominum amatorem Deum, ut a servitute ignominiosarum passionum liberetur cor meum. Inflammatum est cor meum, immutata est pia cogitatio mea, obscurata mens mea: velut canis ad proprium revertor vomitum<sup>2</sup>, et non est pœnitentia mea pura, non sunt mihi in oratione lacrymæ. Dumque suspiro, sicco faciem meam verecundiæ rubore suffusam, pulso pectus meum domicilium passionum. Gloria tibi, qui sustines. Gloria tibi, longanimis. Gloria tibi, benignissime. Gloria tibi, qui solus es patiens. Gloria tibi, qui animarum ac

<sup>1</sup> Levit. x, 1, 2. — <sup>2</sup> Prov. xxvi, 2, 3, et 2 Petr. ii, 22.



corporum benefactor es. Gloria tibi, qui solem oriri facis super malos et bonos, plusque super justos atque injustos <sup>1</sup>. Gloria tibi, qui cunctas nutris gentes, omnemque naturam humanam, tanquam hominem unum. Gloria tibi, qui volucres cœli pascis, et feras atque serpentes, et aquatilia, velut passerculum vilem <sup>2</sup>; omnia enim in te sperant, ut des escam illorum in tempore opportuno <sup>3</sup>. Magna quippe est tua potestas, et miserationes tuæ super omnia opera tua, Domine. Ideo precor, Domine, ne me abjicias cum iis, qui tibi dicunt : « Domine, Domine <sup>4</sup>, » et voluntatem tuam non faciunt, precibus omnium, qui in conspectu tuo gratos se atque acceptos reddiderunt. Tu enim nosti latentes in me passiones. Tu vulnera animæ meæ explorata habes. « Sana me, Domine, et sanabor <sup>5</sup>. »

III. Socios vos mihi præbete, fratres, in orationibus. Miserationes a Dei bonitate deprecate. Animam a peccatis exacerbata et amare factam dulcescere facite. Ex vera vite, vos qui palmites ejus estis, tradite sitiendi de fonte vitæ, qui ipsius ministri digni habiti estis. Illuminate cor meum, qui filii lucis evasistis. Me aberrantem in viam vitæ deducite, qui in ea persistitis. Me intra regalem portam introducite, sicut dominus proprium servum, qui hæredes regni evasistis; quoniam comprimatur cor meum. Præveniant me commiserationes Dei vestra deprecatione, antequam pertrahar una cum operantibus iniquitatem. Ibi quæ in tenebris, quæque in aperto gesta sunt, revelabuntur.

IV. Quod me tandem dedecus et rubor occupabit, quando me condemnatum viderint qui nunc me irreprehensibilem dictitant? Spirituali relicto opere, passionibus obedi. Doceri nolo, et docere alios volo. Subesse recuso,

<sup>1</sup> Matth. v, 45. — <sup>2</sup> Id. x, 29 et 51, et Luc. xii, 6, et Psal. ciii, 25. — <sup>3</sup> Psal. cxliv, 15. — <sup>4</sup> Matth. vii, 22. — <sup>5</sup> Jer. xvii, 14.

et subjugare cæteros cupio. Laboribus gravari renuo, et aliis imponere eos desidero. Operari nolo, et exactorem ac monitorem operis agere volo. Honorare alios nolo, et honorari gaudeo. Improperia ab aliis ferre non possum, et tamen improperare ac maledicere gestio. Contemni nolo, et alios pro nihilo habere ac spernere volo. Aliorum superbiam ferre non placet, et tamen superbire in alios delectat. Redargui detrecto, et reprehendere amo. Misereri aliorum nolo, et tamen commiserationes aliunde requiro. Increpari nolo, et increpare ac objurgare alios volo. Condemnari recuso, et damnare alios studeo. Injuriam mihi fieri nolo, et injuria alios afficere volo. Obtrectari mihi non fero, et aliis obloqui cupio. Audire alios non lubet, et tamen audiri opto. Celebrare alios nolo, et celebrari ac prædicari volo. Antecellere mihi alios non fero, et superare contendo. In admonendo sapiens, sed non in agendo. Quæ facere oporteret, dico, et quæ nec dicere fas esset, facio.

V. Quis super me non ploret? Deplangite me, sancti ac justi, ut qui in iniquitatibus conceptus sum<sup>1</sup>. Deflete me qui lucem diligitis, et tenebras odistis, ut cui tenebrarum opera placent, et non lucis. Plangite me reprobum, qui probi estis: misericordes et indulgentes, eum qui misericordiam consecutus est, et adhuc irritat. Plangite me, qui extra omnem reprehensionem estis, iniquitatibus demersum. Plangite me, qui bonum diligitis et malum odio prosequimini, mala amplectentem et bona aversantem. Plangite me, qui vitam religiosam colitis, habitu solum vitam sæculi relinquentem. Plangite me, qui Deo grati et accepti estis, studio hominibus complacendi deditum; qui perfectam possidetis charitatem, eum qui verbis quidem diligit, operibus autem proximum odio habet. Plangite

<sup>1</sup> Psal. L, 7.

me, qui satagitis rerum vestrarum, me, inquam, qui de rebus alienis curiose laboro. Plangite me patientiæ expertem atque infructuosum, vos qui patientia instructi, fructificatis Deo. Plangite me rudem atque inutilem, qui disciplinam ac doctrinam concupiscitis. Plangite me indignum qui altitudinem cœli respiciam, vos qui cum fiducia ad Deum acceditis. Plangite me, qui Moysis patientiam habetis, hanc sponte deperdentem. Plangite me, qui Joseph pudicitiam possidetis, ejusce proditorem. Plangite me, qui Danielis temperantiam diligitis, ea ipsa voluntarie privatum. Plangite me, qui patientia Job ornati estis, ab hac alienum redditum. Plangite me, qui voluntariam Apostolorum tenetis paupertatem, ab ea longe distantem. Lugete me duplicis animi hominem, ignavum ac timidum, improbumque, vos qui fideles ac stabiles in Deum corde estis. Lugete me risu gaudentem, et luctum abominantem, qui planctum diligitis, et risum removelis. Lugete me, qui templum Dei immaculatum conservatis, illud contaminantem ac inquinantem. Plangite me, qui separationis ac inevitabilis viæ recordamini, immemorem atque imparatum ad idem iter. Deplangite me, qui in mente judicium, quod est futurum post mortem, tenetis, confitentem meminisse, et agentem contraria. Deplangite me, hæredes regni cœlestis, hæredem gehennæ ignis.

VI. Hei mihi, quod peccatum non reliquit in me incolume ullum membrum, aut sensum, quem non depravarit. Jam finis pro foribus adest, et de eo non cogito, fratres. Ecce revelavi vobis vulnera animæ meæ : nolite ergo aspernari me ægrotum ; sed medicum pro infirmo deprecamini, pastorem pro ove, regem pro captivo, vitam pro morte ; ut salutem in Christo Jesu Domino nostro consequar de peccatis me detinentibus ; emittatque gratiam suam, ac animæ meæ lubricitatem confirmet. Paratus

enim sum ad resistendum improbis passionibus; et dum cum iis confliro, dolosa draconis malignitas contentionem firmitatemque animæ voluptatis illecebris dissolvit, abripiorque ab iis captivus. Rursus studeo eripere illum, qui comburitur, et ignis odor adhuc me juveniliter et inconsiderate agentem ad ignem attrahit. Rursus converto animum ad salvandum eum, qui demergitur, et præ inexperientia cum ipso demergor. Medicus passionum dum cupio fieri, ipsemet ab iis occupor. Loco medicinæ ægrotantem objurgo; ipseque cæcus cæcis ducatum præstare conor.

VII. Unde multis indigeo orationibus, ut proprias mensuras cognoscam, Deique gratia obumbret mihi, ac obscuratum cor meum illuminet, et pro ignorantia divinam cognitionem habitare in me faciat: « Quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum <sup>1</sup>. » Ipse inaccessum mare, pervium reddidit populo suo <sup>2</sup>. Ipse manna pluit iis, et ex mari coturnices, sicut arenam maris <sup>3</sup>. Ipse ex petra durissima aquam sitientibus præbuit <sup>4</sup>. Ipse solus eum, qui in latrones incidit <sup>5</sup>, sua benignitate servavit. Misericordia quoque in me moveatur ejus bonitas, ut qui in peccata prolapsus sum, ligatusque tanquam vinculo a malitia. Non est mihi fiducia apud Scrutatorem cordis ac renum <sup>6</sup>. Nemo reperitur, qui sanare animæ suæ possit dolorem, nisi ipse qui novit profunda cordis <sup>7</sup>.

VIII. Quoties in me ipso terminos constitui, murosque reædificavi inter me et iniquitatem peccati, et inter hostes, qui ex adverso congregiuntur ad bellum? Mens suos præterivit terminos, murosque evertit, eo quod termini non essent muniti timore fortioris et potentioris, murique non fundati in sincera ac vera pœnitentia. Unde et jam pulso,

<sup>1</sup> Luc. I, 37. — <sup>2</sup> Exod. XIV, 29 et passim. — <sup>3</sup> Psal. LXXVII, 24 et 27, et Num. XI, 31. — <sup>4</sup> Exod. XVII, 6. — <sup>5</sup> Luc. X, 50. — <sup>6</sup> Psal. VII, 10, et Apoc. II, 22. — <sup>7</sup> Psal. XLIII, 22.

ut aperiatur mihi : persisto in oratione, ut postulatis potiar, ac velut impudens misericordiam a te deosco, Domine. Tu bona præbes, Salvator; ego mala retribuo. Tuam in me perversum longanimitatem exhibe. Non de verbis tantummodo otiosis veniam rogo, sed etiam de actionibus impiis ignosci mihi a tua bonitate deprecor.

IX. Libera me ab omni opere malo, Domine, priusquam me finis præoccupet, ut coram te gratiam in hora mortis inveniam; « Nam in inferno quis confitebitur tibi ? » Salva animam meam de futuro timore, Domine, commaculatamque meam tunicam propter miserationes ac bonitatem tuam dealba; ut et ego, licet indignus, præluens, dignus efficiar regno cœlorum, gaudioque illo incomparabili donatus, dicam : « Gloria ei, qui afflictam animam ex ore leonis liberavit, eamque in paradiso deliciarum reposuit. » Quoniam tibi sanctitissimo Deo convenit gloria in cuncta sæcula. Amen.

## SERMO II.

### *Reprehensio sui ipsius, et confessio.*

I. Cum in multis, fratres, prodesse vobis videar, animæ quoque propriæ utiliter consulere debeo. Absurdum quippe est fame illum confici, qui cibum aliis impertitur; turpeque est me siti perire, qui reliquis potum subministro : quod sane fiet, nisi meam ipse conscientiam reprehendero. Novi enim, quantum mihi illud fecisse, in futuro profuturum sit iudicio. Nam quando adhuc in sæcularium multitudine versabar, inimicus oppugnavit me in

<sup>1</sup> Psal. vi, 6.

juventute, quæ mihi fere persuaserat illa, quæ in hac acciduntur vita, fortuito casuque fieri : contigitque mihi, quod navi alicui gubernaculis destitutæ, gubernatore in proa consistente : quippe quæ vel retrocedit, vel non procedit, vel etiam evertitur, nisi aliqua vel per Angelum, vel per hominem visitatione sublevetur. Quod ipsum et in me accidit, qui procellarum errore agitabar, nec pericula imminencia præsentiebam. Quid igitur divina benignitas ?

II. Me in interioris Mesopotamiæ regione peragrantem fecit in pastorem quemdam ovium incidere : qui cum ex me, quonam tenderem, percontaretur ; egoque, quo me pedes ferrent, respondi ; ad me ille : « Si me, inquit, audieris, adolescens, huc ad nos diverte, quoniam ad vesperam inclinatus jam dies. » Quibus ego permotus verbis, remansi apud eum. Media autem nocte lupi gregem adorti, oves dissiparunt, cum interim pastor gravi somno propter ebrietatem correptus jaceret. At domini supervenientes, me quoque tanquam reum in iudicium abripuerunt. Constitutus autem ante iudicem, me defendebam, et rem, uti acciderat, enarrabam. Interea vero post me adductus est quidam in adulterio deprehensus ; sed mulier se subduxerat. Iudex autem, re dilata, utrumque nostrum in eundem carcerem detrudi iussit, in quo agricolam quemdam propter homicidium detentum reperimus. Sed neque qui mecum ducebatur, adulter erat ; neque hic agricola homicida, sicut neque ego ovium fur atque abactor fueram. Cadaver autem propter agricolam, et pastor propter me, et maritus propter adulterum, in alia servabantur domo atque custodia.

III. Peractis igitur septem illic diebus, aspexi octavo die quemdam per quietem sic me compellantem : « Pietatem cole, et divinam providentiam intelliges. Expende tecum quæ cogitaveris ac feceris, et ex te ipso cognosces nihil

istos injuste pati; sed neque ipsi scelerum auctores impune evadent. » Somno igitur solutus, quæ in visione aspexeram, memoria mecum repetebam. Pervestigatoque lapsu et errore meo, comperi me in agro regionis illius, ubi captus fueram, pauperis cujusdam peregrini juvenem, quadam malitia concitatum, media nocte e suo loco atque cubili exegisse; quam frigore languentem atque uterum gerentem bellua illuc adventans dilaceravit.

IV. Cum igitur somnium meum, ejusque causam iis, qui mecum erant, recensuissem, ipsi quoque permoti atque admoniti, narrare cœperunt quæ sibi acciderant. Et agricola quidem ante alios incipiens: « Ego, inquit, dum quemdam in flumine suffocari conspicerem, cum succurrere possem, manus auxiliatrices præbere neglexi. » Civis autem mulierem, quæ per calumniam accusabatur, testimonio suo falso iösimulavit. « Vidua enim, (inquit), erat, et fratres ejus hoc illi crimen inferentes, paterna eam hæreditate spoliarunt, et mihi mercedem, de qua convenerat, persolverunt. » Quibus ego dictis cœpi compungi atque respiscere, et nos merito pœnas luere intelligere. Quod si solus fuissem, censuissem fortasse id casu fortuitoque accidisse. At tres eræmus pariter detenti. Accedebat et quartus quidam vindex, qui nec genere cum illis, qui injuria affecti fuerant, conjunctus erat; neque conscius eorum extiterat; cum nec mihi, nec sociis antea unquam visus esset; is enim speciem ac formam ejus, qui mihi apparuerat, illis descripsit.

V. Rursus autem somno captus, eundem aspicio sic dicentem: « Cras conspicietis et illos, qui a vobis injuria affecti sunt, et calumniæ falsæque accusationis vestræ remunerationem. » Experrectus, cogitabundus hærebam. Socii vero ad me: « Quid, inquam, ita tristis es? » Quibus ego causam quidem exponebam, sed exitum rei metuebam,

et jam illas de casu et fortuna cogitationes oblivioni tradideram. Illi autem magna mecum sollicitudineangebantur. Transacta igitur nocte illa, sistimur judici, et subito adducuntur quinque vincli coram eo. Itaque, qui mecum erant, multis excepti verberibus, iterum in custodiam re-trusi sunt, me illic relicto. Deinde duo imprimis in judi-cium adducti sunt; atque isti fratres illius erant viduæ, quæ per calumniam ab iis paterna hæreditate fuerat spo-liata: unus autem eorum in homicidio, alter in adulterio deprehensus erat. Quæ dum ipsi crimina confessi essent, per tormenta coacti sunt et alia quæ patrarant scelera con-fiteri. Homicida ergo confessus est se quodam tempore, dum negotiaretur in civitate, cum muliere quadam con-suetudinem habuisse. Hæc vero illa erat, cujus causa unus ex illis, qui mecum detinebantur, in custodia servabatur. Interrogatusque quo pacto effugisset? « Accidit, inquit, ut dum custodiremur, vicinus quidam adulteræ alia ad eam accederet via, quasi aliquid ab ipsa utendum postulaturus. Quod cum dedisset illa, me jam per fenestram demisso, rogavit illum, ut se quoque per eandem dmitteret, præ-texens fœneratores ad se capiendam adventare. Idque cum ille jam niteretur facere, mox a marito ejusce mulieris comprehensus est; nos vero elapsi sumus.» Ad hæc judex: « Ubi, inquit, est mulier? » Ille autem cum locum indi-casset, jussus est ad mulieris usque adventum custodiri.

VI. Alter vero præter adulterium, cujus damnatus fue-rat, etiam se hominem interfecisse confessus est, illum, scilicet, quem agricola, qui mecum detinebatur, occidisse accusabatur. Aiebat autem maritum mortuum illius esse fœminæ, quæ ipsius amore capta fuerat. Nam cum, in-quit, pomeridiano tempore agrum suum inviseret, fictæ salutationis prætextu propius accedens, confestim illum occidi, et aufugi. Affines autem cum ad clamorem occisi



essent egressi, nullum invenerunt aut viderunt, præter hominem quemdam agricolam, quem magno labore fessum somnoque correptum, neque quid factum esset gnarum, tanquam homicidam comprehenderunt, et in vincula conjecerunt. « Quis vero hæc indicavit? » mulier, inquit. At ille : « Ubi hæc? » Ipse vero et nomen et locum ostendit in alia regione non procul ab altera. Mox igitur in carcerem abductus est.

VII. Adducti autem sunt et tres reliqui, quorum unus, quod segetes combussisset, accusabatur; alii vero duo, quod conscii et socii cædis fuissent. Sed paucis excepti verberibus, quia nihil confitebantur, in carcerem perducti sunt. Audierat enim iudex suum adventare successorem; et ego, nulla de me facta quæstione, cum ipsi recessi. Eramus igitur in eadem omnes custodia detenti. Iudex vero, qui adveniebat et succedebat, e nostra erat patria: sed multo ego tempore, quis et unde esset, ignorabam. Interea autem dum plusculum nobis temporis atque opportunitatis interquiescendi tribueretur, amicitiam contraximus. Cumque priores jam facti alacriores essent, et reliquis quæ acciderant, recensuissent; in me omnes tanquam in hominem pium atque religiosum intendebant. Fratres autem viduæ illius, cognito homine qui contra eam patrocিনatus erat, admirati sunt. Cuncti vero rogabant me, ut si qua ratione possem, aliquid fausti ac boni annuntiarem ipsis.

VIII. Cæterum multis diebus commoratus ibi, non amplius eum, qui in somnis mihi apparuerat, vidi. Quem in fine tamen dierum iterum conspexi, me sic compellantem: « Ecce hi tres aliorum etiam scelerum rei, nunc justas pœnas luent. » Quod ipsis cum dixissem, confessi sunt duo ex eis se flagitii cujusdam furis conscios fuisse, qui cum quemdam interfecisset propter vineam adjacentem suæ

possessioni, ei nos testimonium dedimus hanc ipsius fuisse vineam, eumque non ab illo necatum, sed e rupe præcipitem corruisse mortuum. Alius autem tertius retulit se ira concitatum, et tecto quemdam præter voluntatem deturbasse, quo ex casu ille interiisset.

IX. Postea rursus conspexi in somnis hæc mihi referentem : « Tu cras liberaberis ; reliqui autem justum subituri sunt iudicium. Fidelis igitur esto, et divinam providentiam enarrato. » Altera ergo die iudex pro tribunali sedens, quæstionem de omnibus nobis habuit, et exploratis quæ jam acta fuerant, et fœminis, quæ paratæ aderant, interrogatis, æquisque testibus adhibitis, iudex innocentes absolvit, agricolam, inquam, et eum, qui falso adulterii accusatus fuerat. Fœminas autem torturæ subiecit, ut constaret, an aliis etiam facinoribus reperirentur obnoxia? Comperit igitur unam earum, odio illius, qui suum adulterum prodiderat, incitatum, bona ipsius incendisse : ex quo quidem incendio, agrique depopulatione cum quidam propius fugeret, tanquam illius auctor comprehensus est ; et hic nobiscum erat, quem etiam iudex, quæstione habita, quia innoxium reperit, absolvit atque dimisit. Altera vero adultera cum in eodem esset vico, ubi duo illi comprehensi fuerant, qui in homicidio perpetrando dicebantur extitisse socii, rem omnem, uti contigerat, aperte confessa est. « Qui necatus est, inquit, cum in domo mea ab altero viduæ illius fratre ( qui meus erat amator ) mecum concumbere deprehensus esset, occisus ab illo est, et in bivium projectus : concursuque hominum facto, cum duo viri quemdam persequerentur, a quo sibi hædus surreptus erat, eos alii conspicati, arbitrantisque ideo fugere, quod cædem patrassent, comprehenderunt, ac carceri tradiderunt. » Iudex vero cum diligenter et nomen eorum, et genus, et quinam ac quales essent, explorasset, et rem omnem

apertius cognovisset, illos innoxios liberavit. Erant autem hi quinque, agricola nimirum, et qui falso adulterii fuerat accusatus, et tres postremi. Porro duos fratres, et scelestas illas cum ipsis mulierculas a feris dilaniari jussit.

X. Tunc vero et me iudex in medium adducendum curabat, qui licet benevolentia conjunctus mihi esset, scire tamen ex me ordine voluit, quo pacto res illa ovium successisset. Cui dum ego id quod vere gestum erat retulissem, meque ex voce et nomine ille cognovisset, (familiaritas enim meis intercesserat parentibus cum iis, qui ipsum extra urbem educaverant, et aliquandiu una cum ipso habitavimus,) quæstione de pastore habita, coque flagris excepto, ac veritate comperta, post dies plus minus septuaginta, ab accusatione et crimine objecto me absolvit et liberavit. Nocte deinde sequenti in somnis conspexi virum mihi dicentem : « Revertere ad locum tuum, et de iniquitate tua age pœnitentiam, certoque scias unum esse oculum cuncta perlustrantem. » Et graviter illi mihi comminatus, recessit; quem ad hunc usque diem non amplius vidi.

XI. Anxius igitur, et multis lacrymis perfusus inde abii, ignorans utrum Deo satisfecerim. Quapropter omnium me precibus adjuvari deosco; nam vulnus mihi accidit incurabile. Visionibus ego non efferor, sed impiis cogitationibus meis divexor et angor. Apparuit et Pharaoni Angelus futura prænuntians; sed mentem atque sententiam ejus prophetia non mutavit<sup>1</sup>. Dicit et Christus illis, qui in nomine suo prophetaverant : « Non novi vos, operarii iniquitatis<sup>2</sup>. » Scio me vera vidisse, et reipsa expertus sum; sed excruciat me supra modum ingens mea in Deum injuria. Nam qui dicit omnia casu fortuitoque fieri, is Divinitatem e medio tollit. Istud cogitavi, non inficior. Resipui; sed an

<sup>1</sup> Exod. viii et ix. — <sup>2</sup> Luc. xiii, 27.

Deum mihi placaverim, nescio. De ipso prædicavi; sed utrum verba mea ipsi grata fuerint atque accepta, me latet. De Providentia scripsi; sed an id Deo placuerit, ignoro. Domos vidi, et œconomum adesse cognovi. Mundum intuitus sum, et providentiam intellexi. Navem absque gubernatore submergi aspexi; et inanes hominum labores sine Dei gubernatione esse animadverti. Civitates et republicas diversas bene constitutas vidi: et Dei ordinatione atque præscripto cuncta consistere cognovi. Ex pastore grex viget; et ex Deo cuncta, quæ super terram sunt, crescunt et coalescunt. Per agricolam inter triticum et spinas discernitur; et a Deo omnis, quæ in terris est, prudentia et intelligentia procedit. A reges militaris exercitus dependet ordo: et a Deo vera cunctarum rerum constitutio atque dispositio. Nihil in terra absque capite et origine, quoniam cunctarum rerum principium est Deus. Flumina ex fontibus scaturiunt: et a divina sapientia leges. Fructus producit terra, si tamen ex cœlo ipsa fuerit irrigata: adeo ex seipso fieri nihil potest. Dies lucis copiam suggerit; sed tamen sole indiget ad sui perfectionem. Sic et bona ab hominibus efficiuntur, sed per Deum perficiuntur. Sol lumen continet; at cœlo, in quo requiescat, opus habet: similiter et Deo pii ac sancti homines indigent, a quo reparentur. Neque lumen sine igne, neque tenebræ absque caligine. Mutuo enim cuncta auxilio indigent. Hoc illius ope indiget; solus autem Deus nullius indiget. Nihil sua sponte in rerum natura existit; quoniam se ipsum facere nemo potest. Nam si quis se ipsum faceret, is esset, priusquam fieret, et quo pacto postea talis factus esset? Nam quod existit, antequam fiat, non indiget, ut id fiat, quod jam erat. Et quomodo alieno opus habet adminiculo, ad illius, quod jam existebat, constitutionem?

XII. Solus igitur Deus non factus. Sibi quippe repug-

nat, ut aliquid sponte et a seipso fiat. Neque ignorat Deus se factum non esse : neque, ut nos, principium infantie habuit. Non est ignarus substantiæ atque essentiæ suæ ; neque enim eam quisquam ipsi concessit. Novit id quod est, omnemque humanam cogitationem excedit. Non invidet, sed parcit nobis. Neque enim audire valemus naturam aut principium rei non factæ, quia nec dici quidem potest. Rei principio carentis principium intelligere nequimus, cum neque tantam intelligendi facultatem habeamus. Terrena Deus ex monte Sina locutus est <sup>1</sup>, et infinita populi contabuit multitudo : quid igitur, si cœlestia loquatur, agemus ? E terra locutus est, et homines infiniti contabuerunt ; quid ergo faciemus, si nos e cœlo alloquatur ? Rogavit populus, ne Dei vocem audiret <sup>2</sup>, et Deus illi quod petebat concessit. Moyses Deum, ut cum populo permaneret oravit ; et mortui sunt multi, qui ad divinam naturam appropinquare non poterant.

XIII. Ostendit igitur Deus fieri propter justitiam suam, ut hominibus justis appropinquet : sicut contra, immedicabilem fit plaga injustis. Parcit itaque nobis, et subducit se, ut vivamus : sic quoque arcana tegit, quæ capere nequimus. Accessit ad Aaron, et quod filios ipsius comperiret reos, interemit eos <sup>3</sup>. Accessit ad populum et multos peccatores occidit. Si igitur divina nobis dixerit, et non crediderimus, omnes nos interficiet. Ideo autem ea nobis non dicit, quia prævidet nos credituros non esse. Recte igitur agit, prospiciens et consulens nobis, ne moriamur. Non tamen nobis intelligentiam præbet, ne liberæ voluntatis propositum extinguat. Non majores vires nobis tribuit, ne naturam obruat. Benignitatem non exhaurit, ne a dignitate superetur. Non facit homines Angelos, ne suam potestatem confundat : neque Angelos efficit Cherubim,

<sup>1</sup> Exod. xx, per totum. — <sup>2</sup> Ibid. 19. — <sup>3</sup> Num, iii, 4.

ne suum opificium pervertat. Tantum autem cuique tribuit, quantum creata quælibet natura capere potuit. Naturas constituit; et ipsas, utpote mutabiles, misericordiæ indigere reperit: noverat quippe majori eas gratia subsistere. Naturæ enim suam essentiam impertivit, ut subsisteret; sed quod est amplius, pro cujusque viribus misericorditer tribuit intelligendi facultatem, ne superbix illis occasio esset: sicut qui pueros ad malum exercent, ipsi magis rei sunt. Quod capere poterant, dedit eis; et quod non poterant, ignovit; cum a nemine quod vires superet, exigat.

XIV. Ne igitur, o mortales, ejus potentiam incusaveritis, quod naturam non fecerit ea capere, quæ capi nequeunt; non enim opifex in causa est, sed ipsa creatura. Artem habet aurifex; sed ei non plus tribuere vult, quam capere possit: sic quoque Deus, quamvis possit, non tamen amplius tribuit, quam rei cujusquam natura patiat. Et artifex congruentem volens operi suo attribuere venustatem, tantam auri materiam adhibet, quantam capit, et non amplius; licet multum illi adhuc auri supersit: nullus enim opifex intelligens adesse plus materiæ auri, de suo subjicit materiam, ut imago perficiatur. Et Deus cum novit omnia admiranda, novit etiam suæ naturæ similem materiam esse non posse. Maximas divitias in res creatas effudit; sed quod fieri non potest, ut id fieret, neque cogitavit, neque invenit, neque fecit. Si rem factam efficeret infectam, suam naturam accusaret, quasi ipsa quoque facta esset, et quæcumque volens fecit, non ex sua sapientia produxisset.

XV. Non est comprehensibilis Dei potestas, o mortales: cum enim majora possit in rebus creatis, egit quantum capaces erant. Novi mercatores multos posse etiam supra quam possideant. Nam propter illa, quæ habent, in omnibus fides eis habetur; at non nisi iis,

quæ possident, facile negotiantur. Deus quoque nisi res, quæ sunt, facile fecisset, jure existimaretis, qui vultis reprehendere, eum plura non potuisse. Vultis ineffabilem potestatis ejus cernere facultatem? Cœlos, et quæcumque in eis sunt, verbo fecit : ex quibus constat multo majora ac plura eum posse ; sed natura procreata amplius non capit. Novi artifices plura quam materia ferat, excogitare, et ex iis, quæ prompte et expedite elaborant, suæ artis præstantiam declarare. Quanto ergo magis credere oportet Deum in rebus a se creatis tantum decorem atque pulchritudinem exprimere posse ; quanto autem verbis præstantiora sunt opera : tanto citra ullam comparisonem rebus procreatis divina præcellit virtus atque potentia.

XV. Fecit igitur cuncta ad uniuscujusque necessitatem. Non tamen ulla ipse coactus necessitate tot differentias invenit ac fecit. Qui enim naturas fecit, eum constat et differentias naturarum constituisse : quoniam de primis experimentum dedit in secundis. Non necessitas causa tantæ pulchritudinis extitit : alioquin opus alterius esset, et non ipsius Dei. Necessitas enim liberam excludit voluntatem ; sed cuncta quæ voluit, fecit in cœlis et in terra <sup>1</sup>, sicut Scriptura testatur. Si inordinata rerum confusio Dei laudem celebrat, non sane malum causa boni est, neque ad pietatem adducit. Si malum prius extitisset, bonum bonum utique fieri non permisisset : alias bonum ipsius fuisset. Si materia adversus Deum constitisset, magnus est error putare rem inanimatam posse pugnare. Quod si materia animam confusionis actionem habuisse dicatur, perabsurdum esset arbitrari animam actionis esse motum ; cum nihil eorum, quæ quisquam nostrum facit, anima sit. Quod si dicas materiæ efficacitatem ex quodam intus

<sup>1</sup> Psal. cxxxiv, per totum, et cxiv, 3.

coëxistente ortam esse, valde sane stultum est existimare in materia, quæ semper in mutatione versatur, aliquid inesse perpetuum. Quomodo enim æternum esse potest, quod est mutabile? Nihil igitur erat quando non erat : nihil semper erat, nisi solus Deus, et propterea illo indigent omnia. Ipse enim suapte voluntate fecit illa, non autem aliqua coactus necessitate. Et singula fecit, sicut voluit. Propriam autem habet voluntatem, quæ nulli necessitati subjecta est : atque ideo non sunt illi coæterna quæ fecit. Nam si voluntas ipsius conjuncta necessitati esset, coæterna quoque forent ei, quæ ab ipso sunt facta, et operatio voluntati congrueret. At operatio ipsius non fuit necessitati subjecta : alioquin coæterna illi fuissent, quæ sunt ab ipso facta; et sic passionis fuissent expertia, ut voluntas ejus, et majestas veneratione atque adoratione dignissima.

XVII. Ideo non ex necessitate sibi adorationem constituit; nam alias, ut adoraretur, ea quæ fecit, sibi coæterna fecisset. Neque enim ex eo quid patitur, quod non adoretur ab ethnicis. Neque adorationum diversitate commoveatur. Neque quod imperfecte a Judæis adoretur, indignatur. Neque propter hæreses, quod sibi ex parte duntaxat adoratio exhibeatur, perturbatur. In omnibus enim absque perturbatione idem ipse permanet, qui erat ante quascumque res creatas, et ad hunc usque diem, et deinceps in æternum. Cunctarum rerum causa est bonitas ipsius, et naturæ terminus justitia ejus; sapientia autem ipsius varietate rerum demonstratur. Dedit igitur nobis mortalibus quod capere possumus, ut dixi, habita ratione virium nostrarum. Et quoniam prævidit nihil eorum, quæ fecit, ipsum capere posse, produxit Filium sine principio ex substantia sua, et Spiritum sanctum; non ex necessitate, vel causa aliqua, sicut diximus, cum de Verbo ageremus,



ut Divinitatis ipsius plenitudo demonstraretur; quia naturaliter ipsum ex sua substantia genuit. Omnis autem natura a necessitate et causa est aliena ac libera, et maxime quia voluntati naturam admiscuit, et utramque bonitati conjunxit. Nam bonitas plenitudinem ostendit; quia genuit, a quo essentialiter caperetur; natura vero dignitatem, quia non indignus, qui capit, utpote Filius, tanquam non factus. At voluntas necessitatem exterminavit; quia non propter aliquid est genitus, sed ut semper perfectum esset æternitatis mysterium, et ut non asseramus voluntate necessitati subjecta naturaliter genitum esse Dei Filium.

XVIII. Cæterum Spiritus sanctus non genitus est, sed processit ex substantia Patris, non imperfectus, neque promiscuus. Non enim modo Pater est, modo Filius; sed Spiritus sanctus plenitudinem habens bonitatis, et in testimonium Divinitatis procedens. Quia non ulla perturbatione, aut tempore, aut modo, aut alia quacumque causa, Pater Filium genuit; sed natura ab omni necessitate libera, quam per suam constituit hypostasim Spiritus sanctus: quoniam alium Pater consortem volens, non quem genuit, procedere, Spiritum sanctum ex substantia sua constituit: non ante Filium produxit Spiritum sanctum, ne dicamus necessitati voluntatem ejus subjectam esse. Neque hominum de se ipso formidavit dubitationem; quomodo nimirum cum impassibilis sit, genuit, habens demonstrationem Spiritum sanctum; quoniam non generans, secundum seipsum produxit; sic et Filium generans, secundum seipsum sine passione genuit. Neque enim imminutus est procedente Spiritu sancto, ut et passibilem Filii generationem non arbitremur. Quod porro post Filium Spiritum sanctum dicimus: id non temporis, sed personæ est significativum; Spiritus enim et Verbi unum est tempus. In pronuntiando verbo nos quoque spiritum producimus.

XIX. Pater ergo neque tempore indiguit in productione Verbi; neque ullo temporis intervallo post Verbum produxit Spiritum sanctum. Quapropter sanctissimæ Trinitati est Divinitas. Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres quidem sunt personæ, sed unius substantiæ. Quamobrem et unus Deus est sancta et consubstantialis Trinitas. Et quod sit Verbum in spiritu, affirmat de nobis David: « Quia » spiritus est in ore nostro <sup>1</sup>: » non quod similem dicere velit in Divinitate compositionem, sed ut similitudine atque exemplo quæ ante dicta sunt, demonstrarentur et intelligantur, quantum ergo capimus, tantum de Deo intelligimus; et quantum ferre possumus, tantum ab ipso accipimus. Plenitudinem igitur cognitionis ejus nemo habet, nisi Filius et Spiritus sanctus. Nam si plus audiverimus, non credemus, et si plus acceperimus, extollemur et superbiemus. Merito igitur plura neque dicit neque præbet. Ideo autem jam dicta recensui, ut et in ipsa cognitionis ejus distributione divinam ejus providentiam ostenderem, ait enim et ipse Christus: « Si terrena dixi vobis, et non » creditis; quomodo si cœlestia vobis dixero, credetis <sup>2</sup>? » Ego vero ita sermonem converto et dico: « Si cœlestia audire nequimus, quo pacto quæ ad divinam pertinent naturam audientes, percipiemus atque credemus? » Quod si Judæi temporaria transgredientes præcepta, morte sunt mulctati <sup>3</sup>, quanto magis qui non observant quæ de Deo audiverunt, peribunt? Et utinam hæc mors esset illorum similis! Verum ista, ut puto, horrida animæ mors est. Quin et Apostolus testatur, inquiens: « Quanto magis deteriora merebitur supplicia, qui spreverit Filium Dei <sup>4</sup>. »

XX. Intelligite, fratres, hæc omnia, quæ ante dicta sunt, propter me ipsum a me conscripta esse: siquidem

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 151. — <sup>2</sup> Joa. iii, 12. — <sup>3</sup> Deut. xviii, passim. — <sup>4</sup> Hebr. x, 29.

vereor, ne deteriore illa morte afficiar. De cognitione quippe disserui, ut me in Dei cognitione deliquisse commonstrarem. « Et potentes, inquit quidam in Sapientia, potenter tormenta patientur<sup>1</sup>. » Cognitio est virtus divinæ gratiæ. Et ego cum nossem Christum, in cogitationibus de fortuna et casu occupatus sum. Metuo igitur, ne mea pœnitentia, sicut illa Esaü, repudietur. Novi, quod in malitia remanserit, Esaü fuisse rejectum. At vereor ne mea pœnitentia delicto similis judicetur. Audivi infinitam esse Divinitatis magnitudinem, et istud me terret, ne et ego ab illa rejiciar. Audistis immensam divinæ potentiæ multitudinem? Ideo enim illuc usque ego dicendo progressus sum, ut quibus constrictus sim miseris, intelligatis. Audistis divinæ sapientiæ pelagus? Cur igitur pro me fontes lacrymarum apud Deum effundere differtis? Audistis infinitam divinæ justitiæ vim? Cur ergo vestra pietatis viscera pro me non demonstratis? Scio Deum, multorum, qui pœnitentiam egerunt, misertum esse, iisque ignovisse; sed major illorum pars per ignorantiam peccaverat. Scio eum multis veniam concessisse; sed multos apud ipsum intercessores habebant. Quæ de Core et Dathan scripta sunt lego<sup>2</sup> et exhorresco; quoniam propter Moysen Deus punivit illos. Quæ Mariæ sorori Moysis acciderunt, considero ac refero; propter verbum enim solum, quod in eum protulerat, tota lepra est infecta<sup>3</sup>. Si tanta propter sanctum hominem exarsit ultio; quanta scrutatio fiet atque discussio propter Deum æternum?

XXI. Si Caïn, quod fratrem occiderit<sup>4</sup>, tanto tempore tormentis afficitur; quid igitur de illis futurum est, qui Deum offenderint? Magnam in diluvio homines subiere sententiam: et valde vereor, ne portionis illorum reddar particeps. De ædificio turris, quæ non potuit perfici, in-

<sup>1</sup> Sap. vi, 7. — <sup>2</sup> Levit. x, 1, 2. — <sup>3</sup> Num. xii, 1-10. — <sup>4</sup> Gen. iv, 8.

dignatus est Deus<sup>1</sup>, et de mea subversione quidnam facturus est? Concurrite, fratres, et veniam mihi deposcenti impetrate, ut et vobis Sancti, si quibus detenti estis peccatis succurrant. Qui enim affirmat casu fortuitoque cuncta accidere, is Divinitatem negat existere. Ita ego arbitratus sum, non mentior. Pœnitentiam egi; sed an Deum mihi placaverim, ignoro. Etiam sanctos imploro; sed an eorum pro me preces suscipiantur, dubito. Audivi enim Ezechielem dicentem: « Neque Noë, neque Job, neque Daniele, si oraverint, impetraturos<sup>2</sup>. Interpello cunctos Prophetas: at ne instar impiorum illorum Israëlitarum rejiciar, metuo. Ait enim ad Hieremiam Deus: « Noli orare pro populo isto<sup>3</sup>. » Quid igitur? Donis-ne, ac muneribus placabo Dominum? Sed vereor ne et mihi idem quod Pharisæis dicat<sup>4</sup>, me propriæ utilitatis causa rogare. Si jejuna-vero, forte mihi dicet: « Hoc jejunium non elegi<sup>5</sup>. » Si pauperum misertus fuero, fortasse ad me dicet: « Oleum peccatoris non impinguet caput meum<sup>6</sup>. » Si sacerdotes ejus suscepero, forsitan mihi dicet: « Quia Nazaræis meis vinum propinasti, detestabilis eris<sup>7</sup>. » Num dona ipsi offeram? Sed metuo ne et mihi dicat: « Si obtuleris similaginem, inane thymiamata invisum est mihi. » Quin et in Ecclesiis assidere vereor, ne me inde quoque excindat atque expellat; « Aulam, inquit, meam calcare ne audeatis. »

XXII. Undique igitur, fratres, angustiis premor, et ad meam ipsius conscientiam revertor. Si impie rursus egero, vae mihi! Si impudentem atque arrogantem me gesserō; ne caligine me opprimat, vereor. Scio et Nabuchodonosor post actam pœnitentiam susceptum esse; sed eum defendit atque excusavit tum ignoratio, tum potentia; utraque

<sup>1</sup> Gen. xi, 4-8. — <sup>2</sup> Ezech. xiv, 20. — <sup>3</sup> Jer. vii, 16. — <sup>4</sup> Matth. vi, 5. — <sup>5</sup> Isai. lviii, 5. — <sup>6</sup> Psal. cxi, 5. — <sup>7</sup> Amos ii, 12. — <sup>8</sup> Dan. iv, 31.

autem hac ego excusatione careo. Eram jam gratiæ particeps factus; eram de Christo a Patribus antea edoctus. Qui me secundum carnem genuerant, timorem Domini tradiderunt mihi. Conspexeram vicinos pietatis studiosos. Audieram multos varia pro Christo perpeſſos. Patres mei in iudicio Christum confessi fuerant. Martyribus sanguine sum conjunctus. Non habeo defensionem ullam, quæ mihi patrocinari possit. Si commune carnis genus dixerò, nihil iis, quos beatus Job commemoravit, præstabo. Majores mei peregrini erant, ex collata pecunia victitantes. Avi mei secundis rebus utentes in vita, agricolæ erant; et parentes mei, cum in his versarentur, et in urbe, humili conditione erant ac genere. Qua igitur jactantia me Nabuchodonosori similem esse putabo? quæve rerum copia atque affluentia? Numquid vires giganteas habeo? Numquid naturam pulchritudine gaudentem? Nollem hic commemorare quæ in pueritia gesserim, ut ne me abominandum vobis proponam. Quoniam cum adhuc juvenis essem, in professione fui. Verumtamen paucis illis annis contumeliosus fui, et percussor, atque seditiosus; et cum vicinis contentiosus ac invidus, in advenas et peregrinos inhumanus, in amicos durus, in pauperes acerbus: ob res viles ac leves occurrentes pugnax, et insipiens; improbis cogitationibus indulgens, et lasciviæ quoque præter tempus incitamenti vacans. At de his omnibus scio me veniam consecutum esse in tribunali. Quid vero de iis, quæ postea gessi, quæque post veritatis cognitionem admisi? Ideo auxilio vestro valde indigeo.

XXIII. Succurrite mihi, o amici, et me vel quasi mortuum deflete, vel tanquam adhuc viventem, sed semimortuum commiseramini. In me, veluti super captivum, vestram misericordiam effundite, mihi que tanquam putridis vulneribus scatenti auxilium præbete; nam plenus cicatricibus ac plagis sum. Ipsos ego Judæos supero: quippe

quibus non erat locus ad alligandum; mihi autem et anima ipsa corrupta est. Illi a capite usque ad pedes miseris compressi erant; at mihi etiam viscera ad unum usque computruerunt. Illi assentatorum errore seducti sunt; me autem nemo seduxit. A me ipso contumeliam adversus Deum cogitavi, et solum diabolum, qui mentem meam excæcavit, socium habeo.

XXIV. Vereor, viri fratres, ne sicut illi, ita et mihi adsit impœnitentia. Unam hanc excusationem habeo, quod tentationem ille mihi suggesserit. Sed neque Adamo hæc profuit excusatio<sup>1</sup>; ille nimirum suggessit et ego morem gessi: neque Eva sententiam effugit; cui et Esau obnoxius, se inexcusabilem reddidit<sup>2</sup>. Ut discamus diabolum sibi socios habere similes, quos Paulus vasa iræ dixit<sup>3</sup>, qui sunt ex parte ejus. Timeo ne et me ex ipsis unum Deus esse ordinaverit. Illos ob contemptum in passiones tradidit ignominia<sup>4</sup>. Vereor itaque ne in me quoque talem ipse ferat sententiam. Quin et nunc adhuc multum in sordidis versor cogitationibus, in invidia, in malevolentia, in iracundia, in amore proprio, in gula, in malitia, in odio paupertatis, et in egentium impropriis atque conviciis. Et cum ipse nihil sim, me tamen aliquid esse reputo. Cumque tot ego malis sim obnoxius, sanctitatis tamen gloriam aucupor. Cum tot sim districtus peccatis, pro justo tamen existimari volo. Mendax sum, et mendaces reprehendo. Mente ipse sordidus, libidinosos insector. Fures redarguo, et pauperes injuria afficio. Contumeliosos accuso et condemno, cum ipse eidem obnoxius sim vitio. Splendide incedo, cum totus sim immundus. In Ecclesia primum locum occupo, cum ne postremum quidem merear. Honorem appeto, ipse potius ignominia dignus. Salutationes capto, cum ab

<sup>1</sup> Gen. III, 6 et 12. — <sup>2</sup> Id. XXVII, 41. — <sup>3</sup> Rom. IX, 22. — <sup>4</sup> Id. I, 26.

aliis sim conspuendus. Monachos aspicio, et gravem me gero. Homines sæculares video, et insolentia efflor. Fœminis videri volo graciosus, divitibus pius, hospitibus gravis, domesticis cordatus ac prudens, propinquis honorabilis, et perfectus prudentibus. Inter homines pios ac religiosos, ut sapientior versor. Simpliciores, veluti jumenta, despicio. Si contumelia ab aliquo afficiar, ulciscor. Si a quoquam redarguar, succenseo. Si quis juste quid a me repetat, litigo. Vera mihi dicentes, ut inimicos æstimo. Reprehensus ægre fero. Non adulantibus irascor. Laborare nolo, et si quis ministrare mihi recusaverit, in eum stomachor. Operentibus auxilium denego, et si quis suam mihi operam detrectaverit, illi veluti superbo maledico. In necessitate fratrem non agnosco; at si sanus fuerit, cunctantem urgeo. Ægotantem odi: et si ægotavero, ab omnibus amari volo. Majores contemno, et in congressibus fecte ac simulate ago. Absens detraho, et præsens adulo. Honorare eos, qui honore digni sunt, nolo; et indignus cum sim, honores ab aliis exigo. Omitto recensere cogitationes mentis meæ de Lege, de Prophetis, de Evangelio (quibus premor atque corripior) et de Apostolis, de Ecclesiæ Doctoribus, de Prædicatoribus, de Ministris, de lectoribus, de dispensatoribus, et de Episcopis.

XXV. Prætereo quas quotidie novas curarum cogitationes invenio, vanitatis sollicitudines, in precibus negligentiam atque desidiam, et in obrectationibus vigorem. Si quis forte narret fabulas, oblector. Si de temperantia loquatur ac continentia, contristor. Si divinam quis Scripturam legat, conturbor. De quæstionibus concertantes audire, mihi jucundum est. Omitto fictas assentationes, ut ad preces non assurgam; triviales item ac minus religiosos in Ecclesiam ingressus, conquisitas de industria tarditates, futes in congregationibus sermones, nimiam in apparan-

dis epulis curam, in ipsis sacris locis obtreccationes, in orando pigritiam, in psallendo negligentiam, in decipiendo studium, in lucrando artificium, simulata cum piis mulierculis colloquia, compellationesque crebras, indigentium contemptionem, divitum observantiam, in non recte ministrantes iram, promissorum immutationes; et quomodo amicorum beneficia, quæ precibus impetranda sunt, quasi debita repoposcerim.

XXVI. Taceo inexplabilem accipiendorum munerum aviditatem, cum alienis peccatis communicationem, inutilia consilia, spe majoris captandi lucri adulationes, dissensiones, supplicationes, vanas commemorationes, perniciosas contentiones, inutiles pugnas, et ineptas colloquutiones atque congressiones. Hæc mea est vita, fratres; ista mea sunt delicta. Si adversus tantam peccatorum multitudinem succurrere mihi potestis, merito miseremini mei. Si contra tam improbas passiones decertare valetis, opem mihi ferre contendite. Si vobis fuerint vires, quibus tantam improbarum cogitationum mearum phalangem reprimere queatis; quæso, ne me conflictantem deseratis.

XXVII. Sed non oportebat, forte dicetis, ita anxie et accurate hic de cogitationibus disserere. Quorsum enim de fortuna et casu sermonem instituenti, tam proluxa hic de istis oratio atque indagatio? Ex divina Scriptura de talibus demonstrationes, quas vobis producam, habeo. Offerebat sacrificia Job pro filiis suis, « Ne quid forte, in- » quiens, mali cogitaverint in cordibus suis<sup>1</sup>. » Si diligens cogitationum non sit faciendum examen, cur vitulum unum pro peccatis cogitatione commissis offerebat? Damnati quoque fuerunt illi, qui in congregatione Core, quod male cogitaverint combusti sunt<sup>2</sup>, quando igitur audimus illud: « Vestri autem et capilli capitis numerati sunt<sup>3</sup>. » Et capilli

<sup>1</sup> Job. 1. — <sup>2</sup> Num. xvj, 26. — <sup>3</sup> Matth. x, 30, et Luc. xiv, 7.



quidem capitis sunt cogitationes; caput vero, earum mens, in qua est vis cogitandi. Ex consensu adulterium judicat Deus: et ex concupiscentia mulieris, factum ipsum metitur; et ex iracundia cædem, odiumque homicidium reputat: « Omnis enim, inquit, qui temere irascitur fratri suo, » reus erit iudicio<sup>1</sup>: et qui odit fratrem suum, homicida » est<sup>2</sup>. » Quin et beatus Paulus de cogitationum testatur exploratione, dicens: « Revelabit Dominus consilia cordium, » et abscondita tenebrarum<sup>3</sup>. Rursusque, « Cogitationibus, » inquit, accusantibus, aut etiam defendentibus in hora » illa<sup>4</sup>.

XXVIII. Ne ergo mihi dixeritis nihil esse cogitationes, quando assensiones earum pro factis censentur. Neque tamen quamcumque cogitationum multitudinem in unum coalescentem judicare debemus; sed cum ita cogitationi quis inhæret atque indulget, ut voluptatem ex ea percipiat. Semina in terra spargit agricola; sed non omnia coalescunt: sic et mens in voluntate seminat, quæ tamen non omnia suscipit. Eorum, quæ terra decerpit, fructam exigit agricola; sic omnium, quæ voluntas admittit, Deus rationem repetit. « Pater meus, ait Salvator, agricola est<sup>5</sup>. » Et Paulus: « Dei agricultura estis<sup>6</sup>. » Ne igitur a sollicitudine me removeritis; sed contra potius etiam vos pro me solliciti sitis. Idemque alibi: « Sermo Dei, inquit, discretor » est cogitationum atque intentionum cordis, et pertingens » usque ad divisionem animæ ac spiritus<sup>7</sup>. » Quod si discernit cogitationes, cur mihi velut reo in defensionem non succurritis? Cupitis animam et spiritum cognoscere? ex agricultura illud rursus intelligetis. Probe norunt agricolæ naturas agrorum, et pro cujusque terræ conditione etiam semina jaciunt; nam sua agricolandi peritia, quid cuique

<sup>1</sup> Matth. v, 22. — <sup>2</sup> 1 Joan. iii, 15. — <sup>3</sup> 1 Cor. iv, 5. — <sup>4</sup> Rom. ii, 15, 16. — <sup>5</sup> Joan. xv, 1. — <sup>6</sup> 1 Cor. iii, 9. — <sup>7</sup> Hebr. iv, 12.

magis conveniat solo discernunt. Sic et Deus noster inter naturales cogitationes et voluntarias optime discernere novit.

XXIX. Propterea, « Omnia vanitas, inquit Ecclesiastes, » et libera electio spiritus <sup>1</sup>. » In vanitate enim naturam constituit, et in libera electione, actiones naturæ contrarias. Ideo, « Quod vanitatis est, inquit, præteribit <sup>2</sup> : » quæ vero quisque gesserit, « In judicium Deus adducet <sup>3</sup>. » Homines quoque secundum naturam, Apostolus animales vocat : at præter naturam agentes, carnales denominat. Nam qui spiritales sunt, etiam naturam ad spiritum accommodant atque coaptant. Novit quippe agricola Deus naturam cujusque, et liberam voluntatem, et facultatem ; verbumque suum seminat, et pro ratione virium nostrarum operis fructum repetit. Non patitur se vinci ab agricolis, qui singulos agros conserunt : imo vero supra naturam ac spiritum, naturam et liberum arbitrium penetrat atque discernit. Et si quidem naturalibus ratio contenta sit, nihil solet exigere ; modum enim naturæ definivit, ac terminum ipsi ad subsistendum constituit. At si etiam libera voluntas succumbat naturæ, atque ab ea vincatur, exigitur ab ea ratio, ut quæ non satiatur unquam, et Dei terminos violet.

XXX. Ita, fratres, consensus ipsi pro factis judicantur, quoniam actionum substantia in libera voluntate consistit. Ideoque Dominus cogitationum consensibus hominem coinquinari dixit <sup>4</sup> : novit enim animam esse quæ operatur in corpore. Quin et ex lege depromptis exemplis hoc ipsum comprobare vobis possum ; ut si immundus aliquid tetigerit quod mundum est, hoc ipsum coinquinat et expiatione adversus illud indiget <sup>5</sup>. At fornicatio, et invidia, et injustitia, merito sunt immunda. Si quid igitur mali agas, etiam

<sup>1</sup> Eccl. 1, 14. — <sup>2</sup> Id. 11, 16. — <sup>3</sup> Id. 11, 14. — <sup>4</sup> Matth. xv, 11. — <sup>5</sup> Num. xix, per totum.

alios coinquinas. At si animo et cogitatione malo operi consenseris, coinquinaris ab ipsa immunditia. Observasti ergo eum, qui coinquinatur, non dici alios coinquinare: at qui communicat, omnino etiam quæcumque tetigerit, ab eo coinquinari. Cerniturque hæc ipsa apud nos quoque differentia. Nam si quis fornicationem, aut scandalum admiserit, aliisve malo exemplo fuerit, multos coinquinos reddit. Sin autem in solas inciderit cogitationes, alios quidem non coinquinat, quia non viderunt; ipse vero coinquinatur et judicatur.

XXXI. Quæ igitur iudicii in utrisque est differentia? Magna profecto; nam qui opere malum exercet, omnes coinquinat, quibus offendiculo fuit, et qui ipsum imitabuntur. At qui solum cogitat, de se solo rationem reddet. Quin et gentium leges similiter quoque consentientes agentesque iudicant et condemnant. Consensus enim pro cooperatione reputatur et iudicatur. Lex quoque in ædibus ac lapidibus aliud proponit exemplum. « Si sacerdos, inquires, » ingressus fuerit, et viderit lepram domus, omnia, quæ in » ipsa sunt, immunda erunt <sup>1</sup>. » Ubi per sacerdotem, mea quidem sententia, lex et cognitio intelligenda est. Si quis igitur, antequam legem cognoverit, peccator existat, pro aliis rationem non reddet, quia ignorans egit; ipse tamen turpiter contaminatus immundusque erit. Admittit porro proposita speculatio etiam aliam vim atque expositionem, quam quidem secure vobis, quantum in me est, persequi debeo; ut me multis obnoxium esse peccatis cognoscatis.

XXXII. Sunt aliqui nondum immundi, et tamen propter communicationem atque societatem inquinati: illi nimirum, qui id quod faciunt ignorantes, alicui rei consensum adhibent; at si celeriter ab ea recesserint atque desierint, ne consensus quidem tunc rationem reddent. Etenim

<sup>1</sup> Levit. xiv, 44.

nec leges condemnant conscios prætereuntes, sed eos tantummodo, qui sponte ad eandem rem coëunt. Quando igitur lex, et magistra nostra, ut dico, accedens sententia, quempiam cum inique agentibus sponte versantem consentientemque deprehenderit, illum ut crimini obnoxium ac reum condemnat. Novit et Apostolus legibus ejusmodi uti: « Digni enim sunt morte, inquit, non solum qui mala » faciunt, sed etiam qui eis consentiunt <sup>1</sup>. » Huc ea spectant, quæ in orationis principio adduximus; quoniam qui malorum duntaxat spectatores fuerant, ideo quod morte nihil dignum commiserant, fuerunt liberati; sed auctores scelerum omnes pœnas dederunt.

XXXIII. Nemo ergo vestrum me consoletur, affirmans nihil esse consensum, qui cogitationibus præstatur; at potius perspecta rei veritate, mihi condoleat, suisque precibus auxilietur. Siquidem hoc ipsum, quod loquor, non emendans vitam meam, peccatum est mihi. Ait enim Scriptura: « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est » illi <sup>2</sup>. » Et qui reprehensus non erubescit, gravi supplicio mulctabitur; quoniam ad iracundiam præceptorem provocat. Ego quidem me ipsum redarguo; sed in peccatis persisto. Peccata mea confiteor; at peccare non cesso. Istud unum pro mea excusatione arripere novi, quod videns non videam; quoniam pœnitentiam agens, iterum peccata committo. Neque post eorum, quæ patravi, scelerum cognitionem, mutata sententia, mearum virium imbecillitatem agnosco ac resipisco; sed meam pœnitentiam accuso, quod sim veluti servus peccati, et malum nolens faciam: quodque tanquam peccato militans, ei subjiciar, moremque geram; et licet impotens, vectigal tamen pendo propter consuetudinem, quæ in mentem ac cogitationem meam dominatur. Stipendia carnis accipio, pravis affectibus in-

<sup>1</sup> Rom. 1, 32. — <sup>2</sup> Jacob. iv, 17.

dulgens. A corruptione me anteverti et occupari scio, et tamen ejus jussa facio. Laborem atque molestiam impendentem fugio, et instar canis alicujus catenis devincti, adversus imperantes insurgo. Peccatum quidem odi; sed in passione atque affectione persisto. Iniquitatem fugio; sed etiam nolens a voluptate superor. Peccati jugo naturam subjeci, et inde necessitas adversus me dimanat. Quæ liberum captivant arbitrium, scaturiunt in me passiones. Mentem enim carni sic univi atque obstrinxi, ut ab ea separari non velit. Mutare propositum studeo; sed inveterata mihi repugnat consuetudo. Animam meam liberare contendo; sed æris me alieni detinet magnitudo. Pessimus fœnerator est diabolus; non enim in memoriam revocat debiti solutionem. Liberaliter mutuo dat, nec vult unquam repetere. Nullum aliud fœnus, præter unam servitutem, deponit. Suppeditat ea, quibus cupiditates nostræ magis augeantur, nec debitum exigit.

XXXIV. Cupio ego quæ debeo reddere; at ille alia prioribus adjicit. Quando autem ipsum, ut accipiat cogo, alia subministrat, ut ex ejus pecuniis videar ipsi fœnus persolvere. Debita adversus me renovat; quoniam novis cupiditatibus priores interrumpit. Cum vetera me persolvisse debita existimo, novis me iterum cupiditatum chirographis obstringit. Videt me debiti continuatione adduci, ut lubens in peccatis persistam, novasque mihi cupiditates injicit. Veterum cupiditatum ut obliviscar curat, ne illas confitear; et ut ad novas, tanquam minime obfuturas, accedam, suadet.

XXXV. Novis igitur cupiditatibus assuesco ac vaco, et temere priores oblivioni trado. Cum ingruentibus paciscor atque convenio, et debitorem me rursus constituo. Ad illas tanquam mihi familiares accedo, et fœnerantes mihi rursus inveniuntur, ut domini. Dum vero ab illis liberari cupio,

per eas veluti servus multis venalis efficior. Cum earum præcidere vincula conor, aliis mox catenis detineor, et dum a bello passionum recedere studeo, per progressionem atque largitiones quasi œconomus ipsarum invenior.

XXXVI. O improbum igitur Draconis dominium, quoniam serviens imperat. O passionum licentiam, quæ passionibus omnes in servitute redigit. O miseram peccati consuetudinem, quæ in naturam convertitur. Hæc arrhas dedit, ut mentem sibi coëmeret. Carni assentata est, ut animam suo obsequio subjiceret. Adolescentiam meam præoccupavit, ut mens quid fieret, ignoraret. Imperfectum sibi sensum conjunxit, ut eo tanquam funiculo ferreo perfectam intelligentiam retineret. Volentem autem fugere non sinit, sed vinculo cohibet, et a carne deficere cupientem, ut stultam atque ingratham redarguit. Peccatum mentem munit, et fores cognitionis occludit; semperque animum malitia observat, ne supplex ad Deum confugiens, vendi carnem prohibeat. Jurejurando affirmat non esse malum indulgere carni, neque de re adeo parvi momenti rationem exactum iri. Confusum plurimarum cogitationum acervum adducit, negatque fieri posse, ut de iis quæstio habeatur. Earum profert tenuitatem, ipsasque oblivione delendas asserit. Si judicium futurum portendero: « Ego, » inquit, pœnas pro te dabo. » Si dixero peccatum esse: « Ego, inquit, rationem reddam, ac te purgabo. » Quod si pœnam inde mihi imminere demonstravero: « Qua ratione, inquit, si ego tibi suggessi? » Si dixero me, quod paruerim, condemnandum: « Minime vero, inquit; nam ego te compuli. Et quo pacto morem gessisti, in eo quod ex libera voluntate non egisti? »

XXXVII. His me rationibus convincit: hisce me vinculis constringit: hisce me vendit, et coëmit: hisce me fallit et in errorem impellit: hisce mihi assentatur, et suæ

me servituti subjicit. Peccatorem mei similem Paulus carnalem appellat. Peccatum consensu perficitur<sup>1</sup>; mores autem inter naturam et peccatum sunt medii. Passiones animique affectiones peccatum fovent, et naturam exagitant, animum affligunt, et mentem in servitutum redigunt. Nam peccatum cum est in carne, dominatur in mentem, et vincit animum, per ipsam carnem illum subjiciens. Jussa quippe ejus, velut ministra sedula, prompte exequitur; quin et animam ministerio illius opprimit, ejusque quasi œconomum agit, dum præbet, et opus exigit. Et si verberare voluerit animam, id per carnem efficit, ejusque opera illam affligit, et divexat. Nam caro est veluti quædam animæ catena, qua illam tanquam ovem capit, ac trahit ad occisionem, et tanquam sublime petentem volucrum, hac eam constringit atque devincit; eademque, tanquam fortis alicujus gigantis pedes manusque gladio illam concidit. Fugere nec valeo, nec ipse mihi succurrere. Sum enim veluti mortuus, cum vivo; et tanquam cæcus, dum aspicio; et licet sim homo, factus sum veluti canis; cumque ratione atque intellectu sim præditus, instar jumenti effectus sum.

XXXVIII. Miseremini ergo mei, o amici mei. Me humili jacentem, corde et animo excitate ac sublevate, quicumque naturam corporis natura spiritus contemperastis. Festinate, obsecro, priusquam sententia pronuntietur, et antequam ego moriar, properate; ne una cum fatuis excludar virginibus<sup>2</sup>: antequam in terram abeam, ubi mortalium vitam intueri non licet, nec de justitia injustitiave ratiocinari: ubi non est corpus, per quod vita aut mors ad animam accedat; neque caro, per quam inimicus ab ejus infirmitate devictus, subsannetur. Nam si Dominus mihi auxiliatus fuerit, a miserabili cupiditatum affectione liberari cupio: sique mei misertus fuerit, parere illi plane

<sup>1</sup> Rom. vii, 14. — <sup>2</sup> Matth. xxv, 1-12.

desidero. Si mecum secundum multitudinem misericordiæ suæ egerit, a peccato me liberabit<sup>1</sup>: et si suam in me benignitatem effuderit, salvus ero. Credo illum posse, et non despero salutem meam. Scio misericordiæ ipsius magnitudine multitudinem peccatorum meorum superari; neque ignoro eum, cum advenit, omnium esse misertum, atque in baptismo peccata condonasse confiteor, nam et ego gratiæ hujus factus sum particeps.

XXXIX. Cæterum illorum, quæ post baptismum admisi, medicina indigeo. Sed is, qui mortuos suscitavit, etiam me curare potest. Cæcus sum factus; sed et cæcum a natiuitate ipse sanavit<sup>2</sup>. Ovis sum leoni ad devorandum proposita; sed ex ore serpentis ipse Adamum liberavit. Canis ob peccata mea factus sum: at sanabor, et instar illius Syrophœnissæ filius efficiar<sup>3</sup>. Velut leprosus rejectus sum: at, si voluerit, mundabor. Post cognitionem me peccasse scio: sed sanctum habeo David pro me deprecantem. Ille divino adjutus auxilio resipuit: et ego ab ipso visitatus sanabor. Magnis me peccatis obstrinxi, scio; sed major tamen est Dei benignitas atque clementia. Qui Publicano principatum dedit<sup>4</sup>, etiam mihi licet pluribus malis obnoxio condonabit. Qui Zacchæi<sup>5</sup>, ut digni, misertus est, mei quoque quantumvis indigni miserebitur. Lupus erat Paulus, Christi gregem persequens<sup>6</sup>; sed, crudelitate deposita, factus est ovis. Qui instar immanis feræ, oves prius dissipabat, idem tanquam pastor oves postea curabat. Novi ipsum ignoranter fecisse; sed ego sciens peccavi: dumque excellens ejus gratia peccatis meis major sit, veniam duntaxat peto; ille vero, qui per imprudentiam peccaverat, et veniam et majorem consecutus est gratiam.

XL. Oro vos, fratres, ut huic rei studiose operam detis.


<sup>1</sup> Psal. L, 3, 4. — <sup>2</sup> Joan. IX, 1 et 19. — <sup>3</sup> Marc. VII, 26 ut 28. — <sup>4</sup> Luc. XVIII, 14. — <sup>5</sup> Id. XIX, 1-6. — <sup>6</sup> Act. XXVI, 11.



Neque enim iudicium solum atque damnationem reformido; sed et irrisionem atque ignominiam pertimesco. Eos, qui nunc me reverentur, vehementer vereor; metuens ne in eorum tunc conspectu propter occulta peccata mea pudore suffundar. Vereor et eos, qui genuerunt me, ne illi in sæculari vita degentes condemnent me, qui ea, quæ supra hanc vitam sunt, professus sum. Si vobis denuo molestus esse videor, ignoscite, et necessitati hanc meam molestiam ascribite. Illam imitari volo viduam, quæ sua importunitate, quod voluit, a iudice impetravit<sup>1</sup>. Et imprudentis illius instar amici videri vobis cupio, ut e lecto surgentes, pro me ad Deum preces fundatis. Ille panis solatium deposcebat: ego autem salutis auxilium. Ille carnis cibum; ego vero animæ refectionem. Si volueritis, impetrabo quod cupio: facile enim mihi benignus et misericors Dominus conciliabitur.

XLI. Pro me igitur, tanquam pro amico, deprecemini, et opera atque industria vestra Deum mihi propitium fore novi. Cupit namque ille sententiam mutare: sed fructum dispositionis vestræ requirit. Paratissimus est ad miserendum; sed ut vos benignitatis suæ participes sitis, expectat. Miserendo enim vult docere, et ignoscendo socios acquirere. In omnibus semper bonitas ejus demonstratur. Qui malum, quod scienter commisit, excusat ac purgat, neque aliis scandalum præbet, aut alios suo exemplo ad peccandum excitat; is facillime iudicem placare poterit. Conscientiam uniuscujusque novit Deus, et peccatorum non solum iudicat quantitatem. Esau locum pœnitentiæ non reperit, quoniam per contempcionem peccavit, non invitus, sed sponte; non enim errore atque ignorantia, sed sciens ac volens peccatum admisit: nam et parentes exacerbavit, et Deum non est veritus<sup>2</sup>. Judas quoque proditor pœnitentiæ

<sup>1</sup> Luc. xviii, 3-5. — <sup>2</sup> Gen. xxvii, 41 et seqq.




locum non invenit<sup>1</sup>, quia cum Domino versans, peccavit, et spreto Deo, Justum tradidit.

XLII. Multum igitur interest inter peccata, quæ scienter committuntur, utrum quis ea sensu, an cogitatione faciat, adhibito utrobique consensu. Et gravius pejusque interdum unus cogitatione, quam alius opere peccat, cum et hic pœnitentiæ reperiat locum, ille vero minime. Exemplis porro sunt ea, quæ proposuimus ac diximus, confirmanda, ne inania vobis adduxisse commenta videamur. Cham cum solum de irridendo patre cogitasset, repudiatus est<sup>2</sup>: et David, qui reipsa peccatum expleverat, ab eo fuit absolutus<sup>3</sup>. Qui Core consenserant, cum nihil omnino dixissent, aut egissent, igni consumpti sunt<sup>4</sup>: idemque iis accidit, qui ad accersendum Eliam accesserant<sup>5</sup>: totam vero synagogam, quæ conflatum adoraverat vitulum<sup>6</sup>, post correptionem ac disciplinam Deus liberavit. Et Saül cogitationibus idololatriæ consentiens, rejectus est<sup>7</sup>: Manasses autem de idololatria a se admissa pœnitentiam agens, in gratiam receptus est<sup>8</sup>. Peccavit scienter consuetudine Achab, et susceptus est<sup>9</sup>; peccavit Achitophel duntaxat consilio, et in peccato mortuus est<sup>10</sup>.

XLIII. Alia quoque ad hanc rem comprobendam exempla suppetunt, quæ si attenderitis, cognoscetis. Ruben, quod patrem offenderet, non ignorabat<sup>11</sup>; et cum esset rejectus, post ipsius mortem a crimine liberatus est. Symeon et Levi, quod graviter scienterque peccassent<sup>12</sup>, ad tempus sunt damnati, sed novissime veniam consecuti sunt. Ipseque Aaron vitulo conflati sacrificans<sup>13</sup>, adhuc excusationem invenit, et per sacerdotium ab illa necessitatis macula

<sup>1</sup> Matth. xvii, 5. — <sup>2</sup> Gen. x, 22-27. — <sup>3</sup> 2 Reg. xi, 4, et xii, 13. — <sup>4</sup> Num. xvi, 51, 52. — <sup>5</sup> 3 Reg. xviii. — <sup>6</sup> Exod. xxxii. — <sup>7</sup> 1 Reg. xvi, 14. — <sup>8</sup> 2 Paral. xxxiii, 12, 13. — <sup>9</sup> 3 Reg. xxi, 27 et 29. — <sup>10</sup> 2 Reg. xv, xvi et xvii. — <sup>11</sup> Gen. xxxv, 22, et xlix, 4. — <sup>12</sup> Id. xxxiv, 25. — <sup>13</sup> Exod. xxxii.



expurgatus est : filii vero ejus delinquentes, mortui sunt <sup>1</sup>, cum illis ne spatium quidem sese defendendi concessum sit. Ophni quoque ac Phinees hos imitati <sup>2</sup>, quia in insolentia et arrogantia perstiterunt, eidem judicio subjecti sunt.

XLIV. Quin et in Evangelio Simon cum inique se gessisset ac prudens aberrasset, sine dubio veniat dignus habetur <sup>3</sup>. Elymas vero, qui prædicationi restitit <sup>4</sup>, ad tempus cæcitate percussus, liberatur. At Sapphira <sup>5</sup>, ejusque consors sacerdotibus similes, quippe qui et ipsi nullum defensionis invenerunt locum, quoniam in occulta quadam contemptione versabantur. Quemadmodum autem in cogitationibus peccatum esse diximus per consensum; tales quoque in antedictis cogitationes invenire licebit. Qui Satanae traditus fuit, Rubeno similis reperitur, quoniam castigatus, dilectionem et veniam impetravit. Illud tamen in his interest, quod unus, vivente adhuc patre; alter autem defuncto eo, peccavit : ideoque Ruben majori pœnæ subicitur. Et Judas traditor, similis Esaü extitit; quia sicut hic primogenita, ita ille gratiam suam vendidit : quare et ambo rejecti sunt. Noverat Judas id quod agebat, quoniam gratiæ experimentum habebat. Nam et Dominus ad eum : « Osculo, inquit, me tradis <sup>6</sup>? » Et licet Divinitatem cognovisset, ab avaritia tamen est devictus. Et Esaü quamvis admonitus, parentes tamen exacerbavit.

XLV. Magna sane differentia est, fratres, et in ipsa peccati cognitione magnum discrimen; quin et in ipsa potentia cernitur differentia sententiæ. Actionem considera, et discrepantiam cognosces. Consensum respice, et justitiæ momentum ac vim intelliges. Tempus actionis expende, et supplicium plane justum esse dices. Ne autem personæ

<sup>1</sup> Num. xvi, 31, 32. — <sup>2</sup> 1 Reg. iv, 11 et 17. — <sup>3</sup> Luc. vii, 59.—

<sup>4</sup> Act. xiii, 8. — <sup>5</sup> Id. v, 2 et seqq. — <sup>6</sup> Luc. xxii, 48.

nos species fallat, quod ea, quæ fiunt, non videamus. Ex me discite, quam recte Pharisei reprehensi fuerint, cum Christus simulatum ipsorum taxavit habitum ac figuram; illique male sibi conscii, ad insidias mox se converterunt. Mihi quoque frequenter ejusmodi mœstitia accidit atque morositas; nam dum a conscientia reprehendor, contristor et moleste fero. Acerbus quippe apud illos, qui latere cupiunt, est veritatis stimulus; duraque videtur reprehensio esse hominibus, præsertim iis, qui populo placere student. Detegite figuram hanc meam, et vermes apparebunt. Auferte fictionis operculum, et quid in sepulcro sit, perspicietis. Aspiciate actionis meæ virtutem, et pharisaicam agnoscetis similitudinem. Hac sola re ab illis differo, quod et vobis ego, quid sum, confitear.

XLVI. Quapropter et vestris precibus me procul a supplicio absfuturum spero. Permagni enim refert, ut in tempore quis iniquitatem confiteatur, et confitendo, legislatoris iracundiam evitet. Neque parvi momenti res est, ut judicem quis sibi, culpam non negando, benevolum propitiumque reddat. Pharisei itaque in sua pertinacia persistentes, cum ipsa Hierusalem capti sunt, et simulatam justitiam venditantes, peccatoribus confitentibus inferiores fuerunt. Quare et ab initio Christus aiebat eos in simulatione incedere. Quinetiam per Esaiam prædixerat eorum fraudem et calliditatem, seque venturum ac reprehensurum illos. Quid igitur ait? « Visitabo eos, qui vestes gerunt alienas: » semperque ab illo redarguebantur, quod justitiam simularent. Si aliorum erant, quorum igitur debebant esse? Si aliena ipsi vestimenta gestabant, quorum ergo illa Phariseorum indumenta erant? Ego quidem sentio ea fuisse Prophetarum; quoniam in illis populus erudiebatur. Sed etiam Apostolus referens quosdam in melotis<sup>1</sup> ac pellibus caprinis

<sup>1</sup> Hebr. xi, 37, 38.

versatos esse, consequenter dixit in solitudine sic ipsos facere solitos. Nam in civitatibus habitum mutabant; neque enim scire volebant homines quidnam ipsi agerent.

XLVII. Alienus igitur ac peregrinus Pharisæorum erat habitus; quippe qui cum essent insipientes, sapientum magistrorum more vestiebantur. Pellicæ quidem vestes erant pro amictu; neque enim populo cupiebant esse conspicui. Pelliceas vero habebant atque gerebant, tanquam ad exercitationem accommodatas. Temperantia enim calore indiget; vestimentique illud genus erat congruens, tum domi, tum etiam foris: nam temperantiæ inopia concludit. Plane autem oratio per meditationem, et prudentia per temperantiam augetur ac proficit, quarum utraque tam sapientibus, quam Prophetis necessaria erat. Illis quidem, quia docebant: his autem, quia reprehendebant. Quamobrem etiam habitu indigebant utrique. Cæterum Pharisæi neutram vitæ rationem servabant; neque enim sapientes erant, neque futura prospiciebant. Proinde et merito eos Dominus reprehendit, quod negotiationi, non veritati vacarent.

XLVIII. Ego vero meam vobis, fratres, reprehensionem propono, ne repente, cum Deus causam meam cognoverit, rideatis. « Opus enim cujusque, inquit Apostolus, ignis » probabit <sup>1</sup>. » Quod si opus discernere novit, quanto magis habitum dijudicabit? Nam si quis justorum habitu indutus fuerit tanquam justus, non rejicietur. Sin autem quis, indignus cum sit, illum assumpserit, nudabitur ac spoliabitur eo. Hic porro est ille, de quo dicit Evangelium: « Quia » dividet eum <sup>2</sup>. » Distinctione enim habitus etiam honoris ac dignitatis gradus judicatur. Episcopus quippe, et presbyter, et diaconus, et reliqui, habitu et dignitate distinguntur; qui autem reperti fuerint indigni, spoliabuntur. Non dicit

<sup>1</sup> 1 Cor. III, 13. — <sup>2</sup> Matth. XXIV, 51.

de operibus : « Dividet ; » nam ignis hæc cum eorum auctoribus comburet ; verum de nomine et habitu illud dictum intelligitur. Decorem enim ac gloriam perdent, et ignominiam atque confusionem induent.

XLIX. Sic igitur est vestimentum ignominiaë, ita est et gloriaë. Quod etiam in hoc mundo cernere licet. Nam alio induti sunt habitu qui ad mortem ducuntur ; et alio qui in aliqua dignitate constituti procedunt. Ex rebus terrenis etiam cœlestia discamus, et ex talentis illis inter Christi ministros distributis, habitus et dignitates intelligamus. Non omnibus talentum impertitus est Deus, sed ministrantibus sibi servis. Itaque et monachi talentum, ut mihi quidem videtur, acceperunt ; nam libera voluntate et electione a Deo comprehensi sunt. Quamobrem et habitu ab illis, qui in mundo degunt, distincti reperiuntur : quo quidem habitu modestiam et propositum suum designant. Quocirca iudicium etiam fit de habitu ; nam habitus vim professionis indicat. Si quis igitur non id agit, quod professus est, alienum is sibi habitum lucratur ac vindicat. Cujus autem est iste habitus alienus, nisi eorum, qui peregrinum illum faciunt atque alienum ? Siquidem et de sermone quoque otioso iudicamur. Et quis est sermo otiosus ? Professio fidei, quæ est absque operibus. Credit enim, et Christum profitetur ; sed otiose agit, cum ea minime præstet, quæ a Christo præcepta sunt. Est et in alio positus otiosus sermo, quando quis confitetur, sed non emendatur : quando se pœnitere affirmat, et peccare non cessat. Quin et detractio otiosus est sermo ; quia dum præsentem eum videt, cui quis detraxit, obmutescit. Et qui libere confidenterque non reprehendit, etiam obloquitur ; quoniam robore ac firmitate sermo ejus caret. Et qui ex se ipso mendacia fingit, eodem sermonis otiosi vitio laborat ; quia ea, quæ nec facta, nec visa sunt, enarrat.

L. His autem cunctis obstricti sumus criminibus, fratres. Neque enim hæc temere ac frustra instituta est a me indagatio. Expono autem vobis, tanquam medicis, mala quæ patior, ut curandis meis vulneribus, orationis vestræ medicamenta adhibeatis. Conor vobis singulas actiones meas aperire; nam si veritatem tacuero, me ipsum injuria afficiam. Multi sunt, qui præ pudore occultando morbum, insanabilem eum reddunt, quem novissime dolent se medico non exposuisse. Ego vero, nisi mea peccata propter eorum multitudinem me effugerint, non celabo confusionem meam. Melius est enim opem deposcendo, vivere; quam præ verecundia silendo, fame miserabiliter perire. Conducitque magis, dolorem tolerando, vitam retinere; quam ad breve tempus quiescendo, morbum plane incurabilem efficere.

LI. Letalem igitur in me locum quemdam otiosus sermo tenet, totusque in me, ni fallor, abditus est. Quis est ergo sermo otiosus? Qui in solo habitu versatur: qui post boni cognitionem in malis persistit: qui quæ bona sunt, docet, et opere non perficit. Scio quidem me multa, fratres, ad vos, et ad alios plures conscripsisse; sed ea scribendo, sententiam in me ipse tuli. Cumque male agerem, cognoscebam quæ a me perficiebantur, et in male agendo perseve-  
rabam, et simulabam, fingens justum quod erat injustum. Monachosque judicabam, cum ipse monachi duntaxat habitum in me circumferrem. Verum ea mihi sola tantis in malis reliqua est excusatio atque defensio, quod nemini scandalum præbuerim. Malum quidem commisi; sed illius testes non sunt homines. Alios scriptis redargui; at nemini gravis aut molestus fui. Veritatem injuria affeci ad misericordiam inclinans; sed in me ipso tale quid non præstiti. Fratribus cibos male distribui, sed non eos propinquis meis attribui. Ventrem replevi; sed non epulis sumptuosis. Je-

junium solvi; sed non contempsi. Animi continentiam accurate professus sum; sed ad tempus immutavi. Mendacio attrahebar quidem certe, verum non oblectabar. Preces atque orationes neglexi; non ulla tamen adductus impieitate. In psalmodia negligenter me gessi; sed non aliis mundanis rebus distrahebar. In manuum opus non incubui; non tamen alicui gravis fui. Multis in locis veritatem parvi feci; sed nulli omnino offendiculum præbui.

LII. Peto igitur et obsecro, ut mihi in pavimento jacenti manum auxiliumque præbeat. Surgere enim dum volo, nequeo; quia peccatorum pondere gravor. Surgere quidem cupio; sed mala me humi detinet consuetudo. Oculis quidem aspicio; sed tanquam in caligine tenebrisque magnis incedo. Manum meam moveo; sed tamen veluti paralyticus existo. Bono quidem sum animo; verum segni ac deside. Oro, liberari cupiens; at licet jejunans, retineor. Bonum animi propositum liberamque voluntatem habeo; sed vi quadam impediior. Fratres hospitesque diligo; at non sicut decet. Pietatis cultor sum; verum tepidus. A quibus sum beneficiis affectus, illis in amore officiisque respondeo. Inimicos si minus ulciscar; non tamen amore ac benevolentia prosequor. Iis, qui me oderunt, insensus sum; sed tamen vindictam insidiasque non molior. Ad peccatum sum indifferens; non tamen auxiliatrices manus præbeo. Gloriam etsi aucupor, non tamen exigo. In cunctis denique operibus meis supinus quidem sum ac negligens. Atque ideo velut paralyticus, opem misericordiamque imploro. Cum enim bene habere possim, a bono statu longe recedo. Et cum profutura desidero, juxta illa non ambulo; et dum brevem animadversionem devito, procul non consisto.

LIII. Quocirca in his mihi malis versanti, omni studio atque diligentia succurrite. Quod si sedulo præstiteritis, de



Dei benignitate haudquaquam dissido. Liberavit et olim Moyses sororem suam Mariam a lepra<sup>1</sup> : et David, genus Jonathan a iudicio Dei, propter pactum<sup>2</sup> : Elias filium viduæ a morte<sup>3</sup> : et Elisæus viduam a fame<sup>4</sup>, et Sunamitidem a luctu<sup>5</sup>. Quin et in Evangelio plurimi aliorum precibus fuerunt liberati. Nam de Salvatore quid attinet dicere? quippe qui ea, quæ videntur fieri non posse, reddidit possible. Animas siquidem eorum, qui in aliis consolationem præbebant, se autem propter transgressionem liberare nequibant, ipse liberavit atque redemit. Omnia, quæ audistis, quæque egistis, partim a vobis præstari possunt, partim nequeunt.

LIV. In quibus igitur opitulari nobis potestis, quemadmodum illi, subvenite; confido autem fore, ut illa etiam, quæ a vobis præstari nequeunt, concedat et donet Deus immenso gratiæ suæ pelago, si mihi per vos placetur atque concilietur. Quanto enim ipse hominibus antecellit; tanto etiam vos nolite vinci, rogantes. Nam omnem creaturæ benignitatem sua clementia facile superabit. Vestrum enim est, o sancti, pro peccatoribus deprecari. Dei vero munus est desperatis misericordiam impertiri, eosque ad ovilis unitatem reducere, in Christo Jesu Domino nostro, per quem, et cum quo, Patri gloria et potestas cum sanctissimo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Num. xii, 15. — <sup>2</sup> 1 Reg. xx, 16. — <sup>3</sup> 3 Reg. xvii, 22. — <sup>4</sup> 4 Reg. iv, 1-7. — <sup>5</sup> Ibid. 31.



# S. P. N. EPHRÆM

SYRI.

IN SELECTA DIVINÆ SCRIPTURÆ LOCA.

---

CLASSIS III.

DE DOGMATE CONTRA GENTILES, SCRUTATORES,  
JUDÆOS ET HÆRETICOS.

---

SERMO.

*De fine vitæ suæ, sive testamentum.*

I. Ego Ephræm morior, et testamentum scribo, ut uniuersique monumentum relinquam ex iis, quæ possideo.

II. Ut saltem propter verba mea, mei memoriam faciant qui me cognoscunt. Hei mihi, quoniam dies mei consummati sunt, et spatium annorum meorum evanuit.

III. Abbreviatum est stamen, et licio jugum textorium appropinquavit. Defecit oleum in lucerna; diesque mei et horæ præterierunt.

IV. Mercenarius suos implevit annos, et incola tempus suum perfecit. Circumdederunt me satellites, hinc et inde exactores.

V. Plorabo? at non est qui me exaudiat. Clamabo? ut non est qui saluum faciat. Væ tibi, Ephræm, a iudicio, cum ante Filii tribunal astabis!

VI. Teque a dextris et a sinistris noti tui circumdabunt. Hei mihi! quæ tunc erit confusio? væ ei, qui ibi confundetur!

VII. Jesu, tu judica Ephræm, et ne des alteri iudicium ejus. Nam quem Deus judicabit, misericordiam in iudicio consequetur.

VIII. Audivi enim a sapientibus, et ab intelligentibus didici, quod scilicet quicumque vultum Regis aspexerit, quamvis peccator fuerit, hic non morietur.

IX. Hosee vehementer me terret, dum objurgans et exprobrans inclamat: « Cani effloruerunt Ephræm, et ipse non est reveritus<sup>1</sup>. »

X. Et iterum: « Ephræm instar vitulæ, quæ jugum ab humeris excussit<sup>2</sup>. » Quod si quis dicat, de Ephræm, qui fuit filius Joseph, hæc Hosee prophetam dicere:

XI. Ego certe sic sentio, ipsum non distinxisse Ephræm ab Ephræm, neque alterum ab altero. Sed David aliquantulum me consolatur dicens:

XII. « Ephræm fortitudo capitis mei<sup>3</sup>. » Non arrogancia aliqua elatus ista dico; testis est enim Deus: sed vos volo, fratres mei, commonefacere, docere, atque hortari, ut memoriam mei in vestris orationibus et precibus faciatis: ut saltem propter sermones meos, mei meminerint qui me noverunt.

XIII. Accedite igitur et oculos mihi claudite; statutum est enim me jamjam moriturum, et definitum est me hinc abiturum, et non amplius vobiscum mansurum.

XIV. Per vestram vitam, discipuli mei, et per vitam ipsius Ephræm: ex lectulo, ad quem Ephræm ascendit, non amplius descendet.

XV. Nam dolore et labore conficior, et ferre nequeo. Signum porro vobis propono ac speculum exhibeo, ut sem-

<sup>1</sup> Osee vii, 9. — <sup>2</sup> Id. x, 11. — <sup>3</sup> Psal. lxx, 9.

per in illud inspicientes, omne studium adhibeatis, ad ipsum imitandum.

XVI. Noctibus et diebus in tota vita mea neminem convitiatus sum, neque cum ullo contendi ex quo vitam ausi.

XVII. At vero eum infidelibus continuas in synogogis disputationes habui; nostis enim quod, si canis viderit lupum in ovium septa irruentem, nec egressus in ipsum allatraverit, omnino hunc dominus ovium fustibus cædit.

XVIII. Vir sapiens odio neminem persequitur, et si quem odio habuerit, insipientem certe odit. Similiter insipiens neminem diligit, si quem diligit, insipientem diligit.

XIX. Per eum, qui in monte Sina descendit : per eum, qui de petra durissima locutus est : per os illud, quod dixit : « Eloï<sup>1</sup>, » et orbis terrarum renes contremuerunt.

XX. Per eum, qui per Judam venditus est, et flagellatus in Hierusalem : per virtutem ejus, qui alapis cæsus est, et per majestatem ejus, qui se consputari permisit.

XXI. Per tria ignis nomina, per unum Numen et voluntatem : neque ab Ecclesia me segregavi, neque unquam de Dei virtute dubitavi.

XXII. Si porro in mente mea Patrem amplius quam Filium ejus magnificavi, miserationem pietatis ne mihi exhibeat. Et si Spiritum sanctum imminui, oculi mei tenebris offundantur.

XXIII. Nisi quemadmodum dixi, ita et confessus sum, in tenebras exteriores ejiciar. Et, si fecte ac simulate hæc loquor, in igne cum impiis ardeam.

XXIV. Sin vero assentorie ista enarro, non me in judicio Dominus exaudiat.

XXV. Per vitam vestram, discipuli mei, et per vitam

<sup>1</sup> Marc. xv, 34.

ipsius Ephræm : nulla Ephræm possessio fuit, non baculus, non pera. Dominum siquidem nostrum dicentem audivi : « Nihil super terram possideatis <sup>1</sup>. »

XXVI. Accedentes igitur, fratres mei, pacem præbete mihi, et dimittite me, quoniam deficiens abeo. Adjuro vos, charissimi, reminiscamini mei in precibus et orationibus : nam dies meos et horas meas complevi.

XXVII. Adjuro vos, discipuli mei, sancta et inviolabili adjuratione : ne irritos reddatis sermones meos, neque præcepta mea solvatis.

XXVIII. Si quis me sub altari collocaverit, altare Dei mei ne aspiciat : non enim decet putredinem in sancto loco reponi.

XXIX. Qui me in templo ponit, templum lucis non videat : neque enim ei prodest vana gloria, cui non congruit.

XXX. Nudus quippe unusquisque astabit ante tribunal, rationem redditurus. Quorsum autem honore afficitur, qui seipsum non honorat? nam qui seipsum honore non affecerit, hunc neque mundus honore dignum judicabit.

XXXI. Omnia fluxa sunt et transitoria, quemadmodum a Domino nostro audistis. Propterea et hæc flens dico : quoniam templum quidem lapideum, sicut audistis et legistis, dissolvitur et corrumpitur; templum vero carneum ad retributionem et ad interrogationem resurget. Neque enim lapides Dominus judicabit; sed homines ad iudicium vocabit.

XXXII. Cavete, fratres dilecti, et filii mei, filii sanctæ Ecclesiæ, ne quid ex me, monumenti gratia, tollatis : habetis enim memoriam, quam a Domino nostro omnium Servatore audistis.

XXXIII. Quod si Ephræmo magis intendatis, in inquisitionis iudicium veniet Ephræm : ipse enim Dominus ad

<sup>1</sup> Matth. x, 9.

me dicet : « Plus in te, quam in me crediderunt; nam si in me majorem fiduciam haberent, monumentum ex te non requirerent. »

XXXIV. Ne me inter Martyres ponatis : nam peccator ego sum et minimus, et propter defectus meos ipsorum osibus appropinquare metuo.

XXXV. Si enim stipula igni admoveatur, tota combusta ab ipso consumetur. Non autem ista dico, quod conjunctionem illorum respuam; sed quia delicta mea insipiens, exhorresco.

XXXVI. Prophetam enim audivi dicentem : « Noë, Job » et Daniel nequaquam affines suos liberabunt <sup>1</sup>; » fratrem frater non redimet, « Neque propinquus proximum » suum <sup>2</sup>. »

XXXVII. Qui me digitis suis tulerit, lepra manus ejus percutiantur, sicut Giezi <sup>3</sup>. humeris me tollite, et cursim comitantes, funus curate, meque tanquam abjectum sepe- lite, quoniam in contritione dies meos transegi.

XXXVIII. Quare præconiis me celebratis, qui coram Domino plane confusus sum? cur beatum me prædicatis, qui meis nudus sum operibus?

XXXIX. Si quis vero mea vobis opera ostenderit, in faciem utique mihi omnes conspueritis? Si enim peccatoris fœtor vicinos afficit, omnes profecto fugam capietis, non ferentes fœtorem Ephræm.

XL. Qui sericum vestimentum mecum deposuerit, in tenebras exteriores projiciatur. Si quis autem tunica me coopertum tumulaverit, in gehennam ignis detrudatur.

XLI. In mea me tunica, et in meo me cucullo sepelite : siquidem abominabili cultus minime convenit, neque mortuo prodest gloria, qui in sepulcro detentus jacet.

<sup>1</sup> Ezech. xiv, 18 et 20. — <sup>2</sup> Psal. xlviii, 8. — <sup>3</sup> 4 Reg. v. 27.

XLII. Peccator enim sum, sicut dixi. Ne quis ergo beatum me prædicet.

XLIII. Nam Deo cunctæ actiones meæ notæ sunt, omnesque pravitates quas gessi. Iniquitate et debitis inquinatus sum, et peccatis pollutus.

XLIV. Quod enim in me non residet peccatum? aut quæ in me non reperitur iniquitas? quoniam omnia prava ac detestanda delicta in me sunt, sicut dixi.

XLV. Surgite, fratres mei Edesseni, domini, filii, et patres, afferte quæcumque statuistis vota cum fratre vestro ponere :

XLVI. Afferte, inquam, et coram me apponite quod vovistis, fratres : ut quandiu memoria uti mihi licet, pretium ego ipse constituam.

XLVII. Ac pretioso ex iis vase aliquo comparato, digni operarii conducantur ; ut nimirum inter pauperes, et labore ærumnaque confectos distribuatur.

XLVIII. Et vobis quidem in memoriam et retributionem, quia dedistis : mihi autem per gratiam Dei in salutem et mercedem, quia consilium dedi.

XLIX. Alia quippe est merces, quæ operibus, et alia, quæ verbis tribuitur. Major autem est, charissimi, qui dat, quam qui accipit, sicut audistis <sup>1</sup>.

L. Gratias vobis ago, fratres, quoniam omnibus me modis honorastis, et vota vestra obtulistis. Quamvis ego indignus sim, quia dies meos in peccatis transegi.

LI. Nam qui honorat Prophetam, mercedem Prophetæ accipiet <sup>2</sup>, quemadmodum ore suo Præceptor noster affirmavit : utrumque ego peccator sim.

LII. Christus mercedem vobis tribuat, quoniam propter ipsum, et sperantes in eum, honore me hujusmodi affecistis. Ipse igitur, cujus causa, fratres, mihi honorem exhi-

<sup>1</sup> Act. xx, 35. — <sup>2</sup> Matth. x, 41.



buistis, mercedem pro votis vestris rependat, oblationesque vestras suscipiat. Et quamvis ego Propheta non sim, mercedem tamen Prophetæ vos recipiatis.

LIII. Benedicta civitas, quam incolitis, Edessa sapientum mater; quæ ex vivo Filii ore per Discipulum suum benedicta est. Illa igitur benedictio in ipsa inhabitet, donec Sanctus apparebit.

LIV. Qui aliquid afferre decreverit, et illud fraudaverit, Ananiæ mortem patiatur<sup>1</sup>: qui nimirum Apostolus fallere voluit, sed deprehensus, ante pedes eorum cecidit.

LV. Qui cereum coram me portaverit, latus ejus absumat ignis. Quid enim proderit ignis ei, quem proprius ignis accendit? Nam quando manifestus ignis apparet, tunc latens ignis deficiat oportet.

LVI. Satis ergo sit mihi ipsius dolor, neque alia a vobis mihi pœna superinducatur. Pro me, fratres, pro sociis meis, et pro iis, qui me imitantur, lacrymas effundite:

LVII. Quoniam in peccatis dies mei defecerunt, et in vanitate, quæ nihil prodest: et quo non putabam momento venit fur, meque apprehendit: quaque non cogitabam hora, irruit in me satelles, trahitque me hinc in regionem quam non novi.

LVIII. Adjuro te, Abductor, ne me affligas, neque contristes: si enim secundum debita mea mecum egeris, stupor et gemitus me circumdabit. Quid enim mihi misero accidit?

LIX. Nam quando opera mea commemoro, contremiscunt genua mea, dentesque stridore pulsantur: cumque ea, quæ gessi, in memoriam revoco, horrore conficior.

LX. Nullum enim opus bonum toto vitæ meæ tempore unquam feci, neque præclarum quid gessi, ex quo mei me genitores procrearunt. Ne cum aromatibus me sepeliatis;

<sup>1</sup> Act. v, 2-5.

non enim hic mihi honor prodest : neque mecum suaves odores ponatis ; non enim decet me gloria.

LXI. Sed thura date in sanctuario ; me autem orationibus vestris comitamini. Aromata offerite Deo, et Psalmis me prosequimini.

LXII. Pro odoribus et aromatibus, mei memoriam in deprecationibus vestris peragite. Quid enim mortuo proderit suavis odor, jam sensu carenti ?

LXIII. Incensa adolete in domo Dei, ut qui illud ingrediuntur, suavi odore perfundantur. Ne fœtidum stercus veste serica involvas, quæ ipsum non juvat ; sed in sterquilinio potius eum relinque, qui honorem non sentit.

LXIV. Virum quidem divitem decent divitiæ ; at pauperi convenit sterquilinium. Regio ortos genere regnum decet ; at advenas et peregrinos abjectio et humilitas.

LXV. Ne in vestris me monumentis deposueritis ; non enim vestra mihi prosunt ornamenta. Pactum enim inii cum Deo meo, ut inter peregrinos sepeliar :

LXVI. Quandoquidem et ego advena sum et peregrinus, sicut et illi. Cum iis ergo, fratres, me deponite : omnis enim avis ei adhæret, cujus generis est particeps ; et quilibet homo suo gaudet simili.

LXVII. In cœmeterio, ubi contriti corde jacent, ibi me deponite ; ut quando Filius Dei venerit, stillet super me, et cum eis me resurgere faciat.

LXVIII. Respice, Domine, quemadmodum adjuro, et miserationes tuæ super me effundantur. Rogo te, Fili Misericordis, ne pro delictis meis retribuas mihi.

LXIX. Nam si iniquitates observaveris, quis sustinebit coram te <sup>1</sup> ? et si in judicio rationem exegeris, nemo in judicio innocens deprehendetur.

LXX. Omne enim os, sicut inquit Scriptura, obturabi-

<sup>1</sup> Psa<sup>l</sup>. cxxix, 5.

tur, et totus mundus condemnabitur <sup>1</sup>. Non autem hæc assero, tanquam spem abjiciens, sed quæ scripta sunt, enarro.

LXXI. Quid autem dicam, Fili Clementissimi, si in ignem missus fuero? Age igitur mecum secundum consuetudinem miserationum tuarum, et in eo gratia tua cognoscetur.

LXXII. At si iudicium feceris, sicut justitia tua dixit; non unus de millibus neque duo ex decem millibus, justi apparebunt.

LXXIII. Siccine tibi blandiris, o Ephræm, mortalium iudicium a me non fieri? aut æquandos esse justos, rectos et bonos injustis et impiis?

LXXIV. Nulla profecto est lucis cum tenebris participatio <sup>2</sup>, Quomodo enim fieri potest, ut Abel et Cæin homicida simul dejiciantur? Aut qua ratione in eodem Martyres et persecutores loco commorentur? ii scilicet, qui adversus eos, a quibus vexati sunt, clamabunt et conquerentur. Hæc propterea loquor, non rogans te, ut justos impiis adæques, o Clementissime; sed ut mei, meorumque sociorum atque similibus miserearis.

LXXV. Quod igitur prius a me dictum est, iterum dicam, et ab eo non recedam: quoniam nisi misericordiam exhibueris, nemo regnum aspiciet.

LXXVI. Unus enim duntaxat inter mortales est ab omni culpa alienus. Non autem quia ego peccator sum, hæc dico; sed quia vere et sine fuce ea refero, fratres, quæ scripta sunt.

LXXVII. Quiesce ac desine, o Ephræm, ista proferre, dicit mihi Angelus mortis; non enim ars tua tibi proderit, neque abductores tui morem tibi gerent.

LXXVIII. Et duriter ad me loquens: « Os tuum ob-

<sup>1</sup> Rom. II, 19. — <sup>2</sup> 2 Cor. VI, 14.

strue deinceps, inquit; non enim instar tui, mortales omnes peribunt : » nam qui peccator est, cunctos sibi similes arbitratur, et qui cæcus est, similes sibi ipsi reliquos existimat.

LXXIX. Accedite, fratres, et extendentes componite me; statutum est enim me non amplius permansurum. Viaticum suppeditate mihi in orationibus, in Psalmis et in oblationibus :

LXXX. Et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam, fratres, facite. Mortui enim oblatione juvantur, quam viventes faciunt.

LXXXI. Nonne vidistis vinum in dolio testaceo, et racemum maturum in vinea? quando enim racemus vivus in vinea maturuerit, tunc etiam mortuus in lagena agitur.

LXXXII. Quod si male olens etiam cepa sensum similiter habet, charissimi; ( eodem enim tempore, quo quæ in agro sata est, etiam illa, quæ domi servatur, germinat : ) quanto magis mortui, dum commemoratio ipsorum peragitur, sensu afficiuntur?

LXXXIII. Quod si mihi scite respondeas, hæc naturam rerum creatarum sequi; me vero fidem naturæ non adhibere, nisi testimonium adduxeris :

LXXXIV. Audi patienter, et ego tibi de Scriptura, si volueris, proferam. Ad tertiam generationem Moyses in benedictionibus Rubenum vivificavit <sup>1</sup>.

LXXXV. Si ergo mortui non adjuvantur, qua de causa Amramides illum benedixit? Et, si defuncti sensu carent, audi quid dicat Apostolus :

LXXXVI. « Si omino mortui non resurgunt, cur pro » iis baptizantur <sup>2</sup>? » Quod si viri Mathathiæ, qui in mysterio res ordine gestas, quemadmodum legistis, detinebant, de-

<sup>1</sup> Deut. xxxiii, 6. — <sup>2</sup> 1 Cor. xv, 29.

bita eorum, qui in bello ceciderant, cum essent operibus suis gentilium labe inquinati, in oblationibus mundarunt <sup>1</sup> :

LXXXVII. Quanto magis sacerdotes Filii Dei, in sanctis oblationibus suis, et in deprecationibus linguarum suarum, mortuorum debita delere poterunt?

LXXXVIII. Cum vero ad memoriam mei faciendam accesseritis, videte ne quis delinquat, aut peccet; sed pure, et casto, et sancte, fratres, vigilate.

LXXXIX. Non quod omnium delictorum gravissimum sit peccatum fornicationis: sunt enim alia fornicatione longe graviora atque deteriora:

XC. Sed ne ego pro vobis rationem reddere debeam; sic enim Dominus dicet mihi: « O Ephraem, tu eos congregasti. » Fornicatores autem, et adulteros, sicut scriptum est, Deus judicabit in judicio novissimo <sup>2</sup>.

XCI. Et quid dicam ad hoc, dilectissimi? quod ante dixi, timore correptus, etiam nunc dicam:

XCII. Quem Deus judicabit, misericordiam is in judicio consequetur.

XCIII. Nam sicut fermentum in farina; ita carnis concupiscentia in corpore: et sicut ignis in ferro, sic illa ex homine gignitur: cumque ex ipso producta fuerit, ipsum absumit et corrumpit.

XCIV. Huc agite, discipuli mei, sitis benedicti in potestate Pastoris optimi. Et quamvis non sim ego sicut Noë, vos tamen ut Sem et Japheth estote.

XCV. Et licet non sim ut Melchisedech, vos tamen efficiamini ut Abraham. Etsi non sim ego veluti Isaac, vos tamen benedicti sitis ut Jacob.

XCVI. Et tametsi non sim sicut Moyses, vos sitis ut

<sup>1</sup> 2 Macch, XII, 46, — <sup>2</sup> Hebr. XIII, 4,

Josuë filius Nave. Et si non sim ego ut Elias, suscipite vos spiritum meum, sicut Elisæus.

XCVII. Abba vir admirabilis, Christus magnificet memoriam tuam; splendeat vultus tuus, sicut Angelorum: similis esto in splendore Moysi, ut omnes aspicientes te, intelligant te servum esse Dei.

XCVIII. Abraham, qui venisti post me, exaudiat te Deus Abraham. Statim ac os tuum aperueris, sapientia illud a Domino tuo repleatur. Prophetam enim dicentem audivi: « Aperi os tuum, et ego implebo illud <sup>1</sup>. »

XCIX. Simeon, exaudiat te Deus: quando in oratione invocaveris eum; quodcumque oppidum ingressus fueris, ipsius Ecclesiam, tanquam calicem, repleas. Ad videndum te confluant sponsæ et virgines inclusæ: et audient ex te vitam suam, et recipient a te beneficia, et discent a te vitam suam. Haurient ex te scientias, et lucra spiritualia. Tanquam medicus in castris, ita nomen tuum pervadat orbem terrarum.

C. Maras vir Aghelæus, simplex, sincerus, et purus; simplex, inquam, non natura, sed voluntatis arbitrio. Ille tibi cum justis mercedem Sanctorum retribuatur, cujus spe fretus, in tribulatione me secutus fuisti.

CI. Zenobius vir Gaziræus, venator ac bellator, fiat sermo tuus igni similis, et inanum religionum dumeta absumat. Qualis flamma ubi corripuit sylvam, talis oratio tua sit, cum sectas invaserit. Irrumpes qualis David, et vinces pro Goliade filios erroris. Prophetarum armis indueris, et galea Apostolorum. Aderit tibi Dominus tuus, subsidiaria cohors invecta.

CII. Paulona, maledicta mater tua: væ ventri, qui te peperit; quoniam omnium hæresum particeps factus es, et omnium quæstionum sectator. Ab omni labore tuo excides,

<sup>1</sup> Psal. LXXX, 11.

veluti a mercibus suis mercator. Columna, quam tu descripsisti, prodigium in tuo corpore ostendet; confisus quippe es in arundine fracta, et crucis baculum dereliquisti.

CIII. Arvat vir rapax, deleatur memoria tua de libro vitæ, quia dereliquisti vinum Christi, et bibisti facem peccati. Filius, quem os tuum blasphemavit, illatæ sibi contumeliæ pœnas a te expetet.

CIV. Ariani, et Manichæi, Cathari et Ophitæ, Marcionitæ, et Eunomiani, Bardesanitæ et Cochitæ :

CV. Paulianistæ, et Vitaliani, Sabbatici, et Borboritæ, una cum aliis perversis falsarum sectarum dogmatibus.

CVI. Benedictus, qui sanctam Ecclesiam elegit, veluti agnam, quam lupi non momorderunt; et veluti columbam immaculatam, quam non est assecutus persecutor accipiter.

CVII. Nam calix in manu Domini plenus est mixto vini sæculenti; et ex eo apostatæ biberunt et inebriati sunt, et schismate facto, in Jesum irruerunt.

CVIII. Nec mirum: nam in rabiem actus canis, etiam proprium, si potest, mordet dominum: ita et hæretici in errores abducti, adversus proprium Dominum oblatrant, blasphemantes.

CIX. Laus ei, qui ita super illos eminent, ut ad celsitudinis ejus fastigium appropinquare nequeant. Si enim aliqua ratione possent iniqui in cœlum ascendere, omnino discordiam in pacatissima illa Superiorum regione seminassent.

CX. Et horum quidem fratres contenderunt olim ausique sunt in cœlum ascendere; sed a justitia Dei condemnati, confusi sunt atque erubuerunt impii.

CXI. Si igitur in illos, qui in supernam Vigilum regionem ascendere conati sunt, hujusmodi perlatum est judicium, et hæc in ipsorum capita recidit retributio, quo-

modo non magis condemnabuntur, fratres, et majore punientur supplicio, qui separationem disseminare volunt inter Patrem, et Filium et Spiritum?

CXII. In mea igitur permanete doctrina, discipuli mei, et a mea ne desciscatis fide. Si quis vero contra Deum secessionem fecerit, tremens ac vacillans sit in terra, sicut Caïn.

CXIII. Si quis Patre Filium minorem fecerit, vivus in terram absorbeatur. Si quis adversus Spiritum sanctum dissenserit, talis propitiationem non obtineat.

CXIV. Si quis adversus Ecclesiam dissidebit, leprosum ejus corpus fiat, veluti Giezi, et quisquis a mea fide defecerit, funiculo Judæ constringatur.

CXV. Summa iniquitas est blasphemia. Fugite ergo illam, o charissimi. Siquidem in Deum vivum ille peccat, qui conviciatur et blasphemat. Satis superque nobis sint peccata carnis; ne ergo peccatis impietatem superadamus.

CXVI. In hoc uno spem habeo et consolationem coram Deo; quod nullatenus Dominum meum maledictis inceserim, et blasphemia ex ore meo non prodierit. Eos enim, qui te, Domine, oderunt, odio habui, et inimicos tuos abominatus sum <sup>1</sup>.

CXVII. Verba mea vestris insculpите cordibus, meique memores estote. Futurum est enim, ut perversi homines post me ad vos veniant, ovium quidem indumentis vestiti, sed qui sunt intrinsecus lupi rapaces <sup>2</sup>.

CXVIII. Dulcia in ore verba habent; cor autem eorum plenum est felle et amaritudine. Bonorum vestem gerunt, sed ex diabolo sunt. Fugite ergo illos, illorumque doctrinam, et cavete ne ad eos appropinquetis.

CXIX. Nostis enim, quod si quis in loco inveniatur, ubi

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 163. — <sup>2</sup> Matth. vii, 15.



Rex contumeliis afficitur, etiam ipse in iudicium adductus, examinabitur secundum leges, et quamvis constet a contumeliis ipsum abstinuisse, nihilominus iudicium subibit, eo quod zelum pro rege non exeruerit. Ne igitur simul sededas inter seductores, neque cum incredulis te immisceas.

CXX. Satius tibi est, ut cum dæmone habites, quam cum homine infideli. Si enim dæmonem adjuras, statim aufugit, cum permanere coram Jesu nequeat; at vero si millies virum infidelem et hæreticum adjuraveris, a malitia sua non recedet, neque quidquam de sua insania remittet.

CXXI. Satius est, ut dæmones doceas, quam ut hæreticis respondeas. Siquidem dæmones confessi sunt dicentes: « Tu es, Domine, Filius Dei vivi <sup>1</sup>. » At infideles ac perfidi quotidie pertinaciter contendunt ipsum non esse Filium Dei.

CXXII. Et Satanus quidem, qui in ipsis est, confitetur: at ipsi assidue negant. Si platanus in rupe germinabit, fieri poterit, ut perfidus et infidelis doctrinam suscipiat. Fortasse mons humiliabitur <sup>2</sup>, sicut scriptum est, et in vallem evadet, et platanus juxta propheticum sermonem in rupe germinabit, potiusquam vir infidelis ad discendam veritatem accedat. Si fieri potest, ut corvus albus fiat, sic malus efficietur bonus.

CXXIII. Continget vero interdum, ut hyberno tempore nix decidat super alas corvi, et corvus saltem ad tempus albus videatur: ita contingere potest, ut mali de iudicio aliquando disserentem audientes, pœnasque formidantes, ad breve tempus compungantur, et a pravis operibus suis convertantur.

CXXIV. Audite præcepta mea, discipuli mei, et ver-

<sup>1</sup> Marc. iii, 12. — <sup>2</sup> Luc, iii, 5.

borum meorum memores estote. Ne a fide mea declinetis, neque a sermonibus meis excidatis.

CXXXV. Cum autem seditiones ac tumultus in civitate audieritis, veritatem vestram, et fidem firmiter constanterque retinete.

CXXXVI. Futurum est enim, ut cuncta fiant, quæ scripta sunt : « Cælum et terra pertransibunt, iota autem unum » non præteribit <sup>1</sup>, » quemadmodum Magister noster juravit, et dixit; noslis autem ipsum veracem esse et nunquam mentiri.

CXXXVII. En adest ultima dies, præsto est Abductor. Quiesce, Ephræm, sermonibus tuis finem impone. Adjuro te, Domine Jesu, non secus atque suum quisque solet adjurare amicum, ne in die manifestationis tuæ ad sinistram me constituas.

CXXXVIII. Per vitam vestram, in iis, quæ dicturus sum, non mentior. Cum parvulus essem, meque adhuc in ulnis mater gestaret, oblata mihi fuit species quasi per somnium : falsam tamen non fuisse, secutus postmodum eventus ostendit. Vitis ex ore meo repente progerminavit, quæ mox subolescens, mirabili incremento palmites ad cælum usque produxit. Racemorum, et frondium immensa copia opacabat orbem. Adeo arbor excreverat atque per omnes quaquaversus partes amplificabatur. Cumque frequentissimus populus confluxisset, et racemos inde colligeret, fructuum tamen proventus nullibi minuebatur; imo, quo frequentior fiebat legentium turba, eo ditior affluebat botrorum copia.

CXXXIX. Sermones racemis designabantur, frondium copia hymnorum numerum indicabat. Quidquid hoc fuit, donum Dei fuit : ipsi tribuo laudem pro gratia, qui pro sua voluntate mihi de thesauris suis ista participavit.

<sup>1</sup> Matth. v, 18, et xxiv, 35.

CXXX. Amici, valete, et pro me orate, charissimi. Instat tempus, quo patriam suam mercator revisat. Me miserum, qui meos ex negotiatione proventus consumpsi, et thesauros meos omnes dissipavi. Ad piorum obitum nemo illacrymatur, utpote vitam inenitium, postquam tumultati sunt, beatissimam; me, meosque socios atque mei similes, vestris, fratres, lacrymis prosequimini, qui otiosi et desides transegimus dies ac tempora nostra.

CXXXI. Quod reliquum est, valeat terra, ejusque incolis pacem et felicitatem precor, tranquillitatem Ecclesii et persecutionum finem, quas dudum improbi excitarunt. Justitiam impii amplectantur et peccatores, oro, respiciant.

CXXXII. Salve, abductor Angele, qui animam a corpore separans, ad destinatas mansiones, ipsi ad supremum communis mortuorum resurrectionis diem mansuras, illam deportas.

CXXXIII. Talia dicentem Ephræmum, populi pius fletus consequebatur. Aderat forte quædam puella, Lampro-tate dicebatur, Strategi magni et Edessæ præfecti filia, quæ doloris impatiens, in hasce primum erupit voces. « O lacrymabilem casum, qui Edessam hodie evertit patriam nostram. En mœnia nostra ruunt, nobisque occidit lux. » Mox perrumpens virorum mulierumque agmen, in cubiculum invasit, proceditque ad decumbentis pectus, obortisque lacrymis, sic illum precabatur: « Obsecro te per eum, qui habitavit in te, sicut ipsi placuit, suæque mentis interpretem te adhibere voluit: permitte mihi, ut urnam tibi, qualem ego constitui, præparem, mihi que alteram, quam tuis pedibus supponere volo: ut te sequar ad Inferos et ad Superos, nec unquam a te divellar. »

CXXXIV. Abscede hinc, puella, (respondit senex:) pro bona quidem voluntate tua Dominus gratiam tibi repen-

dens, celebre nomen tuum reddat : at vero quantum me quæ postulas conturbent, et quam acerba ad aures talia accedant, dicere nequeo. Etsi enim iste te planctus non dedecet, nunquam tamen, ut postulata concedam, persuadebit. Multa enim, si nosti, morantur : vulgi imprimis inde secururæ obtrectiones ; ne scilicet ab hoc facto post obitum meum, Ephræmi amica apud quospiam audias. Vade igitur, et fac quemadmodum proposuisti ; verum alias facere volentes, ne impediās. Ex marmore tamen cave urnam mihi feceris : nec enim honor iste me decet nec juvat. Unum est, quod tibi, tuisque sodalibus mando, ne bigam conscendatis, neve jugo vestro viros vectores submittatis. Apostolum siquidem audivi dicentem : « Viri caput Christus est <sup>1</sup>. » Tu vero vide ne futuri judicii memoria unquam tibi excidat, unde a conspectu judicis rubore suffusa recedas. Audivi enim sic scriptum esse : « Unusquisque secundum opera sua recipiet <sup>2</sup>. »

GXXXV. Tunc juravit puella coram circumstante populo, dicens : « Per Deum, cui a juventute tua usque ad senectutem inservisti, in posterum bigam non ascendam, et viri amplius me non gestabunt. Quod si mentita fuero, in mea dispeream juventute : et si mandatum tuum transgressa fuero, coram omnibus hominibus exemplum proponar. »

GXXXVI. Cui beatus senex : « Antequam moriar, inquit, volo tibi benedictionem impertiri. Non deficiat ex te principatus usque in sæculum, donec venerit Deus, et terram cælumque dissolverit. »

<sup>1</sup> 1 Cor. xi, 5. — <sup>2</sup> Matth. xvi, 27, Rom. ii, 6, et Apoc. xxii, 12.

## SERMO I.

*Adversus eos, qui dicunt terræ motus a terræ inflatione fieri.*

I. Dicite nobis, qui vestro e pectore verba depromitis, et non ex ore Domini; si quod a Psalmista dictum est, vobis recensuerimus, numquid eredetis? ait enim: « Qui respicit » terram et facit eam tremere <sup>1</sup> » et, « Commovisti terram, et » conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota » est <sup>2</sup>. » Nec dissimile in justo Job dictum reperitur, divino sic ibi affirmante oraculo: « Qui commovet eam, quæ sub cœlo » est, a fundamentis suis, et columnæ ejus concutiuntur. » Qui præcipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi » sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, et graditur » veluti super pavementum, super mare. Qui facit pleiadas, » et vesperam, et arcturum, et interiora austri? Qui facit » magna et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non » est numerus <sup>3</sup>. » Rursusque dicit: « Qui extendit aquilo- » nem super vacuum, et appendit terram super nihilum. » Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter » deorsum <sup>4</sup>. »

II. Atqui ista audientes, non creditis, propterea quod mentem græcanica ebrietate turgidam habetis. Unde et delirantes, dicitis: « Ex terræ inflatione, et non ex divina providentia terræ motus fieri. » Sed dicite nobis, quo pacto durante terræ motu, unoque arvo concusso, altero vero non concusso, non abscindatur concussus a non concusso? Verum quemadmodum sedata aquarum inun-

<sup>1</sup> Psal. ciii, 52. — <sup>2</sup> Id. lxx, 4. — <sup>3</sup> Job. ix, 6-10. — <sup>4</sup> Id. xxvi, 7, 8.

datione, iterum aqua suum in locum tranquilla reduci-  
tur : ita et terra ad rationem undarum post concussionem  
a terræ motu productam, similiter componitur atque fir-  
matur.

III. At dicite nobis rursus modum, quomodo per terræ  
motum montes Armeniæ ab invicem dissiti, in mutuum  
quasi conflictum impellantur, ita ut ignis videatur excitari,  
plurimumque fumare, ex sic satis etiam longa loci inter-  
capedine remotis; rursusque locorum intervallis disjuncti  
montes, singuli suo ordine, ac loco consistent? Quis ergo  
hunc modum annuntiaverit? et quo pacto rursus terræ  
motus tempore in stuporem aguntur qui in mari navigant;  
ipsaque etiam nave huc illucque frequentér a fluctibus  
agitata, non latet eos terræ motus? Nam tabulatis atque  
cubiculis, cum cunctis etiam vasis, quæ in navi sunt, præ-  
ter omne solitum inter se collidentibus atque concutienti-  
bus, nautæ ex terræ motus invasione redduntur attoniti.  
Audite igitur ac intelligite dictum Apostoli, ut vera sapien-  
tia reddamini digni. Ait enim : « Nemo seipsum seducat.  
» Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stul-  
» tus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi  
» stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : comprehen-  
» dam sapientes in astutia eorum <sup>1</sup>. Et iterum : Dominus  
» novit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt <sup>2</sup>. »  
Quamobrem gentilium stoliditate, atque vana eorum sa-  
pientia dementari cavete : quæ admiramini, potentiæ  
præpotentis Dei ascribite, cum Propheta exclamantes :  
« Magnus Dominus Deus noster, et magna virtus ejus : et  
» sapientiæ ejus non est numerus <sup>3</sup>. » Ipsi gloria in sæcula  
sæculorum. Amen.

<sup>1</sup> Job. v, 15. — <sup>2</sup> Psal. xciii, 11, et 1 Cor. iii, 19, 20. — <sup>3</sup> Psal. cxlvi, 5.

## SERMO II.

*Ne decipiamur gentilium erroribus.*

I. Adjiciam autem et hoc dictis : « Mortalitate gliscente in urbe Constantinopoli, multisque morientibus, medicus quidam, cognomento Domnus, plurimorum tunc ibi cladem, et aliorum timorem, quo detinebantur, cernens aiebat. Ex his quidem, qui moriebantur, alii artifices erant, qui igne sua opera conficiebant ; alii in cellis subterraneis degebant. Qui vero in altioribus locis habitabant, et serenioris, subtiliorisque aëris beneficio perfruebantur, pestis contagium evadebant. Atqui ista in Domno contigerunt, postquam animum ad vanam gentilium sapientiam imbibendam appulit, et ab ejusmodi mentem suam lædi passus est : et ut ista hic effutire cœpit, biduo aut triduo post, morbo correptus, jacuit semivivus, proprios subornans servos, qui ipsum in suburbium ejus ferrent, ut mortuus ibi sepeliretur. Quem alius medicus, cui nomen Macedonius, videns deportari jam agentem animam (erat autem ipse unus ex iis, qui futilem ejus loquacitatem audire solebant), ait : « Hic tametsi pulcherrima domo, ac sereno aëre perfrueretur, non est salvatus ; sed ecce obrutus est, nec suæ ipsi profuerunt nugæ. » Et Domnus quidem ad suburbium delatus, ibique mortuus ac sepultus est. Macedonius vero ab ingruente mortalitate præservatus, vitæ priori renuntians, sincerioris vitæ institutum, monasticum scilicet, amplexus est, ab illius impietate minime consumptus.

II. Nostrum porro erit, a Deo inspirata Scriptura duce, mentem nostram recte nos dirigere. Quibus enim mens divinis doctrinis non est illustrata, remotam hi mentem a

veritate possident. Quare divinam nos audiamus Scrip-  
 turam, luculenter in secundo Regum libro proclamantem,  
 atque dicentem : « Et addidit furor Domini irasci contra  
 » Israël ; commovitque David in eis dicentem : Vade, nu-  
 » mera Israël et Judam. Dixitque rex ad Joab principem  
 » exercitus sui : Perambula omnes tribus Israël, a Dan us-  
 » que Bersabee ; et numera populum, ut sciam numerum  
 » ejus <sup>1</sup>. » Et paulo post ; « Dedit ergo Joab numerum des-  
 » criptionis populi regi, et inventa sunt de Israël, octin-  
 » genta millia virorum fortium, qui educerent gladium : et  
 » de Juda quingenta millia pugnatorum. Percussit autem  
 » cor David eum, postquam numeratus est populus : Et  
 » dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto,  
 » sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem populi tui,  
 » quia stulte egi nimis. Surrexit itaque David mane, et ser-  
 » mo Domini factus est ad Gad prophetam, et videntem  
 » David, dicens : Vade, et loquere ad David : hæc dicit  
 » Dominus : Trium tibi datur optio, elige unum, quod vo-  
 » lueris ex his, ut faciam tibi. Cumque venisset Gad ad  
 » David, nuntiavit ei, dicens : Elige tibi unum fieri ex his ;  
 » aut tribus annis veniet tibi fames in terra tua ; aut tribus  
 » mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur ;  
 » aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc  
 » ergo delibera, et vide quid respondeam ei, qui me misit.  
 » Dixit autem David ad Gad : Coarctor nimis hisce tribus.  
 » Sed melius est ut incidam in manus Domini, ( multæ  
 » enim misericordiæ ejus sunt ), quam in manus hominum.  
 » Erantque dies messis ignium. Immisitque Dominus pes-  
 » tilentiam in Israël de mane usque ad tempus constitu-  
 » tum ; et mortui sunt ex populo a Dan usque Bersabee,  
 » septuaginta millia virorum. Cumque extendisset manum  
 » suam Angelus Dei super Hierusalem, ut disperderet eam,

<sup>1</sup> 2 Reg. xxiv, 1, 2.



» misertus est Dominus super afflictionem, et ait Angelo  
 » percutienti populum : Sufficit nunc, contine manum  
 » tuam. Erat autem Angelus Domini juxta aream Ornæ Je-  
 » busæi. Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Ange-  
 » lum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, et ego  
 » sum pastor, qui inique egi ; isti, qui oves sunt, quid fe-  
 » cerunt ? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et con-  
 » tra domum patris mei. Venit autem Gad ad David in die  
 » illa et dixit : Ascende, et constitue altare Domino, bo-  
 » num in oculis ejus, in sancta area Ornæ Jebusæi. Et as-  
 » cendit David juxta sermonem Gad prophetæ, quem præ-  
 » ceperat ei Dominus. Consipiciensque Orna, animadvertit  
 » regem, et servos ejus transire ad se : et egressus Orna  
 » adoravit regem prono vultu in terram, et ait : Quid cau-  
 » sæ est, ut veniat dominus meus Rex ad servum suum ?  
 » Cui David ait : Ut emam a te aream, et ædificem altare  
 » Domino, cessetque interfectio, quæ grassatur in populo.  
 » Et ait Orna ad David : Sint omnia domino meo Regi, et  
 » faciat quod placet in oculis suis. Accipiat, et offerat do-  
 » minus meus Rex Domino, sicut placet ei. Ecce boves in  
 » holocaustum, et plastrum, et juga boum in usum lig-  
 » norum. Omnia dedit Orna regi, dixitque Orna ad regem :  
 » Dominus Deus tuus benedicat tibi. Cui respondens rex  
 » ait : Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non of-  
 » feram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo  
 » David aream et boves, argenti siclis quinquaginta, et ædi-  
 » ficavit ibi David altare Domino : et obtulit holocausta, et  
 » pacifica, et propitiatus est Dominus terræ, et cohibita est  
 » plaga ab Hierusalem <sup>1</sup>. »

III. Sive ergo bellum, sive fames, sive pestilentia, sive  
 quid aliud triste atque acerbum ingruat, cuncta hæc ad  
 emendationem correptionemque nostram, tuum ut mens

<sup>1</sup> 2 Reg. xxvi, 9, usque ad finem.

hominum ad pietatem impellatur, mortalibus inferri credendum est. Indigent namque singulæ ætates disciplina visitationis Domini. Nam si timoris etiam tempore, nonnulli ad pietatem sint insensibiles; quomodo non magis, si nulla Domini visitatio fiat, penitus ad impietatem perditionemque suam ipsi mentem convertent?

---

## DE FIDE

SERMONES POLEMICI OCTOGINTA SEPTEM ADVERSUS SCRUTATORES.

---

### SERMO I.

I. Pro illa fidei regula cunctis impertiente vitam, quam ille condidit, a quo omnes docti sumus, novam nobis in-  
 vexit disciplinam ætas nostra, audax hominum genus. Quid istos civerit motus, haud ignorat, qui cuncta novit. Jam si ejusmodi contentionum causa fuit ingenii ac scientiæ ostentatio, Dominus, oro, hominum superbiam, et arrogantiam compescat, si discordia, concordiam reparet: sin autem charitas, in suis ipse sua prodat. Heus tu, qui contra excelsum montem jacularis, illuc pertigisse jacula tua ne credas, procul a te quidem illa aliquantulum abierunt, quem petis tamen neutiquam attingere scopum. Generatio Filii Dei supra omnem mentis humanæ vim, et aciem asurgit. Tuo tibi de genere propone argumentum, cognatamque tibi imaginem fingens, rei testimonio propinquæ rebus remotis fidem præstruit. Age itaque, speculationi tuæ scopum figito animam, et vide quantum ab eo aber-

ravere rerum investigatores. Esse quippe animam quidam fatetur, negat alius, morti obnoxiam hic putat, ille immortalē prædicat : quidam ex aliquo præexistente fieri docent ; opinantur alii de nihilo creari. Qui ejus dignitatem considerat, parvam rei maximæ partem æstimat, et qui ejus cogitat interitum, aëris flatum putat. Fuit qui halitum esse dixit : fuit qui sanguinem appellavit. Quidam ejus ardorem et æstus attendens, ignem esse asseruit : alius ejus abstractum agendi modum speculatus, spiritu constare affirmavit : quidam particulam credidit, divina decerptam natura : alius divinum esse flatum. Fuit qui simplicem esse substantiam docuit : nec defuit qui opinatus est ex pluribus componi naturis : fuit qui illam ex uno temperatam elemento finxit : affuit qui ex septem temperamentis conflare dixit : fuit qui naturam ejus magnifice extulit : fuit qui ignominiose traduxit quasi nudam, egentem, et ad ima depressam. Si autem nec sibi anima constat, quandoquidem suis etiam luditur in somniis ; et usque eo aberrant a scopo, qui sibi investigandam ejus naturam proponunt ; cuinam ergo putas, aliquem patere aditum ad cognoscendam illam generationem, pervestigantibus inaccessam ? Est tamen hic quod mirere dicentem animam nusquam esse, cum in ipso anima sit, et ipsa contra se disputet, ipsa se neget, et asseveret se neutiquam esse. At anima, quæ ipsa se non intelligit, utrum sit, vel non sit, ipsaque semet sentire nequit, sed agitur obvolviturque se circumtrusatilis ad instar molæ, suum quomodo investigabit Auctorem ? Attamen etsi anima suum sub aspectum non cadit, speculum tamen ipsa sibi data est, in quo se videat ; videbit autem, si tandem intelligat mutis animantibus ratione intelligentiaque se longe præstare. Anima quidem est, sibi tamen non est, quatenus sibimet ignota est. Qui enim illa non sit hic, quam hic esse suus ipse prodit actus ? verum-

tamen sic a Creatore habet, quo sit, ut habeat a sua voluntate, quo pereat. Jam si sua sic animam latent ornamenta, propriæque ignara est dignitatis, quid censes? Anima quæ seipsam negat, quid rerum fateatur id esse, quod vere est? Quæque in propriis hæsitat et labitur, quidnam extra se persequendo assequatur, aut inveniat quæritando non sua? Ita-ne quæ ipsa sibi præsens non est, præsentem habeat absentem, abditum illum, retrusum et impenetrabili caligine circumseptum?

II. Sed agedum si mens nostra seipsam nescit, scientis omnia generationem cogitare, quo pacto sibi fas esse putet? Opus, quod seipsum ignorat, quomodo inquirat in suum opificem? Est quædam natura præstantissima plane inenarrabilis, hanc quisquis fari tentat, si non potuit dicere magnam, parvam fecit; quicumque tamen de Deo maxima conatur dicere, quo illum magnum dicit, ipse fit magnus, adeo ille magnus est! Quin ergo cohibes discursum, qui ad illum deficit? quin possides silentium, quod ipsum decet? Quæso, Domine, tribue mihi utroque discrete uti; neve temere disputem, neve sileam otiose: doce sermonem ædificationis, fac ut possideam silentium discretionis.

---

## SERMO II.

I. Beatum dico, qui sibi purum veritatis speculum ante oculos fixit, tuamque in eo contemplatus generationem, intellexit tandem arcanum esse inexplicabile et penitus abstrusum: iterum beatum judico, qui ad cognoscendam veritatem mentem applicuit, eademque docente, didicit Deum ab homine investigari non posse. Beatus, qui sanctæ

taciturnitatis septo suas cinxit aures, cavitque ne istud perrumperent disputantium contra te sophistarum contentiones. Beatus, qui in secessu spirituales alas sibi ipse quærit, subaudiensque divina in disceptationem vocari in terris, terras deserit, et cœlum ascendit. Beatus, qui diligentem rectorem se præstitit fidei, quam didicit, excitataque disceptationum tempestate, e pelago in portum taciturnitatis evasit. Beatus, qui animadvertit orationem suam indisertam esse, et infantem, nec inexplicabili illi conceptui sufficientem habere sinum. Beatus, cujus lingua, quæcumque fari non licuit, premit. Beatus, qui sua damna plangit, recogitans, quæ ipsum graviora manent. Beatus, cujus cithara carmina modulatur Davidica, revolvit apertos ipsorum sensus, quos tamen explicare nemo sufficiat, mysteriaque quorum intelligentiam omnis humana ratio desperet. Beatus, qui fabricatus est sibi trutinam veritatis in omnem diem, eaque suas quæstiones explorat, ne supervacanea quærat. Beatus, qui sibi mensuram justam invenit, exactam ad mensuram Apostolorum et Prophetarum, ipsam videlicet, quam divina ratio condidit. Beatus, qui disputationem suam pensat cum utilitate audientium; nec levis illa fuit, ne forte vilesceret; nec gravis illa fuit, ne mergeretur. Beatus, quem nec celeritas ultra metam rapuit, nec tarditas morata est, quominus eo, quo tendebat, appelleret. Beatus, qui quod assequi se posse novit, conatur et agitat. Beatus, qui eo tendere recusat, quo se perventurum desperat. Beatus, qui suam tibi linguam in figuram citharæ conformavit, ejusque ad sonum carmina modulatur, audientium morbos curatura.

II. Etiam, Domine, beatum dico, quisquis veritatem doctus, infirmos confirmat, ejusque religio et sanctitas ægras mentes quasi baculus sustentat; sed et beatum puto, cujus doctrina fermenti salutaris naturam induit, fatuum-

que sapore imbuat suavi : infermentatum videlicet dico hominem mente carentem. Beatus, qui cum indoctis disputaturus, purum speculum iis parat et offert, quo monitore, suas corrigant mendas. Beatus item, cujus oratio salutare pharmacum videri possit, adeo ut refundat vitam mortuis, nec ideo silentibus, imo sese efferentibus supra illum, a quo spiritum et vitam cuncta ducunt. Beatus, quisquis ille fuit, qui cum de tua generatione in concione temere disceptaretur, satius duxit esse mutum, quam quæ nemo intelligat, dicere. Beatus etiam, qui, data occasione pie confitendi, prædicandique tuam a Patre originem, visus est in vocalem transisse tubam.

III. Quisquis intellexit qualis operæ sit, quantique laboris investigare tuam, Domine, naturam, hunc ego beatum prædicabo, eoque etiam beatiorem, quisquis expertus didicit, quam jucundum et suave sit dicere laudes tuas. Næ ille beatus, qui nefas esse putat linguam suam in aquæductum fingere, illamque vanis sophistarum quæstionibus commodare : nec habet ille minus, qui linguam in tubam transformavit clare sonantem, atque veræ religionis dogmata ab Apostolis ac Prophetis tradita, promulgavit. Beatus qui græcæ philosophiæ fel minime gustavit, nec ab Apostolorum simplicitate descivit.

---

### SERMO III.

I. Beatus, qui dignus fuit, Domine, te in magna charitate appellare, eo nomine, quo te dilectum Filium suum dixit ipse Deus Genitor tuus. Beatus, qui continuit, Domine, os suum ab omnibus quæstionibus, vocavit te Filium Dei, qui a Spiritu sancto vocatus fuisti. Beatus, qui

meruit, Domine, credere simpliciter, et te Filium appellare, qualem appellavere Prophetæ omnes et Apostoli, doctusque tuam majestatem inscrutabilem esse, suam sine mora linguam admonuit, ut humili silentio tuam veneraretur generationem. Beatus, qui fidei oculum sibi, Domine, quæsivit, quo aspiceret, unde Angeli ab aspectu tuo obtutum averterent, quove contra procederet hominum audacia. Beatum dico, Domine, quisquis suam explicat mentem, tuamque speculatus magnitudinem, intellexit huic mentes creatas neulquam esse pares, tibi que gratiam se habere dixit, quod tuo illum dignatus fuisses illapsu. Beatus, qui novit, Domine, te esse Deum Filium Dei, nec ignorat, cujusnam ipse sit filius, mortalis mortali patre satus. Beatus, qui intellexit rerum Dominum esse tuum Genitorem, suamque simul progeniem repetit, et recolit terreni Adæ sobolem se esse. Sed et beatum duco, quicumque novit Angelos vocali silentio tuas prædicare laudes, indeque concitatus in semet ipse insurgit, stupens, propriæ linguæ eo usque processu se temeritatem. Beatum item dico, qui dum cogitat Cælestium in summis otium, motusque terrenorum in imis, animum inter frementis pelagi fluctus pacatum servat. Ita beatum prædico, quisquis is fuit, qui doctus choros cælestium Seraphim tuam incessanter magnificare sanctitatem, tuam vero nunquam scrutari majestatem; abnuit, quod Seraphim recusant; eligit, quod Seraphim probant.

II. At vero quis te ad dexteram Majestatis assidentem contemplatus, tuam non miretur celsitudinem? Quis rursus hominem humi projectum conspiciatus, ejus non stupeat petulantiam, tua in suo sterquilinio pervestigantem arcana. Beatus, qui novit, Domine, te quidem in sinu esse Divinitatis; se autem cecidisse recogitat in sinum terræ matris suæ. Quis non miretur, Domine, hominem de te

rerum omnium Opifice disputare audentem, quem adhuc latet, quid sua sit anima? Sed et hoc mirandum video, quod cum tu solus Patrem tuum noveris, vile nihilominus lutum eo usque se efferat, ut tuum in te etiam Genitorem invenire se posse non desperet. Næ ille beatus est, Domine, quem sua divinum acta fecerunt, divinæque proinde Sanctitatis consors effectus, te Filium Dei appellare didicit.

#### SERMO IV.

I. Millia millium stant, et myriades myriadum discurrunt, millia et myriades scrutari nequeunt majestatem Seditis; omnes siquidem in silentio ad ministerium astant. Non habet ille throni consortem præter Genitum ab ipso, intra silentium ejus transigitur investigatio; sicubi contingat, ut Vigiles Majestatem speculatum accedant; ubi attingere silentium, cohibuere gradum. Unigenitus Virginis castæ ventrem intravit, ipsaque nihil inde passa est: Descendit in uterum, indeque in puerperio exiit, sensitque natum decora. Introitum vides gloriosum, occultum tamen, abjectum despectumque exitum, sed manifestum et aspectabilem; in introitu scilicet Deus, in exitu idem et homo. Audi quod oppido mireris, stupeasque tuæ vix compos mentis: Flamma Virginis invasit ventrem, corpus induit inde, et emicuit. Hunc Angelorum Dominum, suum item Gabriel Dominum appellavit, ut doceret non socium illum fuisse additum sibi, sed natum herum. Gabrielis sodalem Michaëlem dices, Domini Filius Dominus est Servorum, eisque uti appellatione, sic natura præcellit: hanc proinde pervestigare Servus incassum nititur; suo nempe major



opere semper erit Opifex quantalibet undelibet captet incrementa.

II. Si fingam mentem suas omnes cogere vires, conari-que eo perrumpere, ubi sibi datum cogitat, tuum cominus contueri jubar; mirabile dictu! tenuissimus radius tuo ab ore missus, omnem elusit conatum, spemque potiundi, quod illa petebat, abstulit. Cui enim dabitur oculos in Unigenitum desigere, horrenda luce circumseptum. Sol etenim est, quem antiqui Prophetæ suis celebrare vaticiniis: amantibus conditur, in pennis ejus sanitas, dolor et labor pervestigantibus. Quidnum manibus atrectare te, homini liceat? eum nempe, quem acerrimæ cujusvis mentis acies attingere desperat; aut forte conabimur ascensum ad te, qui es immensæ altitudinis mons, aut loquenti admovendæ aures, cujus vocis sonitum nulli æquant tonitrus quantumlibet horrisoni. Quin te silentium dicam auribus proinde negatum, mutam vocem auditui incomprehensam; sed nec mortalis homo te cernere potest; lux quidem es clarissima, oculis tamen inaccessa nostris.

III. Sed quoniam ubique infirmas facultates tuas latet aspectus, apprehensioque fugit, (oppido namque quantum exteriores sensus interioribus indigent facultati imaginatrici conjunctis, quamobrem sæpius nec minima quidem pervestigando apprehendunt) ideo juyat hic Cœlestes consulere, tuas ante fores excubantes. Atqui vel ipsi Cœlites, qui tibi semper apparent, laudesque tuas sine fine canunt, ubinam te speculentur, ignorant. Quæsivere te in summis supra, infra viderunt in imis; intra cœlestes investigavere orbes, deprehenderunt intra viscera terræ retrusum: apud adorandum aspexerant, in terris morantem reppererunt; descenderunt in terras, tuas coram te laudes cantaturi. Sed et cum tuum disquirere conspectum intra hunc orbem cœpissent, et hæc atque illac discursarent, nusquam ta-

men te tenere potuerunt. Apud Inferos deprehensus, apud Superos inventus es : in sepulcro jacentem aspexerunt, suspexerunt in throno sedentem ; viderunt mortuum, mortuos ad vitam revocantem audierunt : talia spectantes mirati sunt, hæcere attoniti, obstupuerunt.

IV. Omnem esto locum impleat Numen tuum, nullus tamen te tegat locus. Etsi tuum Numen insistit cælo, cælum latet, te esse qui es. Quanquam Numen tuum Inferis et Superis adest, a neutris nescitur, quid id est. Etsi Numen tuum subit maria, maria tamen te ignorant, tuum esto Numen terram obtineat, terrigenarum tamen nemini apparet ille benedictus, absconditus et manifestus : tuæ namque Divinitatis omne arcanum, quantumlibet dicatur exiguum ingentium arcanorum caput est. Quæ autem humana ratio valeat arcana perenni fluxu labentia consequi cogitando nedum dicendo exponere? adeo si quis tuam sibi describat imaginem, inde simul effluere cernit omnium imaginum flumen. Nobis vero quamnam illarum aspectare licebit, unde tuam in corde nostro exprimamus effigiem? Siquidem in unam adoratam tuam imaginem innumeræ confluunt et conglobantur pulcherrimarum rerum archetypa.

V. Usquequaque admirabilis es quærentibus te : proximus adest ubique, abesque undique remotus : quisnam te proinde consequatur, quantalibet contentione id petat? Cum enim pervenerit, unde te apprehendere se posse putabat, intercipitur, et concidit tui sub clivum montis : summa tenere datur fidei, charitati atque precationi. Cogitare magis facile est, quam quæ cogitaveris, verbis exprimere; menti quippe quo libuerit pervadere operosum non est, modo te pervestigare non libeat, secus in ipso ingressu, a via dejicitur perque avia cogitur errare diu. Atqui si ratio victa succumbit, quo magis oratio; sicubi forte inter hujusmodi salebras incidere contingat?

VI. Humilis succedat laus, junge silentium; hæc nimium te addecent. Quod si quis ad discurrendum te sollicitat, intra silentii arcem profugito; tum enimvero, quo festinas, venire licebit, si festinare absistas, tacendo facile tenebis, quod temere discurrendo nunquam attinges. Næ tu ineptus es, qui immensum pelagus metiri cogitas. Ecce autem si ad dicendum de te, Domine, quispiam invitatus, id recuset, quisquis hoc voluntati tribuendum putat, vehementer errat; quasi vero cum is de te disserere posset, satius duxerit tacere: una siquidem ingenii imbecillitas hominem cætera audacem, et ad dicendum paratum cohibuit; proinde sibi non merenti concessum reputet, ut mallet tacere; statio quippe fuit bene tuta silentium, ne pelagi tui circumfremetis fluctibus interceptus obrutusque periret.

VII. Si qua datur via, aditus si quis patet ad arcanorum divinatorum cognitionem, agitedum disquiramus abditum retrusum et impenetrabile Numen, omnes per tramites errasse juvabit, modo illum attingere contingat. Tu autem, Domine, te revelas parvulis, fictisque abscondis, pie credentibus occurris, temere scrutantes fugis. Felicem simplicem, qui de te disceptare nescit, et ad ea quæ promittis, impiger festinat. Angusta est mentis nostræ facultas, quæ proinde te non capit, visque intelligendi, quæ omnia pervadit et lustrat, te tamen scrutari non sustinet, nec exprimere qualis apud Superos appares, neque quis tu sis apud Inferos. Quisquis ubique non est, nec tanti est, ut te quærere tentet. Felicem illum, qui didicit, in sinu Patris tui recondi hujus quæstionis arcanum.

VIII. Sed nec unde tuum queat pervestigare Numen habent Seraphim Angeli pennis instructi; scilicet ala potens quantumlibet explicare volatum ad te deficit, nec sufficit cum tua magnitudine contendere. Geminos tuus sinus cir-

cum ambit mundos; utrinam illorum extra hoc clausum evagari licuit? Seraphim tuam prædicant sanctitatem clamando, tacendo testantur, vereri se tuum investigare Numen. Væ misero, quem eo sua rapuit petulantia, ubi Seraphim in conspectu tuo sueverunt suas velare facies. Portant Cherubim Numen, quod omnia portat, capite demisso quæ infra se sunt intuentur, sub currum pavidi se condunt, eoque introferre oculos non sustinent: velunt quod pervestigare non possunt; adsunt simul et absunt. Felix, qui tanto doctus exemplo didicit tuam revereri majestatem: hanc laudat, pavet, ac tacet.

## SERMO V.

I. Cognitio Angelorum cum modo res pervestigat; sine modo errat hominis ratio. Tua, Domine, pietas mansiones in via constituit, milliariaque distinxit, ut inordinatos scrutatores ad ordinem adduceret. Felix, qui cogitationem et scopum eo modulo ac pede metitur, ut ad præparatas mansiones perveniat. Hominis cognitionem cognitioni Angelorum compositam, quoddam aperientis se diei crepusculum esse puta, horum autem scientiam scientiæ spiritus comparatam, esse velut quamdam dubiæ lucis coruscationem: cum ergo Spiritus de Filio dicat: « Generationem » ejus quis enarrabit <sup>1</sup>? » audeat-ne humana mens transilire terminum, quem, cum attigisset Spiritus, conticuit?

II. Quando cœlestes Spiritus quidpiam de Filio ediscere volunt, ad superiores Angelos suas dirigunt quæstiones, illique docentur a Spiritu per nutum. Sunt autem Angelorum quæstiones ipsorum gradibus convenientes, nec quis-

<sup>1</sup> Isaï. LIII, 8.

piam audet aliquid quærere sua conditione majus. Nos istuc natura suo docet ordine, statos namque per gradus res omnes ad summum perducit. Jethronis etiam consilia inordinatum regimen ad ordinem adduxerunt, disposita deductaque gubernatione per gradus usque ad supremum gubernatorem Mosen. Nunc autem ut infimus sit hominum gradus, cœlestium Spirituum ordines supervolat, ut Unigeniti locum exploret.

III. Non quod servis invideres tuis, disposuisti, ut te crearentur minores; opifici namque suo impossibile est, opus esse æquale. Id contradicere nefas est et horrendum crimen; quoniam si factus factori suo compar existit, non hic servus, sed socius videatur, nec opifex operis sui Dominus sit, sed collega. Felix, qui doctus intellexit Dominum benignissimum, cum servum amaret, ad ejus conditionem se demisisse, atque operis sui formam induisse opificem. Non decet opus cum opifice componere, ipsa inter se nomina discordant, magis etiam res. Bonus autem Dominus, ut suum erga servos amorem ostenderet, nomina mutavit, sua ipsis dedit. Inde reges et sacerdotes assumpsere Dei appellationes, tum ex divinis nuncupationibus Moses et Josuë inclaruerunt.

IV. Benignus Dominus vocabula nostra sibi ascivit, ad granum sinapis se demisit, cum semine omnium minimo se composuit, sua nobis nomina dedit, suscepit nostra, illa nos fecere magnos, nostra minorem illum fecerunt. Felix, qui nomini suo tuum nomen attexuit, titulosque suos tuis ornavit cognomentis. Propositam hic veritatem natura nobis probat, velut ignis aurum. Sol ecce totus toti oculo patet. Sol autem non quod ejus pars aliqua lateat, oculo totus aspectabilis non est. Totus utique patet, non tamen ex toto millesimam cernis partem. In soletua arcana generatio nostris subjicitur oculis: cujusnam autem oculos eo

aciem intendere valeat, sustineatque objecti vim tanti?

V. Cogita rursus mare, nemo suo istud subjiat aspectui. Non illud loci distantia nostris subtrahit oculis, cum videas nautas in ejus sinu suos agitare cursus : quidnum ejus unquam tenere fines ? Haud aliter apud summum illud Numen res agitur, opus suum intra se tenet, rerum naturas facultates et vires, ipsosque Angelorum ordines vi ac potestate sua complectitur ; quod vides totum, et quod non vides, totum in illo velut demersum imaginare, nec tamen quemquam invenias, qui Effectori suo pervestigando sufficiat. Hic vero communis aër rebus immixtus, omnibus in omnes partes se fundit : vitalem nobis et salutarem spiritum præbet ; ducitur expelliturque, nec afficit spirantem, obsidet, et abesse videtur, succedit manibus, nec palpatur ; fugit, nec mutat locum ; apprehenditur, nec tenetur ; captus, non capitur ; corpora subit et obsidet, nec impedit tamen, quominus quoquoersum ferantur, atque rursus prorsus suos reciprocent cursus : omnia a Spiritu pendent, atque portantur, portantem nemo fatigat ; omnia ejus capedo ambit, quin quacumque perinde, ut per inane se versent ; major est quam, ut alicubi se abdat ; hem latet, cum non lateat, in se retrusus, se ipse recondit.

VI. Parallela aëris colores puta, quibus tibi exprimas inimitabilem sempiterni Numinis imaginem. Præsens idem nobis est, et abest, in nobis cum sit, nullibi est : rebus omnibus intervenit non obsessum, non seclusum perinde tamen ac si deesset ; et quia nec locus occurrit, qui illud intra se recipiat, reciprocans se, in seipsum reducit. Ut quieta deinceps mente consisteremus, expressimus Numinis a nostris remoti sensibus imaginem, idem introspicere et explorare nefas esse putemus : abscedamus ergo et in tutam silentii stationem recta subeamus. Si cæcus quispiam prunas attrectet, hunc earum fulgor nullatenus juvat, vehe-

mens contra lædit calor, Numen illud absconditum nocet temere scrutantibus, pie contra reverentes magnifice extollit.

VII. Filius Patri majestate et nomenclatione conjunctissimus est; cum autem in his duobus illi proximus sit, in tertio ab eo remotus esse non potest; quare si Pater imperscrutabilis est, Filium perscrutari impossibile esse oportet. Quisquis porro Unigenitum pervestigandi libidine ardet, Genitorem scrutari appetit: quisquis Filium discutit, ad exploranda Patris arcana aditum pertentat. Quisquis naturam fructus scire desiderat, continuo ad explorandam arboris radicem delabitur: Filius habet quod disquirere delectet, habet etiam quod expaupere divitem efficiat: quibus ad quæstionem audax ingenium prurit, disquirendi argumenta affatim subjicis, offers in proprium profectum pie insistentibus thesauros. Incidit utrobique quod vehementer miremur: omnium nempe malorum colluviem affert vestigandorum arcanorum tuorum libido, cuncta nobis comparat bona noster in te amor, et ardens charitas.

VIII. Cælo demissus ad te ille descendit, fructum amoris ejus deliba. Si sapor te delectat, vide, ne curiosa ejusdem investigatio tibi officiat: idem quippe alexipharmacum est salutare, et mortiferum venenum: quod tibi attulit, accipito, dato, quod vicissim auferat ipse sibi: datum tuum ab accepto ne divides; quandoquidem accepisti, quæ liberalis et pius Dominus dedit, opera illi reddito, quæ admittere ipsum non pigeat. Beneficia contulit amplissima, accepit piæ a nobis compellationes; visus est, cum ad nos descendisset, cultu dignus divino, talem ei exhibuimus: divina dedit, dedimus humana: magna promisit, magnam Abrahæ amici ejus fidem, promittenti adhibuimus: piæ in pauperes largitiones ei sceneravimus, iterum ab ipso cum scenore exigendas expectamus.

IX. Juvat laudare solem, obscura caligine circumseptum: quanquam difficile est, sola dubiæ lucis ope lumen abdutum ac retrusum cernere, syderis ab illo accensi duntaxat ductu ipsum dispicere conceditur. Vides, ut idem effulsit sedentibus in tenebris, ut simul avertit omnium oculos ab aspectu caducarum formarum, convertitque ad contemplandam Patris, a quo missus fuerat, pulchritudinem: vide modo obstupescendam et incredibilem hominum hujus temporis stultitiam. Hærent usque nobis in corpore ulcera, vulnera in anima, vibices in spiritu; cumque deberet aptam malis quærere medicinam, ad indagandum medici genus et naturam, mentem oculosque convertimus. Proh quam difficilis evasit nostrarum plagarum cura, ex quo ad piam medici operam nostro ista vitio exasperantur!

X. Accedat, quæso, meæ menti fides tua, velut quoddam coagulum, cogat ista animum vagantem, vanisque distractum quæstionibus. Stat deinceps in pulsando tuum, Domine, ostium, insistere, donec tua mihi misericorditer allabatur gratia, sequentur istam opes et divitiæ, adeo, ut qui sexcentorum talentorum modo sum debitor, extemplo creditor factus, de tuo tibi sœnerare sufficiam.

---

## SERMO VI.

I. Miror qui fiat, ut a vera doctrina quispiam aberret: editissimo monti ea similis est, lippientibus etiam conspicua. Quis enim certus hunc esse Patrem non statim intelligat, ab eo Filium fuisse progeneratum? Pater Filium genuit, non quasi ipse sibi minus sufficiens. Nihil enim illo beatius, nihil omnino omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nec ab ipso prognatum aliæ simul produxere causæ:



« Ipse magnum Pater progenuit Filium sua voluntate, nulla vi coactus. » Oculus infirmus vehementem solis impressionem non sustinet, suum ille temperat ardorem, æstumque mitigat : inde porrectus remolleseit radius, fitque oculo tolerabilis. Extra Genitum Genitorem nemo vidit. Oculum suimet operis ille latet. Genitor sub nullius aspectum cadens, in Unigenito suo spectari potuit. Emissus ab eo admirabilis radius, ejus lucem oculis attemperavit nostris; nec enim debuit nos affligere, qui valentes et robustos facere volebat. Radio similem diximus, cum huic similis non sit; sed cum nulla suppetat species, quæ ejus imaginem exprimat, eandem, ascitis aliunde symbolis, adumbramus, ut qualemcumque ejus notitiam, si non ab ipso, certe ab eximiis, quibus nos ornat, beneficiis, pro nostra tenuitate, colligamus.

II. Numen, quod non manducatur, in pane cibus evasit; in vino propinatur vis, quæ non bibitur; et in oleo inungimur virtute, in quam talis non cadit usus. Quemadmodum vero se palato attemperavit, ut comederetur; sic oris sui fulgorem, et orationem mollivit, ut nec aspectus oculos offenderet, nec sonus aures obtunderet. Si tuum, Domine, conceptum considero, miraculum obstupesco; si nativitatem tuam recogito, oppido decoram et gloriosam agnosco; si autem baptismum, video sanctitatem expiationis minime indigentem; si nobis partam ope tua salutem recolo, eximiam pietatem demiror. Ipse es, cujus necem sacræ victimæ adumbrabant, cujus mysticam comestionem sacrati panes præfigurabant. Si ad Prophetas me refero, ipsis immixtum te video; si ad Apostolos revenio, cum ipsis conversantem te audio; quem in imis sepultum video, in summis adoratum reviso. Totus, Domine, rebus omnibus intervenis et moderaris.

III. Unigeniti virtute mundus et omnes mundi partes

initio constituta sunt. Dixit Deus : « Fiat lux <sup>1</sup> : » cuinam ille præciperet, quando nullus aderat, qui mandata acciperet, vel exqueretur? Quod si ipsi luci imponebatur præceptum, hæc utique jam facta præsumebatur. At Deus « Fiat, » ait, diversum autem est : « Fiat et facta est. » Clare Pater Unigenitum suum designavit, quando cum ipso de Adami creatione sic deliberabat : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram <sup>2</sup>. » Profecto delirat, qui hæc homini, qui necdum erat, dicta putet, non ergo hunc Pater alloquitur, sed illum, qui per lignum hominem mortuum suscitavit sexto post millenario, idem videlicet post excitavit, qui initio de limo finxit sexto pariter die, in quo, accepta item ex ligno occasione, Dei indignationem incurrerat. Porro suspicari vel affirmare Angelos his verbis in societatem operis a summo Opifice vocari, hominis foret oppido impudentis. Atqui si decere putant servum Domini sui collegam et socium fieri, quo magis decorum est Filium Patris negotia tractare, quæ unus ipse potest transigere adeo ut dicentis voci statim occurrat effectus, et jubentis imperium sine mora sequatur creatus e nihilo mundus.

IV. Rursus disceptari potest. Cur Deus quæ effecta mox præstitit, ante verbo præsignificavit? Quid? num divina voluntas ad efficienda, quæ effecta volebat, impotens mansisset, si non silentium verba rupissent, aut quas emisit voces, in corpora mutavit, unde opera, quæ moliebatur, perficeret? utrumque labascit; stat ergo tertium, Deum opus compari personæ commisisse : si quis autem fingat Deum rebus factis mandasse, ut, quod fiebat, ab ipsis fieret, commentum evertit Adamus, cui certe dici non potuit : « Adesdum, Adame, faciamus hominem ad imaginem nostram. » Istuc socio non dixit, nec mandavit servo.

<sup>1</sup> Gen. 1, 3. — <sup>2</sup> Ibid. 26.

Non convenit servo Conditoris loco habere conservum; ergo per Filium exædificatus est mundus.

V. Perexiguum est quodcumque opus, nec Opifici suo comparandum, ut mundi inceptor credatur et perfector. Sed nec alia aderat Creatori cœva substantia, ut proinde suspicaremur suam illi operam in molitione rerum conferre potuisse. Facessat ergo servus et socius, ad unigenitum Filium rerum ista molitio redit. Hic porro nec ut servus hero obsequitur, nec ut extrarius in societatem operis asciscitur. Patris vocem unus sustinet Filius. Tuque semper existentem mirare, qui vocis suæ vim nemini tolerabilem, Filii sui suavitate lenivit. Primogenitum intuere, statim intelliges a sociis servisque esse diversum: sublimis cum sit, idemque humilis; servis quidem major est, sociis vero minorem ipse se fecit; nec servis proinde accensendus est, nec sociis, utrisque supereminet. Nec servus est, quia Domini Filius est, nec socius, quia Unigenitus est. Satis conspicua veritas est, expositam aspicere volenti. Senarius dierum numerus, spatium, quo mundus conditus est, totidem ejusdem prospectibus, et quaternis ejus partibus, atque Inferis Superisque prædicat nefas esse credere divinum Opificem mandasse rebus necdum effectis, ut ipsa semet efficerent. Ergo ab uno per unum omnia incepta perfectaque sunt: Pater jussit, Filius peregit opus.

VI. Quod si ille parens rerum fabricatorque mundi terræ mandare voluisset, ut sua proferret germina, ea dicendi formula usus fuisset, quam, Hevam alloquens, postea usurpavit, sic fatus: « In doloribus paries <sup>1</sup>, » pro eo itaque quod dixit: « Germinet <sup>2</sup>, Fac germines tu terra, » dixisset. Hæc ergo ad Filium dicta accipito, qui terram stirpibus plantisque consevit, quanquam non in omnibus omnium ipse sator suam cælavit imaginem, sed duntaxat

<sup>1</sup> Gen, III, 16. — <sup>2</sup> Id. I, 11.

in una, hæc arbor vitæ fuit. Næ ille sua noverat componere verba, unde intelligeretur aquas affari, quemadmodum postea Caino distinxit, non alium quempiam, sed ipsum nocentem divina voce citari; ergo quando dixit: « Producant aquæ reptile <sup>1</sup>, » non istud dixisset, sed illud: « Producite aquæ; » declarandum quippe fuit non alteri cuiquam, sed ipsis, quod designabatur opus, imperari. Ita sane: Pater Filio suo desiderabili dixit, ut desiderabiles pisces crearet et decoram volucrem. Providit sapientissimus Artifex, ut in ipsa protoplasti molitione majestas Unigeniti sui patesceret et agnosceretur. Scilicet præsciebat, reliquis in sua integritate perseverantibus, solam Adæ sobolem a propriæ conditionis generositate degeneraturam; claram idcirco sui Filii notitiam ab initio præmisit, ut Adæ filius Filium Dei olim negaturus a proprio parente Adæ revinceretur, ipso affirmante se Unigeniti manu de limo fictum, cumque nihil esset de nihilo, ejusdem voluntate crevisse: rursus cum post lapsum erraret, ipsius cura fuisse reductum, et gradu repositum pristino. Jesu gloriosum nomen mysticus pons, quo a morte in vitam trajicimus. Cum ad te venissem, hæsi in primo tui vocabuli elemento. Præsta, precor, orationi meæ facilem hoc tramite ad tuam veritatem aditum: oro, mihi servo tuo tua charitas pro ponte succedat. Te deducente, confido tuum ad Patrem me venturum. Certe veniam, et prædicabo magni Patris piam in nos voluntatem, quoniam Numinis sui vim nobis minime tolerabilem Filii sui lenitate mollivit.

<sup>1</sup> Gen. 1, 20.

## SERMO VII.

I. Quis homo istuc, qui propriæ immemor originis, suæque conditionis ignarus, Unigeniti Dei naturam persequitur, seque explicaturum promittit? Siccine rerum ab illo factarum rationes invenire se posse confidat, qui nec ea, quibus ipse constat, elementa novit? Suam itaque in propriis expertus inscitiam, fateri cogitur suum utique Dominum sibi incompertum esse, quando nec sibi, quid ipse sit, clare liquet. Proponitur nobis scopus ingens, conspicuus, idemque propinquus; nihilominus quisquis in hanc metam jacula direxit, inde aberravit, et excidit. Atqui si hujusmodi signum sibi cæteroquin proximum nemo collimare potuit, quid si meta occulta et procul posita, jaculo petenda sit, quis in hujus centrum ictum adigere non desperet? Ita-ne oculus, qui ad humanam Filii Dei naturam caligat, ejus Divinitatem, arcanum maxime abstrusum se perspecturum confidat.

II. Ipse demum se demisit, carnis specie propriam dissimulavit formam : illo fulgurante, totus fulsit Jordanes, parvam accendit in monte facem, tres columnæ, quas Evangelista numerat, subito concussæ motu, tremuere, metu, pavore, horrore percussæ, occultæ licet majestatis fulgorem infirmis spectatorum oculis ille temperasset. Venientem sensit mare, mox intrantem expavit, et quamvis, sævientibus ventis, æstuaret, illico submisit dorsum, vexitque transfretantem gloriosius quam alias asinæ pullus. Simplicem crediderunt hominem nautæ, quandiu cymba vectum conspexere ; senserunt homine majorem, quando

in salum exscendit, calcavit æquora. Nec ideo ausi sunt porro instare: « Quis tu, aut cujas? » sed rerum gestarum novitate percussi, admiranda ejus opera laudarunt, Auctorem venerati sunt et siluerunt. Illum alibi quando quæsivere Magi, cumque in præsepio jacentem reperissent, adoraverunt cum silentio, nec futiles ei quæstiones, sed munera attulerunt. Istos tu imitare, cumque illum cælo insidentem habeas, omissis disquisitionibus, tuas ipsi exponito merces, operaque ex virtute facta, narrato.

III. Huc, oro, adeste, fratres: stupete viros, qui cum Regem ad infima demissum cernerent, sibi nihilominus imperare potuerunt, ne quis istuc venisset siscitarentur, aut disquirerent quid interim agitare? Plane non liquet ullam ab eis de hoc subjecto quæstionem fuisse inductam; sciendi videlicet libidinem vicit simplex fides tacendo. Age jam si Magi humi jacentem interpellare ausi non sunt, tu ne audeas pertentare sedentem ad dexteram Majestatis in excelsis. Imo enim nec latro postea disputavit, sed, omni disquisitione remota, confestim fidei dedit manus. Non sic ejus sodalis ad lævam olim segregandus: disceptare is maluit, quam credere, quæ prima ruinæ causa ipsi fuit, spemque salutis præcluserit omnem. Similis discendi pruritus Scribas, mox etiam Herodem seduxit, et diabolum ante incitavit, ut Dominum tentarent, ejusque conditionem disquirerent. Christus hæc notitiam procaciter petentibus negavit, concessit ultro infantibus et lactentibus. Stella nati cunas superfulsit, disceptantibus facessere jussis, gentium hunc esse lucem sua præsentia declaravit, ipsisque veritatem discere volentibus diem allaturum. Cum post baptismo se subjecisset, subeuntem aquas Spiritus obumbravit, obtenta columbæ specie, quominus quæstionibus locus pateret; quo etiam clarissime præsignavit instituendam ab illo noxarum per ignem expiationem, mag-

num intonuit Pater et alta voce : « Hic est Filius meus » dilectus <sup>1</sup>, » inquirendi licentiam cohibere volebat.

IV. Quicumque hujusmodi impetus repressere, et discussa futilium disquisitionum anxietudine, tranquillam pacatumque animum obtinent, hi nimirum vera docenti facile assentiuntur; Pharisei contra curiose instabant : « Quis hic, aut cujus Filius ? » pervestigando verum, a vero exciderunt, ex fide suspensa sunt omnia et quicumque veritatis indagatores videri voluerunt, ipsam indagando, ab eadem aberrarunt. Centurio homine major visus est, cum illum obstupuit Deo parem, ejus excellentiam agnovit, et recusavit accessum, ingressum non admisit ob reverentiam, tu disquisitionem. Et quoniam hodie manifestatum in carne ejus adventum refutare nequis, mirare et sile, inutiles quæstiones cave et abstine : satis esto tibi; quod pro hoc silentio fidem ille tuam coram Angelis se laudaturum, promisit. Cum Thoma centurionem composito, utrum utri præferendus sit; iste simpliciter proposita credit, instat ille, ista tactu exploranda prius : iste a Domino suo laudatur; arguitur ille a suo Magistro, et castigatur. Atqui si reus est, qui postulat experimentum præire, fidem sequi; jam vides insontem non esse, qui scrutari interim obstinat, fidemque sustinet in posterum.

---

## SERMO VIII.

I. O qualis extitit lux, Mosis ex ore micans ! talis videlicet ad cujus radios nullus non conniveret oculus : siccine qui vultum hominis mortalis non sustinet, is sibi promittat

<sup>1</sup> Matth. III, 17.

conspectum Viventis, cujus lumine cuncta animantia stirpesque vivunt? Si fulgurantis ab ore servi lucis vis tanta fuit, ferat-ne homulus argilla et luto fictus, vultum ejus, quo conspecto, Sinaii mons fumavit, visusque velut cera tabescere? Non potuere potentes Mosis gloriam speculari, dum velaminis interjectu ardor coruscantis lucis mitigaretur, veterascentis veli loco vivi ignis splendor quadrigam circumdat, hic nimirum, adjunctis Cherubim, tolerabilem reddebat Aurigæ conspectum. Tu vero quietem et silentium obices puta tibi obstantes, quominus ad divinum lumen conspiciendum aspires.

II. Nemo prostantis velaminis clausa recludere ausus fuit, examinaturus jubar famuli intra morantis; sed et illum mox accedentem, universæ pertimere tribus, conspectumque præsentis fugerunt. Atqui magis horrendum est adyta pertentare, intra quæ retrusa latent Divinitatis arcana, cujus ad conspectum dicuntur trepidare cæli et cælorum indigenæ Angeli. Velatus Moses adumbrabat revelandam tuam veritatem, uti tuam facundiam linguæ ejusdem impedimentum: gemino hocce typo tegebantur tua facta ac dicta. Oris velamentum sustulisti, linguæ solvisti vincula, arcana cuncta patuerunt. Ora loquuntur vera dicta, divina facta cernunt oculi. Obtentum oculis Mosis velum, et vinculum ejusdem linguæ injectum, binæ fuere vittæ, ora populi illius cæcutientis obnubentes. Tu autem Justis diem tuum desiderantibus, te conspiciendum præbuisi, ac præsentem; quicumque vero hodie quoque te pernegant, obnupsere oculos, obstruxerunt ora, nec loquuntur, nec vident; ad spectandam pulchritudinem tuam invitati, cæci sunt, dicere aliquid de te rogati, muti sunt.

III. Subjecti in Mose typi, fatuis gemina velamina crucifixoribus obtendenda, præfigurabant; sed quoniam nobis



veritas jam illuxit, turpe est, si nos adhuc tenebras palpate delectat, vel antiquis rejectis, novum velamentum subicere, inhonestum scilicet pervestigandi studium. In publicum jam prodiit Unigenitus ipsa pulchritudine pulchrior. Vide ne cupiam rerum, quas cernis, similem fingas, ejus quippe omne assimilat Patrem. Adytum templi sanctissimum intrabat pontifex una vice per annum, præterea nunquam, nec tamen sine timore ac silentio. Sed enim si decuit tantopere revereri templum, huic insidentem Divinitatem vestigare quis audeat? Revereamur ergo Unigenitum, ut putemus nefas esse de illo disceptare, cum ipse sit verus templi Dominus.

IV. Rursus cælestis ignis absumpsit cum suis thuribus sacerdotes quinquaginta supra ducentos, qui delatum Aaroni pontificatum usurpare volebant : terraque dehiscens Core Levitam cum sociis absorpsit, quod sacerdotale officium temere et arroganter petiissent. Profecto si aaronicum sacerdotium tali reverentia dignum habitum fuit, qualem adhibendam putas mystarum Domino, qui suum sacerdotium proprio sanguine dedicavit. Hujus proinde Numen tu scrutari ne audeas. Si tristem quisque miseratur casum, quo, erumpentibus repente flammis, absumpti perire Aaronis liberi, ausi profanum altari inferre ignem. Quis jam credat eos simile incendium evasuros, qui tentant peregrinas in Ecclesiam quaestiones protrudere. Ecclesia disputare concedit et approbat, ut prodita interpretis et explices, negat et damnat, ut abdita, arcana scruteris.

V. Magnus Oza sacerdos ausus manum porrigere, ut arcam sustineret labantem, in ipso facinore morte mulctatur : quæ jussus fuerat, exequi neglexit ; quæ commissa non fuerant, sibi præsumpsit. Arcam humeris gestare debebat, protendit manus ; suo auxilio credidit indigere vim,

res omnes ab exilio refrenantem : suspicatus est arcam proxime casuram, dum ejus ruinæ occurrere parat, ab ea occiditur. Disce monitus ne sacra occupes, quæ obire jussus non es. Ozias rex honorem offerre se credidit, injuria fuit : cave ne, indagandæ veritatis obtentu, Unigenitum offendas, ejus arcana temere et arroganter scrutando. Falleris, si credis fidem aliquando casuram, ipsa cadentes sustentat : cave Ozam imitare, ut nutantem fulcire velis ; ictus ipse cades.

VI. Satrapæ arcæ contemptores, ejusdem potentiam experti, etiam Numen agnovere, donisque testati sunt. Capite manibusque mulctatus Dagon, accidit ad ejus pedes. Agedum quali dignum honore reris Evangelium Christi, quo intrante, dejectus imperio diabolus corrui. Quin ergo ei occurramus dona ferentes, cujus divina vis nos misere dilaniatos persanavit. Arcam Jordanes prospiciens, suas divisit aquas, retrocessere fluentia ; præsentem Domino naturæ, naturalem cursum cohibuerunt : at si arcam extimuit fluvius, idcirco quod legis divinæ tabulas contineret, quo magis pertimescenda sit de rebus divinis disceptatio, quisve ad eam non vereatur accedere, cum illa tabularum Dominum recondat.

VII. Admiranda Daniel animalia spectavit, gloriæque suæ insedentem solio Antiquum dierum ; et animalia quidem accessit, cupiens eorum formas inspicere, ac pernoscere proprietates ; ab indaganda vero Altissimi majestate etiam atque etiam abstinuit ; quo magis stupeas ineptissimorum hominum stultitiam, qui magni Opificis admiranda opera quasi per transennam aspiciunt, dum ad ipsum investigandum festinant. Idem Propheta prope astantem Angelum contuens, expavit : næ illæ nomen genusve scitari non potuit, quando nec vocem audire sustinuit. Cum Daniel servi vultum non tulerit, tu-ne Domini cons-

pectum feras? Atqui hic nutu tremefecit freta, miscuit, fugavit, et aquas bifariam dividere coëgit. Iterum cum idem peteret cujuspiam oraculi interpretationem, audiit id esse signatum, nec fas esse arcana pervestigare futuri. Scilicet hujusmodi responsum tulit Propheta, quid referet alius, qui Unigenitum examinare parat, in quo velut in thesauro omnium arcanorum summa reconditur? Ipse sui Patris thesaurus est, et consiliorum ejus rationarium. Facessat hinc quiquis se credit posse hos aditus irrumperere

---

## SERMO IX.

I. Rectus ante fuit, qui nunc inversus est disquirendi ordo. Legito, quærito, et discito illum a Patre fuisse genitum; generationis modum quærere absistito. Non tulit Jordanes arcæ præsentiam, retrocessit, fugitque, ejus reveritus conspectum. Tu claustra temere pervadis et impudenter exploras, ut tandem suescas adversus majestatem insanire. Retulere pedem verecundi juvenes, ne parentem Noëmum indecore nudatum spectarent, ut liceret deinceps objurgare procaces. Illi, averso vultu, nudum texerunt; tu disquisitiones averte, quæ tecta nudant. Nudatum illi vestierunt, vestitum isti excutiunt, pallia pudenter adolescentibus interposuerunt, ne aspicerent quod oculis patebat; impudentissimus scrutator si posset fieri, Unigenitum propria ipsius gloria spoliaret, ut plane totum usquequaque perspectaret.

II. Quanquam et hoc ex ipso te discas fieri difficillima, quæ ante facillima fuere, siquidem rerum modum immutes

aut ordinem. Facilis est descensus; si autem gressum sursum in contrariam partem advertas, iter tibi minime difficile, laboriosissimum effecisti. Disceptandi studium opus plenum laboris evasit, postquam a recto ordine descitum est, et audax nostrorum hominum ingenium fidei valedicens, animum ad habendas quæstiones appulit.

III. Cum Deus Jobum legibus ac judiciali jure persequeretur, quæstiones illi de rebus sub sensum cadentibus proposuit, quas cum ille expedire se non posse fassus esset, tacuit. At vero si Jobus visus sibi est minus idoneus, qui objectas de rebus obviis quæstiones dissolveret, insanit profecto, qui arcanorum Unigeniti scientiam sibi arrogat. Jobus, qui ægro corpore aciem ingressus, dimicavit, et vicit, vertitque vulnera in argumentum triumphi; quæstionibus mox pulsatus, se victum palam confessus est: in ea scilicet parte, quæ sua erat, vicit, in foro non suo victus est: in pugna vicit, quia nostrum est pugnare, et pugnando hostem sternere: in quæstionibus victus est, quia nostrum non est, disquirere. Diabolus nobis insistit, ut in iis, quæ nostra sunt, desidiosos habeat et inertes; in iis contra, quæ nostra non sunt, trepidos ac sollicitos efficiat.

IV. Ezechiel rogatus, utrum mortuorum ossa vitam olim recuperaturâ sciret, etsi Propheta id minime ignoraret, certus aliunde lucis amissæ usuram extinctis aliquando fore reddendam; hæsit tamen, nec rem sibi cæteroquin satis compertam affirmare est ausus; sed omnem scientiam in unam velut coëgit summam, retulitque ad omnia scientem. Prophetam sequere, ne quid supra captum audeas sicunde sollicitaris, ut quæstionem omnium difficillimam, et Uni modo compertam definias.

V. Zacharias item, cum de mysteriis sibi ostensis Angelum sciscitaretur, hic explorare volens, utrum visa Pro-

phetam perturbassent, excitat illis verbis : « Numquid » nescis quæ sunt hæc ? » Nec sane Prophetam puduit ignorantiam fateri, quo videlicet modestiam petulantes doceret. Tantis Prophetæ propriæ diffidit scientiæ, suæ confidunt nostri temporis homines superbi et audaces. Sacerdoti importune disceptanti Angelus loquelam abstulit ; scrutatores similis supplicii timore frenavit : si magnus sacerdos lingua pependit petulantiae pœnas, quia Præcursoris, et servi generationem conceptumque scrutari ausus fuerat ; timeat quisquis Domini rerum genus disquirere non timet, timeat enimvero, contremiscat, et exhorrescat. Zachariæ sciscitantis ori frenum injectum fuit, loquendique facultate mulctatus, ut nempe tacendo honorem dicto dicentique exhiberet, quem præstare neglexerat disceptando<sup>1</sup> : quale putas silentium exigit, quæ Unigeniti generationi debetur reverentia ? Pater, qui de sobole sua aliquid sciscitari sibi fas esse putavit, id impune ferre non debuit. Qui ferat ille, qui eum, qui est, petulanter adoritur, ejusque Dilectum ipsius in sinu discutere tentat. Quo Zacharias fidem examinat, evertit : quem ergo disceptare delectat, ipsa disceptatio arguit, necdum suscepisse fidem, vel susceptam, disceptatione admissa, ejecisse. Disceptationi cum fide non convenit, id Zacharias docuit, dum, disceptatione ore recepta, expulit a corde fidem.

VI. Cum serpentes populum per deserta oberrantem infestarent, colubrum Moses ex ære conflavit, fictumque simulacrum in loco conspicuo ac patente exposuit ; anguis aspectus vitæ pharmacum evasit. Populo vidisse, gentibus credidisse, salutem attulit : umbram Unigeniti in hoc facto vides : facesse ergo contentiosas disceptationes non istæ, sed pius Reparatoris aspectus vitam nobis reparavit. Quicumque cupis ab Auctore sacramentorum haurire salutem,

<sup>1</sup> Zach. 1v, 5. — <sup>2</sup> Luc. 1, 20.

hunc fidei oculis intuere. Cruor postibus aspersus, petra, nubes, columna et virga, etc., Unigeniti imagines et umbræ fuerunt. Quandoquidem incredulus ille populus sacros ejusmodi typos citra exâmen admisit; vos, gentes, Unigenitum mysteriorum thesaurum perscrutari absistite, ne cæcorum populus de vestra ruina lætetur.

VII. Cum mutua vos charitas jungeret, una disjuxit, divisitque disceptandi libido, quæ vos appulit ad scrutandam naturam inscrutabilem. Hinc populus cæcus argutabatur veram esse non posse, quam profitemur, fidem: sed si hæc vera non esset, suorum professorum discordia imminui debilitarique debuisset; atqui mirum in modum inde propagata est: scilicet occæcati Judæi non vident, vos scrutatores, rerum, quas illa docet, magnitudine oppressos, falsis opinionibus succubuisse. Etenim si Unigenitus nec Angelo, nec puro homine major esset, nec difficilis, nec obscura foret de ipsius natura disputatio, cito intellexissemus hunc esse servum ex ipsa generis sui conditione. Quisquis igitur de illo disceptat, causæ, quam oppugnat, patrocinator, ipsa disceptatio magnitudinem subjecti indicat. Ipsum hoc, quod illum scrutari non possumus, Deum esse testatur.

VIII. Omnium sæculorum ingenia illum quærendo circumcursarunt omnia; incomprehensum nemo comprehendere potuit. Quasquas mensuras si pelago applices, ab ejus amplitudine deficere intelliges; nec enim immensum mensura capit, ut ab ipso capitur; falleris tamen, si hoc mare minime extare inde suspicaris, quod ejus magnitudo scrutantium intelligentiam transcendit. Profecto nisi illud extare scirent, ejus vada pertentare absisterent. Quidquid repôscenti facile occurrit, non magnum fuit. Si qua mens omnia intelligentem intelligendo comprehendit, etiam excessit, totumque emensa est; quisquis ergo Patrem et

Filium scrutatus est, utroque major fuit. Apage hinc, qui talia fingis, nec unquam fiet, ut Pater et Filius ad nostræ mentis modulos descendant, aut pulvis et cinis ad illorum conspectum ascendat.


---

## SERMO X.

I. Scripsisti, Domine, « Aperi os tuum et implebo illud <sup>1</sup>, » ecce os servi tui patet, patet et cor. Tu, Domine, ambo tua impleto gratia, ut secundum voluntatem tuam cantem gloriam tuam. Et quoniam cuilibet parato de te dicere, cujuslibet mensuræ terminus proponitur, ego si quando mihi licebit fari aliquid de te, in infimo subsistam gradu. Intra septa silentii obsignata latet origo tua, qualem ergo oportet esse linguam, quæ tale sibi audet sumere argumentum? Cum unam habeas naturam, non unam habet illa notionem : varii de ea seruntur sermones, alii sublimes, humiles alii, medium quoddam plerique tenent. Mihi quod minimum est, oro, concedas, micæ de tua mensa decedentes legere liceat, et exilientes ab orbe sapientiæ tuæ scintillulas excipere.

II. Plenam tui notitiam unus Genitor obtinet. Cælestes Spiritus majestatem tuam vix dimidia sui parte conspicuam obstupescunt. Gutta tuo manavit ab alveo, ingentem excivit nobis infima tenentibus quæstionum tempestatem. Et quandoquidem magnus ille Joannes indignum se esse proclamavit, qui calceamentorum tuorum corrigiam solveret, fœminam illam sequar peccatricem, et sub tegmine pallii tui considebo, inde dicendi sumam exordium : quemad-

<sup>1</sup> Psal, LXXX, 11.




modum vero illa cum timore accessit, morboque liberata, mœrorem etiam depulit; sic meum, oro, metum decutito, ut ab amictu ad ipsum corpus tuum stylum promoveam; cupio enimvero de te meo pro modulo aliquid dicere.

III. Tuum, Domine, vestimentum salutis fons est, sub aspectabili pallio conditur vis, sub aspectum non cadens: saliva ore tuo rejecta, terræque admixta, lutum fuit, res utique minima, vi tamen prædita mirabili; lucem in hoc luto cæcus invenit. In pane tuo occultus interest Spiritus, qui non manducatur: ignis, qui non bibitur, ardet in vino tuo: in pane tuo Spiritus, ignis in mero tuo, res duæ oppido admirandæ, quas nostra perceperunt labia.

IV. Cum Dominus ad homines descendisset, in novam transtulit creaturam, Cœlitibusque similes fecit; igne ac Spiritu eos fermentavit, ut mirum et arcanum in modum crescerent, et in ignem et Spiritum evaderent. Angelus ex ordine Seraphim prunam Esaïæ ori haudquaquam suis admovit digitis, proximavit illa labiis Prophetæ solummodo. Nec eam ipse apprehendit, nec manducavit, nunc vero Dominus, ut vides, nobis utrumque dedit.

V. Angelis Abrahamus incorporeis corpoream dapem obtulit, oblatam illi comederunt. Novum nunc cerno miraculum illo præstantius, a Domino nostro factum, dum corporeis incorporeus ex igne et Spiritu paratur cibus et potus. Jactus ab irato Deo ignis nocentes invasit et concremavit; ignis alter ab eodem, sed placato missus, descendit in terras, et in pane mansit. Porro si ignis ille voravit homines et absumpsit, iste, quem in pane comeditis, comedentes vita donavit. « Ignis cœlo delapsus Eliæ victimam » consumpsit <sup>1</sup>, » amicus ignis advenit nobis hostia vitæ reparatrix nostræ; ignis ille appositas cremavit carnes, tuus iste ignis, Domine, in sacrificio tuo noster evasit cibus.

<sup>1</sup> 3 Reg. xviii, 38.





VI. Ohe Salomon, qui rogas, quisnam continerit Spiritum in pugillis suis? Adesto huc, et vide quid egerit Dominus parentis tui, ignem videlicet et Spiritum supra ipsorum naturam miscuit, mixtaque in Discipulorum pugillos infudit. Idem rursum instas, « Quis colligaverit aquas » in velo <sup>1</sup>? » Jam fontem comprehensum velo, Mariæ sinu, contemplare. De calice vitæ vitæ guttam suo singulæ velo exceptam sumunt ancillæ tuæ.

VII. Cerno Numen velo contactum in templo, Numen, inquam, nulla hactenus intelligentia comprehensum, idemque usque modo maneret ignotum, nisi suus ipsum amor flexisset, ut ad nos se demitteret, inde cœpit super velum altaris propitiationis descendere, illudque obumbrare. Cerno ignem et spiritum in sinu matris, quæ te peperit, ignem cerno et spiritum in fluvio, qui suis te lavit aquis, ignem item et spiritum in regeneratione nostra : in pane et poculo. Panis tuus immanem illum helluonem occidit, qui suum nos fecerat panem. Calix tuus mortem destruxit, quam video nostrum vorasse genus. Etiam te, Domine, manducamus et bibimus, non ut tu deficias, sed ut nos reficias.

VIII. Corrigiam tui calceamenti venerantur sapientes, pallii tui tantum non fatui reverentur simbriam. O quantum ab istis discessit vesana atas nostra, dum suis de te quaestionibus insistit! Hem video cœtum comptantium mero plenum. Mirabile dictu! aquis tuæ insistent plantæ, tuis se pedibus submittit ingens mare, idem parvo flumini subdis caput profluente baptizandum : fluvius, et in eo baptizans Joannes se invicem repræsentant, et alter alterius explicat parvitatem : parvo flumini et servo humili amborum Dominus se submitit.

IX. Ecce jam alveus charismatum tuorum affluxu ple-

<sup>1</sup> Prov. xxx, 4.

nus est, nec jam superat locus : et ego abunde exsaturatus, tuam, oro, contrahe manum, muneraque tua velut deposita in tuo repone thesauro, nobis aliquando redditurus.

## SERMO XI.

I. Ineptus ipse cum sim, non audeo, sique audeam, non confido me assecuturum quod peto. Cum sis altissimus, quisquis tua sine te aggreditur, vana ipse se ludit spe. Tua natura, Deus, suo quo nos terret Numine, etiam arguit. Celsitudo tua quantum se elevat et excellit, tantum nobis nostram declarat vilitatem : tua item nos beneficentia confundit, adeo se illa indulget ingratis. Sua audax scrutator doctus experientia testis esto, nam si licuerit semel a longe prospicere editissima hujus montis juga, oculus confestim mentem corrigit docebitque divina scrutari conantem, ab iis immensum distare. Suus ipsum discursus redarguet, propriusque refellet visus : linguam de illo disceptare incipientem sermo ipse revincet, quam longe ab argumento aberret, quisquis de illo Numine disputat, cujus intra sinum velut pugillo continetur orbis.

II. Ecce autem nec auris fragorem vehementem audit, nec sine sono silentium ; qua igitur ratione vocem Filii audiat, aut Patris silentium ? Silentium certe, non tamen infans. « Cœli enarrant gloriam Dei <sup>1</sup>, » habes hic silentium, sed vocale, omnes quippe gentes et singulas propriis affatur linguis. Hocce firmamentum nullo non die suum magnifice laudat Opificem. Prava res es, homo, nec omnium nationum linguas tenere potens : apprehende prius Angelorum

<sup>1</sup> Psal. xviii, 2.

et cœlestium Spirituam linguam, inde ad auscultandum, quæ fatur silentium Patris ad Filium, enitere. Alius est sermo noster atque aliæ sunt belluarum voces : Angelorum lingua similem non habet : silentium, quo Pater dilecto suo loquitur, Angelis quoque ignotum est.

III. Illum dico bonum, qui sicut nobis omnes induit formas, ut videretur; sic omnes imitatus est voces, ut audiretur. Suam naturam unus ipse videt, silentium suum unus ipse audit. Unus ex ipso genitus illum capit, quisquis est ab ejus natura remotus, nec ad ejus investigationem accedere debet, nec vero potest. Per cæcos tramites vagus oberrabit diu, nec enim via ulla nobis relicta est ad arcana illud et reconditum Numen. Conditor quando rebus ab se conditis annuit ad sua limina accessum, hostias ac dona ferentibus, et supplicantibus id concessit, negavit scrutantibus, obsepsitque vias, ne quis undecumque ad ostium sempiterni Numinis appelleret.

IV. Dona ferenti, venientique ad orandum via ipsa se monstrat, offertque se comitem, sed et ipsa templi janua accedenti ultro se pandit, intrantem effuso excipit sinu, et allata commendat munera. Contra scrutanti viæ obstruuntur, obserantur ostia, occurrit vasta inculta et deserta solitudo, nec ad speciem tantum, sed re ipsa inhospitalis. Per hæc loca palabundus errare cogetur audax, quisquis putat Divinitatem tuam sua intelligentia non esse majorem, discat miser se, diabolo impellente, in hunc prolapsus fuisse errorem : sua ipsum natura convincit se circa te errare, qui circa se, qui sit, adhuc errat, dum se mortis victorem jactat, cui nec ejus horam præscire licuit. Futuri præscientia ei negatur, imo nec rei præsentis notitia relicta est : scilicet naturam tuam disquirens, suam oblitus est : infelix sua amisit, nec reperit tua. Ipse sibi illusit quisquis sibi gratulatus est inventum, quem conquirebat inscruta-

bilem et incomprehensum : non is tibi quidquam detraxit ; omnis quippe scientia stetit intra te, extra te illius inscitia.

V. Non mihi os tantum, ut tuam dicendo possit æquare magnitudinem, talem mihi gratulor ipse impotentiam, sique potentem me jactarem, impius arguendus utrinque forem, sive quod humanam naturam divina majorem dicerem ; sive quod huic parem facerem, et æqualem ; quæ quidem vel cogitare absonum est. Tua suspirat cœna sodales, gestic sine fine tua cœna convivarum præsentia, et ornatu : thalamus tuus Virginum frequentiam optat, modo lampadas ferant oleo plenas. Multi vocati ad portam aspirant tuam ; verumtamen quia angustum eo præbet aditum, et admodum pauci sunt, qui sarcinulas suas deponere et cuncta abjicere consentiant ; ideo plures excludit secum portantes, quas illa abominatur ; opes.

VI. Tuus circa nos ardet et agit ignis, ut purget, purificet et perficiat. Et nunc quoniam ad signaculum similitudinis tuæ mentem nostram elevasti, huic, oro, jube sigillum veritatis apponi. Iter ad te tendentibus longum, breve nobis evasit, ex quo illud tuus contraxit amor, nostræ imbecillitatis misertus. Si autem fortibus viæ spatia producta fuere, id videlicet ad argumentum Sapientiæ tuæ dispositum fuit. Est solium gloriæ tuæ, est æquitati tuæ thronus, in quibus assides et excipis cum honore bellatorem, hoste prostrato, ex acie redeuntem. Tua infirmos benignissima gratia sustinet, ipsa gehenna tuo aspersa rore fieret mitior.

## SERMO XII.

I. Veritas tua sal est, nostras illa, precor, condat mentes, sic suavissimos dabit ista fructus, intellectum et sapientiam, tum parvulorum auribus rationem et iudicium infundet. Ardentem cernis fornacem, cuius discere expositam. Sua quisque atque se huc applicet, characterem apponat suum atque doctrinam, quosque signavit et docuit prodatur; ignis detegat tectum larva veritatis errorem. Appensa prostat trutina, adeste fratres, exploremus cogitationum nostrarum pondus. Cum voluntate tua, Domine, consilia nostra pensemus. Et si forte voluntas nostra tuæ minime concordat, tum deficiens, tum excedens, defectum, et excessum, oro, tua corrigat clementia.

II. Gratia et Justitia geminae sunt lancee statera tuae. Quo autem loco, quoque modo istae sibi invicem aequantur, tu, Domine, nosti. Quanquam etiam cum dissidere videntur, perbelle consentiunt; cum illo quippe perfecte concordant, cui omnia parent. Statera tua parvos levioribus librat ponderibus, mediocribus medios, magnos magnis, scrutatores etiam lancee misericordiae. Immensus regni tui sinus convenas invitat cujuslibet noxae pueros. Paradisus incolas expectat castos et integros: mensa tua, Domine, duodenum coetum tuum ad magnam illam coenam venire suspirat. Imbre rigata tuo germina viviscunt omnia, tuoque madefacta rore vegetantur, et augescunt: praecipua tua mystica mysticam terram vitali rore rigant. Oro, Domine, maturas fruges colligito, colonus es, Patrique manipulos placituros offerito.

III. Surculus es ex illa vite decisus, quam olim ægyptiaco avulsisti solo<sup>1</sup>. Miror, ut ager, quem aper de sylva depastus fuerat, germinaverit modo, et sacrum palmitem protulerit, ex quo botrus ille benedictus natus est, fluxitque merum mortis antidotum. De populo circumcisorum et zizaniorum campo provenit nobis manipulus novi panis, suavis fructus ab arbore amara : prodiitque de populo paricidarum Medicus publicæ auctor salutis. Sectus a miti planta surculus, satus est nobis Filius David, fons gratiarum erupit de terra sitiente. Mirum sane, si simus ingrati salientibus, quas super arentia arva profudit charitas. Tui claves ærarii petentibus sua se sponte offerunt : reconditas opes diripientibus gestiunt gazæ tuæ, quia et illi fœminæ arrisisti, quæ a pallii tui extremitate suo languori clepsit medicinam. Sceleratam nocentium massam fermentum tua arte temperatum quærit; illos scilicet immutare cupit, et ad pœnitentiam convertere. Veritatis viam lux tua deplannat, offendicula legit et aufert. Tuum egentes argentum cupit, ut divites faciat : talenta tua tuæque minæ inertes et desides sollicitant, hortantur, ut fœneratam tibi pecuniam in decuplum auctam, pio fœneratori repræsentent, quare nemo non laudet te, qui omnes locupletare studes.

IV. Tua, Domine, arma de peccatore agente pœnitentiam, et adversus vitia dimicante, lætantur. Vineam tuam mœrorem exuit, cernens otium fastidire colonum, jamque æmulari socios assidue laborantes, dum liceat tandem fronte aperta, nec hæsitante lingua, navatæ operæ mercedem exigere. Justorum operum remuneratorem justum est laudare. Tuum, Domine, jugum rebelles domat, virga tua lupos dissipat, congregant caulæ tuæ oves. Communem quemque decet exaltare Pastorem. Nostram expectat navalem ratem, ejusque appulsum desiderat. Spiritus tuus

<sup>1</sup> Psal. LXXIX, 9.

ejus secundet cursum, promoveatque tuarum, Domine, miserationum remigium, quo tandem pelagi insatiabilis fauces evadat. Tua, Domine, præsidia laudanda sunt nobis. Quadrata tuo Numine petra futura, decreti ædificii fundamentum artifices usque modo opperitur, nec dubium quin superstruenda domus omnium oculos atque ora ad laudandum Opificem conversura sint. Ne autem cæpta in fabulam abeat turris, tu, Domine, imperfectum opus absolvito. Laus tua est, incepta perfecisse omnia. Semina tuis prompta horreis, terra dum proscinditur, expectat: sementis mensura in minimis quidem ad triginta ibit, ad sexaginta in mediis, in maximis ad centum.

V. Nitidum proponis speculum, quod e regione tibi oppositum, tuam in te expressit formam; hæc inquinatos provocat sollicitatque, ut suas tergant maculas; nec enim tibi quispiam adjungitur, quin ante suas eluerit sordes. Tua nobis clementia hyssopum offert, satagit ubique, ut nos sibi habeat mundos. Aspergat, precor, nos aquis gratiæ suæ, et præstet puros: nostris non delectatur illa malis, sed cum maxime decora sit, decorem nostrum suum deputat ornamentum.

---

### SERMO XIII.

I. Meam tuebor fidem ab ea, quæ nuper erupit, hæresi, credit hæc Patrem, Unigenitum ejus abnegat. Et quoniam scrutatores occupavere summa, in munitioncula veritatis fidem meam defendam. Ad Patrem accessi, suo ipse se signat nomine, inde ad Filium processi, propria hic origine suam ad Patrem relationem declarat, uti suam sanc-

tatem Spiritus sanctus, quo etiam mysterium omnis sanctitatis caput conclusi. Omnis fides, quæ signata non est, errorem deputa. Si quid inde mali in nos cudatur, id agamus, ut fortiter illud feramus, seu animus doleat, seu anima separetur, seu ardeat corpus. Certum est nullis cedere malis, hoc nempe scriptum est : « Neque altitudo, neque profundum, neque gladius nostram unquam in fide constantiam labefaciabit ; » a vëro Sole quis avellat inseparabiles radios ? Tribus vocabulis noster subsistit baptismus : tribus arcanis vivit fides nostra, tria nomina Dominus noster Apostolis suis tradidit, ipsa sunt perfugium nostrum. Animam peregrino notatam signo, ovi illi erranti similem puta, sed et illam rejicito, quæ nomine notatur uno, surripuit notam a nobis rejectam, et extra caulas errat ; benedicamus illi, qui suo sibi nos obsignavit typo. Rerum divinarum scientia divinæ thesaurus est fidei : hujus depositi clavis vox est doctoris, hujusque lingua illud dispensat. Nunquam fides tacuit, nunquam abstinit, auditoribus prædicare veritatem : silentium odere tuba atque fides, nec illa suum intra domesticos thalamos clangorem continuit, nec ista intra adyta voce submissa mussitavit.

II. Arborem quis vidit singularem protulisse fructum sibi semper hærentem. Fidem hanc esse dices, singularis fructus ex ea prodit, Veritas, quam unam esse liquet. Ego vero nunquam patiar, ut vel fidem meam os meum silentio premat, aut mea lingua in ejusdem confessione hæset, velut maxillis came constrictis. Fidei meæ professionem meorum velut hostiam labiorum tibi, Domine, offero. Accipe poma, quæ tibi decerpsi ex arboris meæ ramis, tum loquentibus, tum etiam tacentibus.



## SERMO XIV.

I. Invitavi te, Domine, ad convivium variis instructum hymnis. Vinum nostra desiderat mensa, laudum tuarum scientiam; qui vocatus ad nuptias hydrias mero optimo implevisti, reple, precor, os meum laude. Vinum, quo hydrias impletas legitis, scitote hujus esse vini eloquentis cognatum; ad prædicandas quippe Dei laudes nos provocat, sicut illud convivas excitabat, mirabilem liquorum transmutationem tum spectantes. Æqua peto; quandoquidem nuptiis non tuis de tuo sex hydrias vino optimo plenas providisti, oro, ut præsentis conventus aures cantu impleas jucundissimo laudum tuarum. Jesu, cui placuit extrariorum adesse nuptiis, adesto tuis; castam et decoram cernis multitudinem tibi congregatam: sodales, quæso, tuos, et quos ad epulum tuum vocasti hospites exhilarato mæstos tali egentibus levamento: canticis tuis tua concinat cithara. Sponsam tibi animam habeto, tibi thalamus sit corpus, convivæ adsunt animæ corporisque facultates et sensus. Ac si unum tibi instruxit corpus convivium, cœnaculum tuum Ecclesia est, tuo insistens exemplo.

II. Synagogam Sanctus sustulit ad Sinaï montem, cætera ejus membra sui oris splendore illustravit, suas cordi reliquit tenebras. Cumque se vitulo prostituisset, Altissimus illam repudiavit, sanctique fœderis tabulas confregit. Quis hominem vidit flagitio incubantem, simulque vociferantem, aut fœminam suo in thalamo imminentem in stuprum, clamore simul sublato, proprium crimen publicantem. Hebræorum Synagogam in Oreb agnosce: in Ægypto habitavit, ab hera patriarchæ Joseph didicit nefaria agi-

tare, simul actorum citare testes; idcirco suam populo scelerato lucem subtraxit ignis nubisque columna; nempe futurum erat, ut sol se occultaret eo die, quo Regem gens impia suum occidit, perpetrato a parentibus simile repetens flagitium.

III. Quomodo meam, Domine, citharam a tuis contineam laudibus, aut quomodo docebo os meum, acceptam negare gratiam. Et quanquam amor tuus fiduciam cætera diffidenti præbeat, mea tamen voluntas beneficium agnoscere nondum didicit. Divinitatem tuam homines debent confiteri, debent Angeli tuam humanitatem adorare. Mirentur isti oppido quam factus sis parvus, mirentur illi oppido quam factus sis magnus.

---

## SERMO XV.

I. Homo humana curet; legem meditetur mortalis, morti ob ejus transgressionem addictus; quærat peccator aptam languori medicinam. Novit prudens Divinitatem tuam silentio venerari, majestatem tuam tacitus admirari didicit doctus: et sapiens sanctis sermonibus gloriam regni tui parvulis narrare. Ne, quæso, nostra nos ipsos obliti, divina scrutemur: ingenium metiamur nostrum, sensui nostro ponamus modum, et scientiam nostram sciamus, quam parva sit, quam multis implicata erroribus, proinde ineptissimam ad comprehendendum comprehendentem ac tenentem omnia.

II. Sed edissere jam quem tibi modo fingebas inscrutabilis generationis typum. Montem, ut autumo, brevissimi clivi tecum cogitabas, hunc hodie exploratum ad nos ve-

nisti. Sed apage, facesso nugas, procacem cohibeto linguam, te ipsum noscito, de nihilo crevisti, argilla lutoque fictus, disce quod nescis : ingens terræ hiatus et quaquaversus immensus a Filio Dei te dividit, in eo ferme tractu interjectus, in quo divinæ ejus originis notitiam captas. Quem humilis natura depressit, quid illi cum arduis ? quidve illi cum salebris, quem fractæ deseruere vires ? homulum luto fictum oppido quantum dedecet superbia, ut ore protervo audeat in suum insurgere Conditorem. Quisquis divina scrutatur, hunc puta membrum cæco vulnere debilitatum, quod si cito curare negligas, totum inficiet corpus. Qui autem omnes depellit morbos, morbidam ovem a suo segregabit ovili, et procul abjiciet.

III. Scrutator majestatis perituri socium se facit, quemque de illa disceptare delectat, cum errore affinitatem inivit. Si quis perditum quæsit, et se ipsum invenit, huic similem credito scrutatorem. Quisquis ambit Christi accenseri membris, consulat imprimis, ut in Christo constanter maneat : caveat ramus ne a sua degeneret radice ; alioquin succidet agricola vitem, si amaros senserit tulisse botros.

IV. Vide ne mentis vires perverso vestigandi labore deleras ; hæbetata namque commentandi facultate, nulla relinquitur via ad beatam contemplationem Patris et Filii et Spiritus sancti. Vide rursus ne linguam exeras quasi gladium, ut ferias, aut quasi arcum mentem tractes, ut tua contorqueas in cælum tela. Cave iterum ne insidiosa illa tua disceptandi ratio quasi coluber suo corda audientium veneno inficiat.

## SERMO XVI.

I. Quî valeat servus tuus, Domine, in laudes cessare tuas, aut quomodo absistat lingua tuam prædicare potentiam, aut qua ratione cohibere fluentem liquidæ voluptatis fontem, sitienti cordi meo apertum? De tuis tibi, tua aspirante gratia, laudem dicam, a te ditatus, te munificum prædicabo, sed nec tuis magnis factis mea parva dicta respondent: sic unde me magnum facis, ingratum esse cogis. Quidquod hoc est, tu, Domine, creas, alis, et auges, ideo illum laudamus, a quo missus, ad nos venisti. Dulcis est tuus, Domine, thesaurus, cujus nos custodes esse jubes, tum vero maxime mihi, cum depositum meum ærario tuo reconditum inde tale ceperit incrementum, quale selectum tritici semen pingui commissum glebæ; placuit nimirum suavitati tuæ de parvo semine magnum mihi comparare proventum. Ecce autem delictorum nostrorum numerus in inmensum excrevit, quisve deinceps quidpiam audeat petere? Nemo sane, nisi tua clementia et benignitas hoc metu liberaret ingratos. Beneficiis affecti auctorem negarunt, celant accepta, ut promissa reposcant. Propterea gazæ tuæ pulsant fores: ne, quæso, nos repellas orantes, sed tribue quæ petimus, et non petita datis adjicito. Modestia quidem mihi placet, displicet improbitas: oro, Domine, doce me, utra tibi gratior sit, timida-ne potentis verecundia, an pia amantis in petendo impudentia? Sed hæc minus tibi grata esse non potest, cui gratissima est tuorum bonorum rapina.

II. Tibi, Domine, meam sisto fidem, nudum et vile cum opere careat munus; pretiosum tu, Domine, efficies,

ita ego a te, et a fide mea meæ inopiæ supplementum capiam. Attulit gemmarius regi margaritam, exiguum licet ferat ipsa pretium, si regio tamen inseratur diademati, et regis ornet caput, vulgaris et vilis esse desiit, si ante fuit; quantam ergo putem ipse meæ fidei dignitatem tuam invexisse nomen? Poma tulit agricola donum, herus ferentem veste remunerat: si tali muneri talis refertur gratia, et rusticus pro pomo pallium reportat, quid? num tua magna benignitas vestem, quam peto, mihi negabit? Quanquam nec parvus est, qui magna excellit fide. Si quis autem fide deficitur, tuo, quæso, Numine convalescat. Uti terra granum frumenti alit et auget, sic fides mea tua floreat, oro, gratia, et largo pubescat fœtu. Sed et ipsa fides æqui bonique consulat, si quæ sua sunt, ei redhibere impotentes, negasse videamur. Tu, Domine, sua illi tuere ornamenta, ne de nostro minuta dicatur, quæ de tuo crevit.

III. O nos miseros, si disceptantium concertationibus distenti, fidem spectemus inertes! profecto damnandi erimus quasi inutiles coloni, qui, neglecta agri cultura, se somno dederunt. Si autem operi injuncto allaborare non piget, laborem utique præmium sequetur, quod unus referet prudens colonus. Quanquam hodie veram fidem non pauci dissimulant; quamque timent fatui confitentibus nocituram, silentio premunt; istorum in corde fides vigilat, in ore stertit. Precatio fugit arbitros, silentium quærit: fides contra spatiat per fora et in luce triumphat. Quisquis religionem occultat, næ ille sibi melius consuleret, si vultum etiam celaret.

## SERMO XVII.

I. Quisquis veritatem oculo vestigat livido, etiam si in eam incurrat, nec sibi præsentem agnoscet. Mentem perturbavit invidia et sensum tantum non abstulit, ideo nec ea, quæ apprehendit manu, intelligentia comprehendit. Furit discordia et debacchatur: turbavit terram, cælum oppugnat, nescit sodalem, et herum cum servo confundit. Quis adeo durus, qui non commoveatur, teneatque lacrymas, cum videat cives et socios vibrata adversus hostes tela, torquere contra suos, acceptaque a disceptationibus occasione, in se mutuo incurrere. Deinde quis ferat ineptum sophistam, qui cum aptus non sit ad discernenda ea, quæ sibi in se parent conspicua, spe vana nititur ad summa, et cum quisquillas in propatulo positas minime cernat, se supra rerum Conditorum extollit.

II. Quocirca cum Deus se penitus impervestigabilem esse sciret, vestigabile corpus induit, ut nos a præpostera Divinitatis indagine arceret, doceretque in iis, quæ in ipso humana sunt, conquiescere. Annuit itaque nobis scitari, quomodo divina ad nos natura descenderit, et materno in utero per novem menses tacuerit, quove consilio in terris versata sit per annos triginta. Scopus nempe fuit, tum ut inde intelligeremus nostri gratia tantam molitionem esse factam, tum ut per eam moram diuturno convictu dispositi, in ejus consuetudinem penitus nos mergeremus. Summos descriuit, adhæsit infimis, quos apud se habebat, reliquit, requisivit amissos: sapientes repulit, elegit simplices, quorum etiam opera ad omnium mortalium genus Evangelium suum propagavit. Quadrigam dereliquit quatuor

ductam animalibus; in terris moraturus, crucem sibi in currum conformavit. Cruce vectus universum circum orbem lustravit. Præterit Angelos Seraphim et Cherubim; carnificum consuetudinem appetiit, eorumque ludibria in se ipse provocavit, et sustinuit.

III. Tu es Filius Dei viventis, idem es Filius hominis morientis. Filius es Creatoris, cujus voluntate crevit e nihilo mundus : idem es filius Joseph. Faber lignarius is erat, cui artem ipse prius infuderat. Per te, non tamen doctus a te Pater rerum opificium suum ordinabat; tuo digito summus Artifex res omnes composuit; suum pariter Joseph opus peregit, te docente, quem Magistrum habebat præsentem. Salve Fili Creatoris, qui et fabri lignarii Filius, qui cum mundi opificium molireris, ad sacramentum crucis cuncta referebas : forte etiam in illa Josephi domo crux e corde nunquam excedebat.

---

## SERMO XVIII.

I. Avis non rupit ovum, et exiit nisi animata, jamque formata atque perfecta : imperfectæ fidei argumentum est, necdum rupisse pia confessione silentium. Omnium perfectior rerum illam, quæso, perficito. Triplici motu ducitur ad summum avium genus; de ventre in ovum descendit, inde in nidum; hic viribus firmatis, etiam pennis instruitur. Sic justam adeptus membrorum firmitatem et staturam alas tandem explicat, et crucem in aëre signans, evolat. Imperium fidei per triplicem trium nominum notionem inceptum, ad summum etiam perductum fuit; siquidem postquam Apostoli Patrem, et Filium, et Spiritum

sanctum invocare docti fuerunt, tum fidei veritas in quatuor mundi plagas invecta est, crucis circumferens signansque sacramentum. Nomina divinam constituentia Triadem per invocationem trinam spiritui, et animæ atque corpori se mystice infuderunt. Cumque tali transfusione nostram omni ex parte Triadem perfecissent, orbis etiam imperio dotarunt.

II. Jam vero si spiritus sacris hujusmodi initiatus aliquid adversum patitur, Patris nota signatur : si quid noxium animæ accidat, tota miscetur cum Filio, si caro ob fidei confessionem cremanda sit, tota cum Spiritu sancto communicat. Si negat avis crucis sacramentum, tensas dum colligit alas, illum continuo abnegat, qui vehebat aër et abjicit, non recepturus in posterum, nisi denuo in priorem figuram expansæ, crucem fateantur alæ. Si navita ratibus findens maria, crucis describit mysterium, atque decussatis antennis, carbasa excipiendis flatibus componit, tum vero panditur navigio via, crucis notata signo. Judæum nauclerum navis ipsa facto redarguit suo, qui sua ipse manu crucis signum formaverit suæque impresserit cymbæ ; sed et nautis veræ licet religionis exortibus mare obsequitur, cum ventum fuerit ad crucem. Si Judæus crucifixor antennas et malos in formam crucis non componit, neque linteum velut corpus eisdem alligat, navigium pede claudicabit utroque. Ave purus linteï sinus corporis dominici typus, qui, quo plenus es, spiritum minime claudis, idem quippe Spiritus, qui linteum implet, corpora plena spiritu ab interitu frenat.

III. Sed nec arva Judæo parent, nisi appareat decorum splendidæ crucis mysterium. Crucis typo gleba terræ cogitur et mollitur, sparsoque semine gravidata, omnia parit et fundit. Procul a cruce nec suæ Judæus placet tunicæ : tunicam primum in crucis figuram explicat, deinde induit.



Judæo vestis ipsa speculum data est, signum, quod ille negat, ipsa præstat. Dum emptum Judæus Agnum jugulat, lignoque suspendit, tuam, Domine, necem representat. Tuam item signat resurrectionem granum frumenti ab illo sepultum, dum mox e sulco erumpit, funditur et pubescit. In suis pariter armentis te Judæus pastor remurmurat; tuo namque illa baculo custodiuntur. Vinitor item in sua te vinea designat, seu dum botrum digito monstrat, sacramento sanguinis tui plenum: seu arborem et fructum ex ea pendentem, figuram crucis tuæ, et in ea suspensi corporis tui.

IV. Habet domi suæ nostræ fidei adversarius constitutum a te præconem. Ecce autem clamat: « Dormientes expergiscimini et surgite: » quatit alas, clare insinuans viventibus mortuorum reditum, mortuisque prænuntians mortem somnum breve futuram. Domesticæ avis uterus dum casto connubio gravidatur, ex calore per obumbrationem alarum transfuso, suumque sine sexuum permutatione foetum concipit et parit, Mariæ typum Judæo describit.

## SERMO XIX.

I. Filium Dei veritatis doctorem convenit admirari, laudare æquum est Dominum, qui fratrem servorum suorum se dixit. Magnum dicere debemus, qui postquam cunis exceptus, infimam ætatem decurrit, infimis ministravit. Humanam quidem naturam tuam contexere vestes, textit corpus divinam: amictum ergo tibi, Domine, comparasti duplicem, pannum et corpus, idem est panis, panis vitæ.

Vestes mutatorias tibi invenisti, quis inventum non obstupescat? Tuam corpus textit lucem gratam spectantibus et formidabilem, texere naturam humilem vestes. Panis occultat ignem in ipso reconditum, quem humana mens nunquam attingit, cui namque datæ sunt igneæ manus et digiti spiritus Conditoris nostri, cujus abditissimæ naturæ composita, ratio nostra, vix a corporeis sensibus distare videatur; sed nec ipse cœlestes mentes illum assequuntur, esto spectabilis ipse sit, conspicuus ubique ac patens; rebus quippe omnibus interest et superest: ipse est sua intelligentia atque nostra; ipse est vita spirantis in nobis animæ. Quidquod et illud magnopere admirandum est, quod cum idem res contineat omnes, ipsumque vicissim omnes habeant sibi præsentem ac intimum, nulla tamen illum attingit, ut in ipso maneat, quemadmodum nec proprio manus animam in corpore morantem.

II. Jam vero quis se contineat a laudibus illius arcanæ et reconditæ virtutis, quæ postquam apparuit, clarissima luce fulsit, quæ rursus postquam assumpto corpore omnium oculis aspectabilem se obtulit, omni corpori tractabilem se præbuit: eadem intelligentias prævertit. Permagnum est a parvis illum maximum coactum fuisse, in ipsorum forma fieri parvum, quo eis fieret similis; scilicet quia fieri non poterat, ut illi similes ei fierent; idem se illis similem fecit, quod quidem ipsi facile erat.

IV. Fallitur mortalis homo, dum contra telum mortis ab armis præsidium quærit: tenerum ac molle corpus ærea munit lorica, ne vulnere pateat locus. Tu vero, Domine, naturam immortalem mortali corpore induisti, ut per carnem aditum perpeccionibus mortique patefaceres. Varia et diversa remedia ægrotantibus abunde providisti; sed cum plura sint medicamina, virtus una est indivisa et simplex, fit tamen multiplex pro laborantium numero et differentia.

Sic veritas ad plurimos se explicat; sed et contrahitur, reditque ad suam simplicissimam unitatem iis, quibus veritas amica est. Victualium copiam inopiæ nostræ tuus coarcevat amor, ut unicuique certam de horreis tuis rationem dispenses, nostram suavibus modis, Domine, prolectas inopiam, ut ad januam tuam appareat.

## SERMO XX.

I. Nunc tibi, Domine, fidem meam clara voce testabor, cum liceat preces et verba corde concipere, et fundere, ore etiam tacente. Si venter prægnans maturo fœtui occludatur in partu, duorum corporum mors sequetur. Hoc a me malum averte, Domine, neve, quæso, mutescente lingua, meæ fidei obstruatur exitus, unde illam loquela destituat, et hanc silentium opprimat et extinguat; et sic ambæ cadant, altera alterius casu. Arbor item si insito surculo exitum neget, perimit; sin autem concedat, confestim folia mittit, spemque proventuri fructus ostentat. Jam si lignum resectum reviviscit, et pomâ creat, exultet fides mea.

II. Semen subactis sepultum arvis viviscit, quibusque tegebatur, glebas frangit, culmos mox daturas mysteriorum plenas. Fides fructibus referta bonis, gloriæ est mox securæ seges. Piscis intra retrusos pelagi sinus concipitur et paritur, intimos oportet petat recessus et cæca vada, quo piscatorum prævertat insidias. Oratio intra cordis secretum se condat, ibi silentium quærat: hac arte evagationes inutiles vitabit. Pura oratio virgo est, cui solitudine nihil amicius, nihil aptius, quod si oris tui limina

transilierit, palanti similis errabit. Orationi veritas thalamum instruit, coronam conserit charitas : excubant ad januam eunuchi duo, quies et silentium. Oratio filio regis nupsit; publicum fugiat, regiam sponsam indecora libertas commaculat. Sponsa in forum producenda fides est. Vehitur voce dicentis ab ore ad aurem, quasi nova nupta ad thalamum.

III. Scriptum legimus multos in Dominum credidisse, quorum stomachus haustam mox rejectavit fidem, esto ab ore dissideret animus, in confessione veritatis perseverans. Fidem negavit, qui rogatus reticuit. Ore tacente Jonas oravit, quando futurus divinæ sententiæ præco intra viscera piscis detrusus obmutuit : de ventre reptilis repsit oratio ; exaudivit Altissimus sine voce orantem : silentium clamor erat. Res duæ, oratio et fides, ista forum amat, illa secretum. Secreta oratio secretam petit aurem : fides fertur ad aures patentes et in propatulo positas. Oratio facultatem discernendi saporis imitatur faucibus conclusam, et uni palato notam. Id interim agamus, fratres, ut divites simus in ea fide, quæ bonum odorem spirat. Odor saporem indicat doctis odores discernere.

IV. Geminas alas, puta charitatem et veritatem, ambas ab invicem inseparabiles ; nec enim a charitate veritas divisa volat, neque charitas movetur a veritate disjuncta : ambas mutuus consensus virtuti jungit, ut jugum tauros. Unus est intuitus oculorum, unus pupillarum motus, nec illa separant interpositæ nares, nec unquam fit, ut vel levissimo tractu alter oculus ab altero divertat. Sic nunquam, facto divortio, pedes duas cepere vias ; tortuosi ac multiplicis ingenii est, quisquis duas ingreditur semitas lucis atque tenebrarum, proprii arbitrii abusus potestate. Hem pedum et oculorum concordia animum a seipso dissidentem, redarguit. Heus anime, taurus duobus illigatus

jugis; non hunc aratoris arbitrium, sed suum contrariis jugis iniquitatis et justitiæ subdidit. Aratori maledicto sua illum voluntas subjecit. Durum erroris jugum trahens, miseram servitutem servit : pro tritico seminat spinas, stimulo tardum diabolo increpante bovem. Obsecro, Domine, perturbatum animum intus oratio componat fides extra motus, et actus dirigat et confirmet, et homo a sua conditione unus, et postmodum divisus ad pristinam redeat simplicitatem, suamque coram te reposcat unitatem.

## SERMO XXI.

I. At tu, Domine, utere, precor, cithara mea, et omnia nobis salutaria recinito. Viris perfectis perfectæ virtutis laudes canamus, dicamus pura puris mentibus, simplicia simplicibus. Audis-ne Zachariam Gabrielis dicta refellentem <sup>1</sup>? Indocte senex doctorum scripta consulito, tum dicta tua considera; lingua mulctatus disces, tali dignum esse pœna, qui contra vera nuntiantem disceptare audeat. At vero si Gabriel licet servus in Levitam adeo excanduit, quod sibi ea, quæ narrabat, affirmanti restitisset <sup>2</sup>, quanta reris exarsurum ira Justî Filium in eos, qui ipsi asserenti se summi Patris Filium esse, non credunt?

II. O Zachariam senem sterilem nullo sanandum medicamine, ex quo de nascitura tibi prole divinitus edoctus, dubitas, monitore præsentis : scitare virgam in arca repositam, quam aridum lignum fuisse nosti, reviruit tamen et germinavit. Age vero si Angelus natura haudquaquam in-

<sup>1</sup> Luc. 1, 18. — <sup>2</sup> Ibid. 20.

dissolubili cretus, in comparem sibi adeo exarsit, ut coërendam freno ejus linguam judicaret, cujus mens de promissa Joannis nativitate hæsitabat : profecto os impii hominis, qui Unigeniti majestatem contumeliosis dictis violare non dubitat, eo constringendum erit freno, quo Sennacheribi similis audacia retusa fuit.

III. Sume tibi speculum miram Abrahami ad hanc disciplinam docilitatem; commaculant enimvero fidem disquisitiones ineptæ. Ubi Abrahamus simpliciter credidit <sup>1</sup>, justificatus est; ubi autem disceptavit, audiit diutinæ servituti posteritatem suam fore addicendam. Perdix inclamat pullos non suos, sæpe fefellit incautos avis, suum voce mentita genus : cave ne te quoque seducant sectariorum voces, Filium confitentes, negantes autem a Patre genitum. Aves sunt, quæ voces imitantur alienas, suas versant et intorquent, crispant et frangunt. Versuti veteratores sunt, quibus quæstus est in componendis strophis impudentia.

IV. Tu mea mihi parcito, cithara, ne auditorum aures insidioso capias cantu, et vide, ut uniusmodi sis ac tui semper similis, clam et palam veritatis, quam profiteris, voces et sensa cantabis. Moses duas in sua castra tubas intulit, hisque jussit præcones ad populum uti, extra illas nullis, mysterium adumbravit, quod hodie completum cernimus, quando in Ecclesiis duo tantum Testamenta nobis divina sacramenta concinunt et prædicant. Sed et Davidis lyra triplici modulo suos dimetitur Psalmos; majoribus siquidem plectris tuæ, Domine, occinit Divinitati, mediis tuam celebrat humanitatem, postremis morientem mæsto comitatur cantu. Tua, precor, cithara tuarum deinceps laudum referat sonos. Fides, quibus furor concentum abstulit, ad symphoniam reducito; ut deinceps pacem, veritatem et concordiam canamus.

<sup>1</sup> Gal, iii, 6.

## SERMO XXII.

I. Quisque rerum Dominum admirari debet, geminas quando lyras temperavit, geminos videlicet ordines, Prophetarum, atque Apostolorum; manus una lyram tractat utramque, diversas referens voces ab utroque Testamento acceptas; sed uti diversos licet fundat cithara sonos, eadem tamen sunt chordæ et citharedus idem. Sic, fili, veritatis plectra voces dedere diversas, una tamen est veritas. Præterea uti eadem tibia diversa sonabit carmina, doctis quidem docta, rudia rudibus, et ægris mollia et suavia; sic divinæ veritatis tuba voces reddidit varias, magna proposuit magnæ virtutis viris præmia, promisit parvulis lactis et mellis bellaria.

II. Cæterum quis unquam, certe nemo, in causa publica procurator et præco designatus, tuba vocem duntaxat unam otiose jejuneque fudit et abiit, quando certe per varios diversosque tractatus omnibusque modis ea expedienda fuisset? Sic ergo neque decebat, ut divina auctoritas fidei dogmata una exponeret voce, aut signo firmaret uno. Pater et Filius vera sunt nomina, o fili, ac si Jesus stultorum hominum fabula fiat, talis perinde fiet et illius Pater: sequetur autem, neutri suum convenire nomen.

III. At enimvero si Jesus hactenus per hominum exter-  
norum ora traductus est quasi inane figmentum, nunc a suis etiam cultoribus simile probum sustinet, quod utique in omnes, qui divinam Trinitatem confitentur, redundat, ut per invocationem fictorum nominum baptizari dicantur. Usque adeo audax turba insanit, dum persuadere nobis se putat, ut convicia pro laudibus habeamus, et quæ nobis

illa molitur, damna, quæstum putemus, atque ingentium bonorum semina, quas serit discordias.

IV. Filius novit, a quo genitus est, Patrem, ut suam arborem fructus; perinde nec ignotus est Patri Filius<sup>1</sup>, ut nec suum stirpi germen. Vides-ne, ut amborum cognitio in ipsis occulta et abstrusa manet. Cognitio Geniti eadem est ipsa Genitoris, et hæc in thesauro conditur, cujus ostium obsignat altum silentium, horrenda nox limen obsidet, excubat in vestibulo Cherubim custos fortissimus.

V. Quis autem, fili, vel submissa voce audeat loqui, nedum contendere in illius ædis vestibulo, in qua divini conduntur thesauri? Estque oculis juxta auribusque inaccessa. Sed et illæ supernæ mentes si quando eo forte appulerint, continent se ac tacent: ille tacere nescit, qui quam oppido angusta sit ejus loci majestas ignorat. Hujus notæ homo illuc delatus, sensum amittit, et ebriorum more fanda et infanda effutit, insanus est, quales esse oportet eos, qui aures commodant talia deliranti. Tum si tali temulentus mero, discussa ebrietate, ad mentem redierit, mutato sensu, tacet, et divina miratur.

### SERMO XXIII.

I. Fare age cithara, taciturnitatem tibi posthac inimicam puta: fare autem, quæ fanda sunt, nefanda quippe probi modestique viri execrationes deputant. Quisquis divina sibi vestiganda sumit, prope abest ab eo, qui fidem negavit: in suum exitium incumbit audax istuc hominum genus, qui fidem disceptandi studio deseruerunt, et divinorum arcanorum pelagus per vada cæca ingrediuntur.

<sup>1</sup> Matth. xi, 27.



II. Talia dum audis, ne mirere, puer, sed sectam confer utramque, confestim intelliges ab altera Divinitatem peti, ut insitam de ea opinionem evellat; ab altera vestigari divina, ut ista infra hominis captum esse ostendat: quasi vero supra res omnes non sit omnium rerum Dominus, quando ipsiusmet nomen satis demonstrat nil illo esse aut præstantius, aut melius, ut proinde nemo tantæ majestati parem intelligentiam afferre possit, aut ea polleat mentis perspicacitate, ut valeat immensi hujus maris altitudinem metiri.

III. Animæ ergo tuæ primum eluito citharam, et si quod hæserit ei ex contentione, lutum abstergito, deinde cave ne illa, quod tuum est, in te canat, pestis est sua cuique cupido. Cave rursus ne quo fortasse flagras inanis gloriæ studio, eo tua suos lyra moduletur versus. Quæstum putas, damnum id omne est. Citharæ chordas tempera discordes, illas si forte libido disceptandi confudit: ad suas revocato leges cantum per inutilium quæstionum salebras oberrantem. Divinitati prius ipse te sistito, deinde aggredere divinas cantare laudes; quandoquidem lyra es, vita et mente prædita ac fidibus modisque tuis inest liberi potestas arbitrii. Oh felix es, qui potis es de tuo, tua voluntate Deo tuo gratum modulari melos. Fac, ut animum primo componas tuum, tum canito nobis, non tamen quæ disceptantur quæstiones, cantus expolito tuos, et modulare nobis vera, non arcana tamen, quæ ignorasse juvat, nec te pudeat discipulum fieri docentium, quæ divinitus revelata nobis manifesta sunt, eademque audacter loqui. Sermone utere irreprehensio; verba, quæ loqueris, expende; examina ad stateram, quæ cogitas, eaque canere assuescito, quæ nemo jure redarguat. Stude, fili, ut cantus tuus tui Domini famulis gratus et utilis sit, tibi que laboris præmium ille plene cumulateque rependet.

IV. Vide ergo ne quæ perniciem afferre solent in vulgus, tuæ cantiones dissipent, neve tuis quæstionibus fratrum concordiam perturbes. Cave ne gladium, id est, disceptandi studium in conventus inducas simplicis plebis assuetæ fidem, quam didicit, candide profiteri. Iterum cave ne Deo pro laudibus injurias rependas, neve aliquo errore deceptus silentio premenda recantes : Filio Davidis davidicum carmen occinito. Prolem mutuatus a Parente nuncupationes Dominum dicito atque Filium. Attende ne Patrem cum Filio contumeliose collidas : neve Patri Filii injurias reponas, aut Filio vicissim occinas jactata in Patrem convitia, ab impiis negantibus eum esse Genitorem. Patrem esse ordine primum extra controversiam est, nec est dubitabile Filium esse secundum, uti tertium Spiritum sanctum. Cave ne istam nominum distributionem pervertas.

V. Vos itaque, fratres, docete et baptizate in tribus nominibus, in nomine videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti<sup>1</sup>; Filii namque nomen nomini Patris anteponendum non fuit, ne personarum ordo et series confunderetur. Hujus autem arcani modus et ratio intra silentii adytum reclusa latent, longe præcul ab hoc loco Psalmos modulare tuos. Cave ne tua lingua fiat ponticulus quibusvis vulgi fabellis transitum petentibus expedire parata. Deo tuo decimas carminum tuorum persolvito, lectum de tuæ mentis conceptibus manipulum ipsi offerito : primitias piorum humorum ei separato, et reddito de tua vindemia Psalmos, cogita esse botros de tuis vitibus tua lingua desectos.

<sup>1</sup> Matth. xxviii, 19.

## SERMO XXIV.

I. Dominus rerum dōnatum illum bellatorem suismet armis devicit. Corpus ex Adæ, Davidisque stirpe induit, ut ille eo, quod profligarat, corpore profligaretur, victusque majore cum dedecore ex acie discederet. Tua, Domine, facta omnem dicendi facultatem exuperant : cui enim suppetat tanta orationis copia, ut enarrare sufficiat, quī factum, ut ille, qui rerum omne creat genus alitque, in paupere mensa Josephi et Mariæ accubuerit ? Siccine de sinu inopis Mariæ alimenta petis, Filius de magno genitus utero, eoque opulentissimo, suasque opes toti naturæ liberaliter dispensante ? Mortalem insuper patrem tibi in terris adoptas, cum sis ipse vita præditus sempiternæ, quem penes sunt spes vitæque omnium viventium.

II. In vili jumento sedens, ignobili specie nativam claritatem et nobilem triumphum occultas ; contra equis ovanibus et curribus invecti dejecti sunt, cum triumpharent. David fortissimas acies profligabat, cum strenuum bellatorem fœmina, imbellis costa perculit et prostravit<sup>1</sup>. Fandi facultate divinitus accepta loquitur asina<sup>2</sup>, seque mutum animal agnovit ; sensitque dominum talem esse, qualis vere erat. Atqui si isthæc discrevit stolidum animal, quem esse dicam hominem ingenua naturæ suæ virtute sapientem, qui neque servum ab hero, nec opus a suo Opifice discernit ? Jam si Nabal punitur, quia linguam minime coërcuit<sup>3</sup>, quominus Regem magnum despiciatum haberet, communique appellatione cum servis confunderet, quis vestrum adeo desipuit, ut Nabalem imitari velit ? Fugite, fratres,

<sup>1</sup> 2 Reg. xi, 4. — <sup>2</sup> Num. xxi, 28 et 30. — <sup>3</sup> 1 Reg. xxv, 59.

ejus garrulitatem, interitum pertimescite; nec enim filium Isaï contumelia ista petit, sed Filii Dei violat majestatem.

III. Mundi Dominus se demisit et in terras descendit, servum se fecit omnium inceptor et perfector rerum, socii famulique personam assumpsit, ut ministerium impleret, pedes Discipulorum lavit. Ista, charissimi, mente recolamus et examinemus, utrum parem de nobis tantopere bene merenti gratiam habeamus. Cœlorum Dominator venit in terras, advena factus et peregrinus, alienigenæ et hospitis imaginem induit, quo nos exaltaret, regnique sui consortibus associatos, in sempiternæ gloriæ sedibus collocaret.

IV. Omnium ora atque linguæ rerum omnium Dominum collaudare debent; quousque ergo palantes errabimus? et utinam demum beneficium agnoscemus summi viventis Filii, in quem interim crucifixores audacter invehuntur, et impii scrutatores insaniunt, quod pro sua summa in nos charitate corpus assumpserit?

---

## SERMO XXV.

I. Quis mihi vel minimum tribuat spiritus ardorem, non ut Propheta fiam; istud namque optare, letale puto, sed ut sufficiam pro mea tenuitate prædicare gloriam ejus, qui est super omnia magnus: nec enim nisi summæ illius majestatis munere sit, ut divinas opes humana ora dispensent; nec, nisi acceptis ab illa clavibus, thesaurorum ejus aperiuntur fores. Hymnum ergo dicamus divinæ gratiæ, quæ per ora loquitur loquentium, nec ideo liberum ipsis adimit arbitrium: os nostrum ab illa habet utrumque simul, ipsam videlicet de suo meditatatur, et ipsam de suo loquitur. Nisi

aspiret gratia Verbi, nec ori vires ad disserendum de ipso Verbo suppetunt, nec nisi, ipso largiente Verbo, quale et quantum idem sit, dicere homini licet. Verbum homini adiutorem se præbet et advocatum. Sic oculo lux ipsa suum expedit aspectum, ejus ille adjutus splendore, ipsius contemplatur pulchritudinem, cœlestes etiam coruscationes proprio lumine se produnt : nisi lucem a sideribus acceperit oculus, nescit ducentem ad illa viam : fulgor objecti ignis, obluctantibus etiam tenebris, oculos ad se rapit.

II. Mundi Creator Filium ex se genitum in creaturis depinxit : lux, ignis, aqua, resque cæteræ his adjectæ, viam commonstrant, et aditum ad cernendum in figura Numen illud supremum patefaciunt. Pelagi ope nixus audet natator intimos ejus subire sinus, ejus vectus humeris penetrat ubi æstuant et colliduntur aquæ, freta tument et fluctuant. Sed enimvero cum summa maris superficies nantes portare parata sit, urinatores nihilominus etiam in profundum se mergunt : talem esse puta plurimorum divina sciendi ambitum.

III. Cæterum si ex nobis semen existit, fructus ex ejus voluntate provenit : non nostram ejus gratia segnitiam fovet<sup>1</sup>, sedejus studiumetsolertia diligentiam nobis insinuat, et excitat ad rapiendas opes, quas nobis benigna ejus liberalitas offert. Pluvia similiter dum super arva promiscue ejus diffundit opes, non nos ad inertiam et otium invitat, sed admonet uberioris proventus beatæque vitæ spem in labore et sedulitate consistere.

IV. Utinam tua me gratia ad tuam celsitudinem tandem perducatur, hoc tua, confido, mihi bonitas præstabit, ut per te ad te veniam. Etenim si ad creaturas datur venire per ipsas, cur per te, Domine, ad te mihi venire negetur ? Zachæi exemplum hanc mihi injecit spem, qui per te ad te

<sup>1</sup> 1 Cor. iii, 6.

deductus fuit <sup>1</sup> : statura pusillus magnus per te effectus ad tuum suspiravit amplexum ; ad tuum conspectum promoverunt tuæ ad illum absentem voces. Infructuosa ficus fructum attulit, saporis expers saporem reddidit jucundissimum, sal ille fait, insipida condivit. Mirare ficum nativo fructu carentem, et poma ferentem non sua ; et quoniam sub alia specie manducari non potuit, ab egentibus comestus est, in ea quam erogavit, stipe. Utinam sic tua me, Domine, gratia uti tunc Zachæum excitet, non ut simili opulentia auctus, nummos dispensem, sed ut dudum fœneratam a te mihi pecuniam cum suo lucro repræsentem.

V. Hic observa ; servis negotiatoris pecuniam a Domino datam fuisse, quo plane declarat, si non ipse nobis se jungat, negotiationem nobis minime processuram, nec perinde sine ejus gratia veritatem inventum iri. Trepidi modo accurrite, fratres, cæterasque colligite comparationes, plurimæ namque nobis conglobatæ suggeruntur, ut omnes dicendo persequi non liceat. Inventis vos nostris proficere, nobis quidem jucundum : æquum tamen est e vestra collatione aliquam nos voluptatem fructumque recipere. Sed nec sine fermento massa conveniente sapore imbuitur, illius nempe vi fit, ut subactæ farinæ partes coalescant et spissentur : sed nec si absit coagulum condensatur lac, ejus quippe acrimonia fit, ut lactis mollities in duritiem coëat.

VI. Tu, Domine, præsta, ut ignaviæ meæ recti aditus patefiant, per quos ad gloriæ tuæ limina mihi abjecto et humili quantulumcumque elevari contingat : nec enim, nisi tua deducente gratia, me illuc perventurum confido, atque in amplissimo illa sede te adoraturum.

<sup>1</sup> LUC. XIX, 5.

## SERMO XXVI.

I. Est quidem Deus ex omni parte retrusus et abditus; per suum autem Unigenitum se manifestavit, tum quando per illum sine labore mirandum hoc ædificium molitus est; ad hanc porro molitionem nec doctore quasi imperitus, nec quasi imbecillus adjutore indiguit; simplici namque voluntatis suæ significatione sine tumultu et perturbatione crevere e nihilo omnia, atque ordinatissima distributione sibi invicem coaluerunt. Uti autem sine labore hoc universum tunc exædificavit, sic sine sollicitudine modo gubernat. Porro cum primo Deus cuncta moliretur, erat cum illo ejus Verbum, ante omne tempus ab ipso proge- nitum; nec enim Deus humano more operatur aut cogitat, ut pro modulo nostro, improvise feratur motu, aut novam cogitationem suscipiat: rerum facta a Deo molitio tempore definitur, ejusque notantur primordia et caput: Conditoris autem scientia tempus antecedit, et initio caret. Angelorum natura nobis arcana et abstrusa latet, cui enim constat, quomodo Angelo sensæ junguntur alæ, quæve harum ratio et forma, undeve procreantur, aut quem ob defectum simplex spiritus pennis indigeat, ut per aëra feratur?

II. Quid ergo id est? Num ista parabolice et per quamdam assimilationem inducuntur, an secus qualia vere sunt, nar- rantur? Sane si vera, admodum abstrusa sunt, et ab intel- ligentia nostra oppido remota: si autem symbola sunt et figuræ, difficultatis plurimum habent. Jam cum ista minima nescias, scito summum illud Bonum reconditum esse, ignotum et incomprehensum, ejusque pervestigationem infirmarum mentium aciem penitus obtundere, omnemque

creatæ mentis conatum cursumque prævertere. Etenimvero cuinam dabitur ad celsitudinem tantam evadere, aut altissimi maris fundum explorare? Quisquis ausus est ejus summa petere, fallente vestigio, turpissime prolapsus est: mersus est et periit, qui ejus fundum scrutari tentavit: superbum investigatorem triste letum sustulit, curiosum urinatorem pelagus hausit.

III. Sol, quem cernimus, fratres, aperte nos docet incassum conari eos, qui oculos in summam illam majestatem intendunt; ejus quippe natura omnem sensum intellectumque transcendit, ut neuter illam adumbrare sufficiat, adeo nemo hactenus extitit, cui etsi audacia ad id conandum non defuit, ad assequendum facultas affuerit. Dei naturam Prophetæ exponere conati, ejusdem imaginem, ascitis aliunde vocabulis, velut rudiore manu descriptam, nobis reliquerunt: plurimæ videlicet occurrebant causæ, cur divinus Spiritus ad Prophetas humili sermone uteretur; si enim sublime dicendi genus cum admirabili, et qualis Deum loquentem decebat, sententiarum gravitate, et majestate verborum assectatus fuisset, obstupescisset sapientes, et rudibus non unam offensionis causam præbuisset; perdidisset videlicet indoctos, et doctis minime profuisset. Symbolis idcirco unde libuit ascitis usus est, ut tardo hominis ingenio et imbecillitati consuleret.

IV. Quisquis ergo sempiternam illam substantiam rebus ad ipsa conditis comparabilem opinatur, is vehementer errat. Etenim, ut illam esse compositam imaginemur, et quale est istud imbecillum corpus, ore, auribus et oculis præditum, horribile est id audire, ne dum ineptum est dicere: vel ut illam aliqua concretam materia credamus, ipsamque proinde quibusdam circumscriptam terminis, certoque limite definitam, id porro cogitare scelus est. Quanquam cum illa rebus quibuscumque infinito excessu



sublimior esset, ob eam tamen, qua summa præcellit benignitate, infra illas se demisit. Tum vero maxime figuras et symbola tenuissimo humanæ mentis captui accommodata, de thesauro supremi rerum Domini nobis prodierunt: convenientem videlicet temporibus et rebus personam induit, ut prodesset, modo tristem modo lætam, quandoque terribilem, et aliquando blandam et facilem. Atqui, cum semper ipsa similis sibi sit, æquabilis, et constans, in suis tamen dispositionibus variavit.

V. Vides, ut Moses illam majestatem talem repræsentat, qualem et nos cogitamus omnino a materia sejunctam; figura quippe præditam esse negavit: « Num vidistis, ait, » aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis in » Horeb de medio ignis<sup>1</sup>? » Omnem autem imaginem in monte Sinaï idcirco exclusit, ne forte populus illam pingere in tabula, aut fingeret in ære. Quamdã nihilominus speciem Mosen allocuturus assumpsit, ut velut archetypum ipsi designaret, unde illum in corde describeret. Sed enimvero uti profuit, quo nec personam nec imaginem in Sinaï exhibuit, ne videlicet idololatriæ causam præberet, unde ex prisco gentium errore sibi inanem Deum componerent; sic etiam in eo maxime rationibus nostris consuluit, quo figuram et speciem sibi induxit, in qua pulchritudinem suam aspectabilem faceret, nosque mirabilem ejus decorem sensibus quoque utcumque perciperemus. Scilicet quo propriam speciem oculis nostris negavit, errorem prohibuit, eo autem quo obtulit, rebus nostris mirifice consuluit.

VI. Cum vidissent senes Susannam, nihilominus insistebant, ut eam cognoscerent<sup>2</sup>. Vidit Moses facie ad faciem gloriam majestatis sibi præsentem<sup>3</sup>, nec propterea destitit summis precibus flagitare, ut illam intueri et pernoscere

<sup>1</sup> Deut. iv, 15. — <sup>2</sup> Dan. xiii, 20 et seqq. — <sup>3</sup> Exod. xxxiii, 11.

ipsi liceret<sup>1</sup>. Mentiti sunt senes, affirmantes se vidisse quod nusquam viderant<sup>2</sup>. Moses contra, cum objectam sibi Divinitatem spectasset, agnovit tandem et confessus est illam a se nunquam visam : scilicet sapientem minime fellit Dominum suum ascriptitias et aliunde ascitas formas induisse. Oculus Altissimi e sublimi ad lutum se flexit, limum formavit, qui cuncta molitus fuit. Quemadmodum autem se demisit, et per gratiam figuravit argillam in hominem ; sic per humilitatem oculis ejusdem se indulsit aspectabilem. Atqui si Moses illum, ut vidit, expavit, et exhorruit, idem-ne tantus foret, ut sine pavore immotus consisteret, non ascititio oppositus, sed proprio ardori summæ illius naturæ, cujus vis soli Filio tolerabilis est?

VII. Sed agesis illum intuere, næ ipse est quem cernis, ipse tamen non est ; forma quippe non sua se textit Deus verus, quæ suum velut typus ab archetypo, quem tegebat, ducebat complementum ; divinus splendor humana occultabatur specie, nec vero ista sui archetypi amplitudine vacabat, eadem tamen non erat Divinitatis forma, majestas rudi et inexpertæ naturæ indulgens, velum obtendit. Bonus idem et sapientissimus est, simplex et singulare dicendi genus delegit, ut stultorum aures percelleret : speciem oris sui admirabili venustate auxit, ut parvulorum oculos sua pulchritudine raperet, cum constet sibi semper idem, neque statum suum mutet : ad nostram tenuitatem descendit, qui decrementum non patitur. Rursus se ostendit majorem, ut nos magnos efficeret. Indulsit se hominibus cum ipsis promiscue et communiter conversans, contraxit se visusque minor, ut ad privata cum singulis colloquia veniret. Stulti Deum in se talem esse putarunt, qualem ipse se spectabilem præbuit, vehementer tamen errabant ; ipse quippe sibi sufficiens, ipsis egenus apparuit, nec animad-

<sup>1</sup> Exod. xxxii, 18. — <sup>2</sup> Dan. xiii, 36.

verterunt illum rationes excogitare, quibus improbum populum ex communi gentium superstitione sacrificia assectantem caperet; ex quo itaque victimarum esca illorum amorem venabatur, credere fatui hostias ei singulariter placere.

---

## SERMO XXVII.

I. Deus substantia præditus ingenita, uti nomen, sic naturam habet eximiam, cunctisque præcellentem. Ex quo proinde substantia est ex se existens, suomet vocabulo a quovis alio extra ipsum discriminatur, ejusque notitia omnibus prorsus ignota latet; adeo ut etiamsi maximo conatu creatæ mentes illum assequi contendant, nihil tamen obtineant, eo quod nil habeat ille cum rebus conditis commune. Quotquot ergo extraneas ab ipso naturas respectarunt, istas, non illum viderunt, quamlibet illum sibi expositum esse jactarent, quem cernere nemini licebit unquam. Ipsæ se contemplantes, illum sibi præsentem imaginabantur, deceptæ sunt, putantes Deum ipsis esse similem; quod si ipsum in ipso vidissent, utique rectius sensissent, pro illo ipsæ se respectabant, quando sibi videbantur illum intueri. Oh stolidus es, qui te ipse palpans, putabas te tetigisse, quem nemo vidit unquam, Deum. Natura quippe ex se existens, quæ mentem et rationem prætervolat, cuinam rerum eam similem cogitabimus; nisi velimus errare, nobisque pro vero obtrudere, quod vero simile est? Si autem crediderunt archetypum in typo se vidisse, vehementer hallucinati sunt, et ipsi falsi alios fefellerunt, errarunt et in errorem alios induxerunt; fructus siquidem ex illo natus, ipsum vere cognoscit, extra istum nemo.

II. O cæcam scrutatorum turbam, qui intra lucem positi, lucem nihilominus pervestigare institerunt. Aurum tractabant, solem esse crediderunt, ipsius tangebant imaginem, ejus vultum se tenere putarunt; cuncta sumebant in manus, excutiebant singula, rati ipsam se tetigisse lucem: qualem quisque imaginabatur Deum esse, talem sibi temere depinxit. Nec stulti reputant unum modo oculum lumini esse affinem, utque plures sint sensus, his certe nullam inesse ad illum habitudinem; lucis namque splendor nec sapore titillat gustum, nec odorem ad nares aspirat, nec verberat aures, neque cutem vellicat, oculus duntaxat luci quadam cognatione jungitur, et ipsi compar est, velut parenti filius.

III. Infusam lucem palatum profecto non sentit, auris orientem sibi que objectam non discernit; cur illam non tetigere manus? Cur non olfecere nares? Rex animus, ejusque archistrategus cor, castra aciesque cogitationum, lucem, quid sit, non assequuntur; ecce autem argilla creati homines, ambiunt lucis Dominum comprehendere. Vides crimine in hoc uno notam horum hominum improbitatem, turpitudinem, ignominiam et dedecus, ut qui omnes nequeant, collato studio, intelligere sibi præsentem lucem, rem utique non magnam, quanquam et sibi circumfusam habent, ejusque claritate exhilarantur, et illuminantur fulgore; imo quamvis eadem amiciantur velut vestimento, ab ea tamen mirum quanto intervallo distant, ut ipsam miseri ex fama duntaxat novisse videantur.

IV. Hem cæcos vides, a quæstionibus tamen minime absistunt, similes videri volunt cæco sagittario de sua arte se inepte jactanti et glorioso, qui sagittas vibrat in flammam, nec cernit, quo ferantur, quove resiliant: nec advertit superbus jacta in ignem tela, ejusdem vi tandem consumpta, in cineres redacta fuisse; quæ vero aërem verbe-

rarant, in terram recidisse. Jam si ipsi contigerit malum, ut in subjectum ardentem rogam corruat, profecto eodem, quo ejus jacula consumpta fuere, ardore deflagrabit.

---

## SERMO XXVIII.

I. Si atræ nubes, et fulgura, coruscationes cæli, terræ-que succussiones, turbines et procellæ, res utique nobis in hac servitute natis cognatæ, timentur tamen, si forte vehementius nos pulsent, earum impressionem pro nostra imbecillitate minime tolerantibus; si, inquam, res nostro mancipatas obsequio, adhuc metuimus, quis nostrum non vereatur illud pertentare Numen, cujus divina vis omnia conservat ac tuetur? quid? quod et inventa ad tuendam valetudinem remedia, nisi ex arte temperentur, venena fiunt. Vinum etsi jucundum et suave, meracum si tamen sit, innocens non est, species odoratæ sua suaveolentia offendunt, somnus item et cibus et sine quibus vivere non possumus, si absit modus, mortifera sunt. Porro si res per se tenues, nisi conveniente temperamento corrigantur, nobis exitiosæ sunt, qualem, putas, perniciem parat libido fodicandi ignem consumentem?

II. Propterea ille Bonus pondera, mensuras, et modos statuit, ad quorum normam rerum quarumcumque appetentiam exigeremus, si modo velimus ex illis utilitatem capere et homine dignam voluptatem. Quid enim? num ille rerum princeps, hujusque auctor ordinis, nostros ad ipsum motus ordinare neglexerit, permiseritque nos sine lege vagari? quique pulcherrimo ordine cuncta digessit, majestatis scrutatoribus nullam imposuerit legem, modumve præ-

cripserit? Jam cernis, ut ejus nutu cuncta distincte et ordinate disponuntur, ut nihil sit, quod extra designatum ab eo locum exeret: naturas mente carentes vis et necessitas gubernat, liberas consilium et voluntas, naturæ ligatæ aguntur, solutæ custodiuntur, septum et custos libertatis lex est: quæ autem naturæ non liberæ fixa sunt claustra, quænam refingat vis, tum quando concessa nobis arbitrii potestas soluta errat?

III. Hæc naturæ Auctor soli periodum descripsit, suosque lunæ meatus disposuit, terræ item cœloque terminos fixit, et firmamentum, superfusus aquis, terminavit. Non turbatur naturæ ordo, nos ipsi fluctuamus: jam si arena marini cohibentur fluctus, improbum despicio majestatis scrutatorem, qui supra rerum Dominum se effert. Hujus audaciæ homo modestiam discet ab eo, quo res ejus aguntur ordine, quando ejus quidem conceptus materni uteri angustiis clauditur, ejusque mira reformatio, et ab obitu ad lucem reditus intra terræ sinum transigitur; sic conceptus, ortus, et interitus, sepultura, et inde ad vitam reversio, omnes mortalium rationes continent ac definiunt; hisce proinde finibus etiam tenetur improbus scrutator, cujus quæstiones nullum habuere finem.

IV. Perge porro, et iterum scrutatoris in perturbando rerum ordine petulantiam exagitemus, dum ejus voluntas pro arbitrii sui potestate a propria ratione deflectit. Distinguendum namque est arbitrium a natura; hæc enim divino munere immutabili ordine constituta, prodiit, ut ab illo discriminaretur. Etenim quisquis cum virtute amat sua membra perdere, idem rei suæ eversores odit: quicumque vero carnem suam præpostere diligit, is quidem partium corpus istuc coagmentantium dispositionem conservat; morum contra suorum compositionem et integritatem solvit atque depravat.

V. Cherubim paradisi fines tuebatur, visque formidanda ad montis Sinaï clivum excubabat, ab ascensu prohibens, jubensque, hujus interdicti contemptores, velut inexpiables noxæ reos, lapidibus obrui. In re manifesta mysterium legislator insinuavit: quod etsi illius præcepti obligationem ad diei unius contraxisset spatium, nulla tamen dies futura esset, in qua arcanorum suorum invadere terminos cuiquam permetteret. Illic pœna capitis transgressoribus constituta fuit; hic majestatis scrutatoribus gehennæ supplicium decernitur.

VI. Lepra retundit scrutatorum audaciam, quæ olim loquacium garrulitatem castigavit: quando Mariæ suamet labia vestimentum consuerunt, deformibus intextam crustis. Pia mulier fratrem infantem in profluentem mox projiciendum secuta fuerat, filiæ Pharaonis viscera ad misericordiam flexerat, induxeratque, ut puerum ex aquis, in quibus fluitantem invenerat, educeret, eique insuper censum assignaret, ex quo non ipse modo, imo etiam mater aleretur. Est hic quod mireris, obstupescas ac timeas; nam si Maria plectitur, quia verbis detriverat existimationem hominîs morituri, adeo ut, licet idem ex aquis ipsius ope erutus, ei vitam acceptam referret, ipsoque eadem natu major esset, nihilominus ille Justus, qui majores observandos esse edixerat, in Prophetidem jam ætate provectam citra veniam ignominiosa scabie animadvertit; hujus Judicis Unigenito obtrectantem quis absolvat?

VII. Factum est hoc, hem quid ais? si Altissimus pœnam illatæ famulo injuriæ a sorore Prophetide repoposcit, eo quod minus æque de ipso sensisset, quis iniquam de Filio majestatis cogitationem cum impunitatis spe suscipiat? quisve non vereatur illum, a quo genitus est, ignem consumentem, unde emicant fulgura, et linguæ flamman-

tes, cui si protervi isti scrutatores componantur, festuca minima res et levissima sunt; cuique in promptu est disceptatores et contensiosos quasi stipulas et vepres concremare. Pœnam tulit similem Giezius, qui Prophetam illudere conatus, ipse egregie illusus fuit, cum magistrum vellet capere, captus est. Subdoli scrutatores vulgo imponere volunt, quo et ipsi trinis nominibus baptizare volunt: trium testium consona testificatione iudicia constant, tres hic audis testes, quorum testimonio omnis dirimitur quæstio. Jam erit-ne aliquis, qui sanctissimos sui baptismi testes habeat suspectos?

VIII. Rerum Domini quis temere scrutando violet majestatem, sciens ab ipso sui templi injuriam fuisse vindicatam? Cave proinde ne Oziæ crimen ipse gemines, ni perire mavis<sup>1</sup>. Thus adolevit ille, et miserrime vapulavit, eo quod veritus non est dexteram ad thronum Sancti protendere, puduit eum per emnem vitam aliquando fuisse impudentem, verecundiam doctus, dum satagit contractam inde scabiem oculere; et quo templum violavit, ob immunditiam inde susceptam, intra domus suæ septa se continere compulsus est. A sacris adytis, unde omnis fluxit sanctitas, omnia commaculans lepra manavit: ex doctrina, quæ cuncta componit et ordinat, erupit nobis disceptandi studium omnis perturbator ordinis. Pluvia rebus omnibus utilis, eadem cunctis copia officit: sol omnia collustrans, nimia luce omnium oculos occæcat, et cibus vitæ alimentum, si absit modus, necat.

IX. Divina ratio, quæ res omnes distincte ordinateque disponit, aberrantem scrutatorem ad ordinem adducere voluit, quando suum templum igne sepsit: ducentos viros, qui in tabernaculo sacerdotum obire ministerium ausi sunt, flamma sacræ ædis amica corripuit et adussit; alias etiam

<sup>1</sup> 2 Paral. xxvi, 19.



Aaronis filios simili incendio absumpserat <sup>1</sup>, quia alienum ignem, scortum videlicet in Dei domum intulerant, scilicet sacer tunc ignis in profanum exarsit, uti modo impuram disquisitionem scientia veritatis exagitat. Utrosque velut in speculo sibi descripsit eruditorum sapientia. Duas utrique visi sunt sibi aptasse personas, singuli suam; alteram velitum cupientium, negatam potestatem ægre ferentium alteram, ambas ab arbitrii libertate expressas. Utrique sibi sacerdotum functiones perverse ambierunt, in sacrificio, quod offerebant, prodidere voluntatem, quam celabant. Occulta amborum consilia manifesta hostiarum immolatione patuerunt.

---

## SERMO XXIX.

I. Deus homines pro sua charitate Deos nuncupavit : sic illi placuit nobiscum communicare proprii nominis honorem. Isti autem Deum hominem fingunt, dum disceptando circumscribunt. Audite obsecro : qui carnem vestram induit, ipsum Cherubim vehunt ; ejus conspectum verentur Seraphim ; Angeli, ipso comparente, silent ; vos autem impurissimi homines augustissimam illius genesim habuistis pessimis despiciatam modis. Imbecille corpus assumpsit, cælo demissus ab alto, suaque huic nomina et actus attribuit. Quemadmodum ergo esurire debuit ; sic orare præter rationem non fuit ; et sicut illa esuritio corpus solummodo affecit ; sic omnis ea necessitas ultra corporis fines non excessit. Videte modo, ne mortem ex vocabulis hauriat, quæ ille suo spiritu vivens, vitam nobis daturus, adoptavit.

<sup>1</sup> Num. xxvi, 10 et 61.

II. Magnus ignobiles nomenclaciones a corpore assumpto sibi accersivit, pro ea, qua vos dilexit, charitate. Quodnam ex his nominibus arbitramini proprium, veneratione et laude dignissimum? Fixum est nomen Patris, Filii vocabulum nemo refigere debet, nomen delicta ignoscentis recreat, terret vocabulum Judicis, noxas vindicantis: terminos ipse sibi fixit, quo se hominem fecit, idem interminabilis est, quo natura Deus est. Audet vile lutum inire pelagum, ejus proprietates explorare cupiens. Fontium scatebras indagat, scitaturque originem et exitum; quando nec ipse, quam abjectus sit, nosse potest, nec unde decerptum fuerit ab illa manu, quæ et ipsum in hominem figuravit, eique jura dedit, quæ tamen insanus contempsit. Cuinam usquam contigit pulverem spectare, cum ventis de ipsorum impressione et vi disputantem? Impii scrutatores quæstionibus immoriuntur, de illo inter se altercantes, cujus Spiritus mortuos suscitavit.

III. Annosæ extirpantur cedri, alti saltus excinduntur, nec ideo palcæ verentur Spiritus sancti naturam discutere; nil ergo mirum si divini ignis vapore repulsæ, secus ostium fornacis disperguntur. Jure itaque merito Dominus et Pater, quem « Nemo vidit unquam <sup>1</sup>, » majestatis scrutatores condemnaturus redarguet: sic vos, dicet, non pudit Unigeniti naturam discutere, per quem incepti et perfecti fuistis. Quid enim? num lutum de figulo disceptet? Inanima vasa sinxit fictor, qui et ipse fictus est, ejusque usibus designata parent. Vos autem, quos mente et ratione præditos, ad suam Creator imaginem formavit, hunc, beneficii immemores, abjecistis.

<sup>1</sup> Joan. 1, 18.

## SERMO XXX.

I. Deus mundi Dominus sub censum suorum servorum non cadit, nec horum finibus continetur : non ille subest mensuræ, nec stateræ momento : non percipitur sensu, nec speciem modumve suscipit : non clauditur spatiis, nec propagatur, uti lux et flatus : ipsius essentia ratio est, hanc extra si quid aliud cogitas, ab ejus notione longissime abis. Scilicet necdum didicere rebelles operi nunquam licuisse suum assequi opificem. Ex igne et spiritu crevit Angelorum natura, corporum ex aqua terraque : cui autem omnia parent, cuinam ipse se spectabilem indulsit ? Porro circa præcellentem ejus naturam tria exponenda forent, si affloret arcani cuilibet extra ipsam impenetrabilis idoneus interpres, qualitas videlicet, locus et quantitas.

II. Quæ etsi Deus supereffluat et supervolet, perge tamen et primum edissere nobis disceptantium more scitantibus : « Quantum reris esse Deum ? quoque modio metiendum putas ? ecqua statera ponderandum ? qua decempeda ejus celsitudinem ac latitudinem examines ? Deinde explica speciem : quamnam dicis esse ejus qualitatem ? asperum-ne credis, an mollem ? calidum-ne, an frigidum ? Rursus indica locum, an intra aliquod spatium ille se contineat ? quamve mundi plagam habitandam sibi seposuerit ? Quodlibet nimirum factum, creatum, productum hæc et hujusmodi patitur, pondere, mensura et numero definitur, tangitur, videtur, extensionem et situm habet : tria itaque sunt, quibus velut trium nominum mysterio continentur et constant omnia extra Trinum ; rebus quippe creatis accidunt qualitas, quantitas, et locus.

III. Cæterum ille Summus, in quo considet tanquam in sede majestas, amplitudinem suam ad omnes formas deduxit, atque demissionem, antequam se demitteret, appetiit; et arbor quidem se submitit, quantum rerum agendarum rationes ferebant; ipsius autem fructus ad omnem submissionem descendit. Arbor submissionem, quæ reapse nulla erat, ascitis imaginibus, assimilavit; veram reipsa præstitit ejus fructus ad cruciatuum mortisque perpersionem usque sponte delapsus. Quæ docuit, eadem etiam peregit. Auditoribus suis speculum se fecit, unde sibi exempla transcriberent: suam ipse in se doctrinam repræsentavit, suo retexuit opere, quod ore docuerat, quodve etiam nunquam docuerat, ignominiam extimuit. Ire coëgerunt, ivit etiam, quo non vocabant; sic suam occultavit sapientiam, ut superbos, et de sua scientia se jactantes castigaret, suis exemplis eorum arrogantiam increpavit, ut aliquando insanire desinerent.

IV. Qualis namque radix, talis est etiam fructus ejus, ambo videlicet laudabiles: tentationibus exercitus humilitatem induit, sapientiæ suæ flumina occultavit ac textit, interrogatus tacuit. Divinas Scripturas, quæ nobis heu viluerunt, draconi citanti regessit, plura locuturo linguam impedivit, disceptandique ac scitandi cupidum compescuit. Et Dominus quidem testem produxit Mosem, cum inepti scrutatores ab errore testimonia petant. Coluber ille callidus et acerrimus disceptator proprias exuvias disciplinæ suæ alumnis adaptavit. Exue, sodes, si quas induisti serpentis squamas, et projice, ne luem inde contrahas et pereas illi sociatus, qui nihil novum non deterit. Si qui proinde albis vestiendi cum novo amictu propriæ voluntatis tineam sumpserunt, hæc velut ex insidiis pannos adorta, rosit, corruptosque abjicere coëgit. Folia itaque induite, fratres, tineis non violabile vestimentum.

V. Disceptator malitiosus et acer simplicium argumenta facile refellet. Cave proinde ne hunc disputantem admittas, servus ille est; liber ipse natus, noli te mancipio socium adjungere. Veterator et fallax est, quotquot nactus est socios contrivit, ut suam ipsis appingeret effigiem, notamque imprimeret. Quisquis ejus formam induit, summam ejusdem deformitatem cernere non potuit. Si ergo videas omnia scientem ad tuam tenuitatem descendere, tibi que omni scientia carenti assimilari, falleris, si illum quidpiam ignorare credas: ipsius in nos amor ad hujusmodi ignorantiam, quæ reapse nulla est, demisit. Suæ ille majestati derogavit, ut suam tibi excellentiam hoc modio commetiretur, indeque tuæ certior factus dignitatis, in posterum caveres, ei aliquid detrahere. Id tamen facis, dum ad ima tendis, eo, quo conaris investigare investigantem omnia. Porro si tantus non es, ut meri, quod bibisti, violentiæ immotus resistas, res est tamen minima et levissima, in quales, putas, anfractus salebrasque te conjiciet magnus ille Unigenitus?

---

## SERMO XXXI.

I. Adeste, fratres, Deum laudemus, qui membrorum nostrorum vocabula sibi accommodavit, aures se habere dixit, quo disceremus nostras ab ipso exaudiri preces, oculorum vocabulum admisit, ut doceret nostros actus ipsi esse patentes et conspicuos; nomina solummodo rerum sibi adaptavit. Cumque ejas natura nec ira nec pœnitundine moveatur, talium perturbationum vocabula nostræ infirmitati indulgens, assumpsit; et sane nisi rerum corporearum vo-

cabula sibi accommodasset, cum hominibus agere minime potuisset. Per nostra ad nos accessit, nomina induit nostra, ut sua nobis adjungeret. Cum nec figuram nec speciem haberet, corporis nostri lineamenta habitumque quæsivit, et induit, nec secus ac pater cum filiis suis, nobiscum parvulis consuevit. Quanquam et ipsam formam reconditam conspicuis figuris induit, et non induit; exiit et non exiit; indutus nudus erat; induit, ut prodesset; exiit, postquam opus, quod moliebatur, peregit. Quo autem omnes formas induit et exiit, docuit nullam inesse summæ naturæ figuram; sed cum eadem abdita et abstrusa in obscuro delitescat, in rebus conspicuis et patentibus se ipsam adumbrasse.

II. Senis Antiqui dierum speciem prætulit <sup>1</sup>, Gigantis et strenui Bellatoris personam repræsentavit <sup>2</sup> : judicaturus, senis habitum assumpsit; pugnaturus, fortissimi militis vultum sibi aptavit : visus est modo otiosus, modo a longo cursu defatigatus, tum dormiens et somno sopitus, aliquando egenus et inops; sic omni modo salutis nostræ allaboravit, ut nos lucraretur. Scilicet cum idem optimus posset parvo negotio, levique opera nos sibi gratos efficere, omni arte efficere contendit, ut ex libera nostri arbitrii electione ei placeremus, et quæsitis a nostra libera potestate pigmentis, nobis decorem et venustatem conciliaremus; etenim si nos ille per se formaret, imagini similes videremur, cui pictor ascitis sciteque dispositis coloribus, decorem et lucem accersit.

III. Auceps, qui avem nostras docet imitari voces, huic ei speculum offert : ipse post speculum voces format, et avem ad imitationem provocat. Illa vero sono excita conversis in eam partem oculis, propriam imaginem in speculo expressam videt, doctorem non videt, loquentem credit


<sup>1</sup> Dan, vii, 9. — <sup>2</sup> Psal, xviii, 6.

imaginem; sic imago personam magistri induit, et avem nostrum sermonem docet : et hæc quidem propriæ imagini extraria non est, accidit tamen, ut per hanc quasi per alienam decipiatur, indeque vocibus assuescat nostris, doctore per ipsam ad ipsam loquente. Quorsum istuc? Audito : divina quidem natura in omnibus superexcellit omnes, illam amor a propria amplitudine descendere coëgit; morem nostrum a nobis sibi quæsit, omnes suscepit labores, ut nos omnes ad se pertraheret.

IV. Quare, quæ dixi, non res, sed rerum species fuere, ut puta, ea forma gigantis et senis : item illud, quod Scriptura tradit, Deum aliquando dormiisse, aut eundem insomnem vigilare; tum illud, quod etiam divinæ Litteræ referunt, Deum, peracto opificio mundi, quasi fessum requievisse, aut contra, assiduo labore minime defatigatum, quo strinxit, solvit, profuit, et docuit. Rursus ad visionem smaragdinam se contraxit, suumque in ea thronum collocavit, explicuit se, et cælum implevit; qui pugillo continet universum, certam sibi se designasse sedem præ se tulit; qui ubique præsentem se obtulit, creditus est hoc aut illo contineri loco, qui omnia loca implebat. Amplitudini suæ detrahare visus est, ut eam captui nostro commetiretur. Magnum et magnificum se præbuit, ut nos locupletaret; modo parvus, modo magnus apparuit, ut undique nos magnos efficeret. Quod si parvus semper videri voluisset, ipse profecto parvus fuisset, sed et nos minores fecisset eo ipso, quo induxisset, ut reapse vilem et contemptibilem illum crederemus : idcirco cum humilitate et inopia magnificentiam et amplitudinem conjunxit.

V. Nostram profecto admirationem exhaustit, quando ornamenta majestati suæ ademit, quæ ad nostram dignitatem transferret. Sed nisi versa vice iterum se nobis magnum probasset, nocuisset utique nostro sensui inde autu-

manti despiciabilem eum esse, qualem videbat; quo quidem errore nihil cogitari poterat, nostris rationibus magis contrarum. Infirmæ naturæ nostræ vires faciunt, ut ejus seu majestatem, seu humilitatem non feramus indemnes: magnus apparuit, inde nata nobis errandi occasio; ad nostram paupertatem descendit, inde egentiores evasimus: sic collata nobiscum opera, omnia ubique negotia nostra peregit. Duo interea nos docere satagebat: quis ipse sit, et quis idem non sit; ea, qua servos amabat, charitas illum impulit, ut speciem, quæ ipsum illis redderet aspectabilem, indueret: sed ne eo, quo prodesse volebat, nobis officeret arbitrantibus, eum nihil ab apparente figura differre, formam sæpe mutavit, unde illum nullam habere sciremus, et quanquam ab humana figura nunquam discessit, discessisse tamen videri potuit, quo ipsam variavit.



## SERMO XXXII.

I. Meas, quæso, cogitationes ad tuam evoca disciplinam, ratum cum sit mihi meæ vacare animæ: deprehendi autem aliis curis distentum me meas deseruisse vires, simul intellexi nullum aliunde emolumentum me relaturum, nisi assuescam nunquam de te non cogitare. Undecumque mihi in mentem venisti, inde mihi sensi magnas affluxisse opes. Ubicumque indicit mihi cogitationem meam ad te convertere, sensi fontem a te prosilire mihi; quod autem profluentem exhaurire nequiverim, semper emicantis scatebræ laus fuit. Attamen nec ista minime sitientibus suas ministrat aquas, nec ærarium tuum te non amantibus suas fœneratur opes. Cœlestis thesauri præfectus amor est.



II. Pulchritudo tua me sollicitat, monens ne tuum deseram consortium, istuc autem ambire vetat tua incomprehensa majestas : utrumque, sive illud petam, sive fugiam, æque molestum et grave est. Ut sensi te mihi præsentem, expavi; ut te magnum prædicavi, ipse magnus videri cœpi. Quanquam si de te minus bene opinarer, nihil tibi decederet, plurimum contra mihi accedet, si te maximum testabor; hæc nimirum amplitudinis tuæ prærogativa est. Cogitatione et voce te assectabar, non quod te assequi me posse sperarem, longa indagine fatigatus me continui et tacui, non quod te mihi præsentem non crederem, sed a me ipse extasim passus, in te peregre eram, et inde conticui, simul augustissimæ naturæ tuæ arcanum adoravi. Dolui imbecillitatem meam, silui, postquam didici me cœptis meis imparem esse, neminique licuisse te, qui omnia contines, comprehensum tenere : atqui etiam atque etiam dolerem, si nullum finem non haberes, et incomprehensus non esses.

III. Ecce autem, ut nobis consuleres, amplificasti gloriam tuam, ut te magnum esse intelligeremus. Magnus utique es, quantumlibet propter nos homines de tua magnitudine multum detraxisse visus sis. Nondum Adamum condideras, tu tamen de tuo, tibi que magnus eras; parvum te fecerunt homines, cum tuam ad illorum perfectionem deduceres majestatem, eorumque rationibus sic accommodares, ut unde tu ad ima descenderas, ipsi ad summa conscenderent. Jam si humanæ naturæ externa facies amplitudini tuæ detraxisse visa est, quanto magis id ipsum præstitit corpus, quod ob nimiam charitatem tuam non assimilatum, sed verum assumpsisti. Quid quod minorem etiam te fecisse videri potuit hoc ipsum, quod ad mundi procreationem venisti; a summo quippe magnitudinis tuæ fastigio ad hæc infima deduci te necesse erat; cum creatura

potis non esset a propria humilitate assurgere; ipse proinde te demisisti, ut illa existendi initium acciperet. Minuit se Maximus, alioquin quomodo mundum e nihilo extrahere potuisset? Næ ille si minor fieri non posset, nec magna facere potuisset. Hæc tuæ, Domine, benignitatis laus est.

IV. De tuo minor, de tuo etiam major, minor factus es, quo a summa tua magnitudine descendisti, evasisti major, cum pro ea, qua excellis, bonitate mundum condidisti. Visus es modo minor, modo major te ab externa facie æstimantibus, cum majestati tuæ nihil reapse accederet, decederet nihil; natura quippe una tibi eademque perseverat, semper æquabilis et constans, nec ullam patitur vicissitudinem; ego vero minimus cum sim, de te loquor, id mihi tua majestas indulset, ex quo annuit nostris vocibus ac verbis subesse, cupiens dicentibus et audientibus prodesse. Unum sunt Pater, et Filius; amborum quippe natura una est, alter ab altero non exerrat, alter alteri immiscetur, alter ab altero distinguitur. Tuarum Deus personarum mutuæ in sessionis hæc laus est.

---

### SERMO XXXIII.


I. Ad veritatem loquebatur Joannes, cum te diligenter contemplatus, tuam nobis imaginem depinxit, affirmans te esse Deum Verbum, a nostris proinde sensibus longe remotum; satagebat nimirum ut quam ipse ex archetypo expresserat, effigiem tuam, suæ quisque menti imprimeret velut tabulam ex tabula. Porro ne quis auderet pro tua imagine speciem aliquam peregrinam nobis obtrudere, divinus Spiritus, eodem, quem per Joannem ediderat, typo

animum, mentem et cor nostrum obsignavit. Et Verbi quidem natura nobis obscura latet, eademque patet satis conspicua, absolute tamen recondita et arcana est: scimus quippe illam existere; cujusmodi autem, et qualis sit penitus ignoramus; sed nec nobis fas est contingere, quod divinus Spiritus intactum reliquit, aut non tenere, quod idem nobis tenendum tradidit.

II. Cæterum si pictori operosum est levis auræ flatum coloribus imitari, næ ille insanit, qui jactat se penicillo posse describere Unigenitum, quem nec verbis explicare potuit. Pictores quidem corporum conformationes delineare norunt, qualis autem sit ipse animus in corpore nec adumbrare potuerunt. Oris quidem figuram effingere levis negotii opus est, vocem autem figurare artis non est; res hujusmodi, quorum nullum subest quasi corpus, sub penicillum omnino non cadunt. Divinæ Scripturæ, quæ Filium genitum docent, conceptionis tempus non produunt; et ubi Patrem generantem indicarunt, generationis reticere modum, quoniam ejusmodi arcana labore prorsus inutili quaeruntur. Præterea si Spiritus perduelles coloribus describere nemo potuit, Spiritum sanctum investigare et ob oculos ponere se posse quis credat? Si quis autem hanc sibi arroget facultatem, ejus arrogantiam facile retundet immundus, quem dixi, spiritus: uti enim animus omnes pictorum conatus sua subtilitate prævertit; sic omnem intelligendi facultatem supervolat cum infinito etiam excessu Divinitas, quamobrem nullus intellectus hactenus deprehendit, qualis ipsa sit.

III. Vocem pigmenta non exprimunt, nec nostræ assequuntur Filium Dei ratiocinationes: ad scopum istum jacula non collineant, quia omnem intelligentiam supervolat. Si pictores fulgurantem ex Mosis ore lucem nec intueri potuerunt, cætera assueti hominum vultus et vestium co-

lores penicillo describere ; plane fieri non potest, ut oculus aut animus Filii Dei jubar, aut faciem concipiant, cum ab utroque remotissima sint ; et sane si vultus effæti senis levi cœlestis vultus irradiatione illuminatus, pictorum artem elusit, naturæ ingenitæ omnium plane oculorum aspectum fugientis imaginem quis dabit ? Si quos autem sacræ Litteræ commemorant Dei faciem vidisse, hanc profecto neutiquam viderunt ; speciem, quam illa induerat, spectarunt ; constat enim omnium intellectuum cogitationes a Filio Dei infinito spatio distare, nec suis proinde coloribus pictam ejus effigiem exhibere posse talem, ut inde quis ille, quidve sit, pernoscamus. Et vero si flatum, quem cogimus, et sensu percipimus, coloribus repræsentare non possumus, inepte petitur, qui penicillo formam imitetur Filii, uni modo Genitori aspectabilis.



## SERMO XXXIV.

I. Ante Adæ peccatum nihil non mundum erat : cumque homini cæterisque animantibus suscepta in sua creatione puritas usque maneret, singulas ille propriis nominibus distinxit et ornavit. Postquam vero homo suo abusus arbitrio, innocens esse desiit, creaturas Creator abjecit, hanc pœnam exigente hominis culpa, ob quam idem rebus in ejus gratiam usumque productis, longe turpior evaserat, ita tamen ut simul statueret hominem ad pristinum candorem per illas reducere. Næ ille omni laude dignus est, qui per muta animantia homines ratione præditos corrigere studuit, admonens, ut sibi ab eorum imitatione in posterum caverent. Etenim cum, uti scriptum est, homi-

nem non puderet bestiis et jumentis comparem fieri, in istis suam ipsi deformitatem plane dispiciendam obtulit, ut inde intelligeret, quomodo extincta illa prioris formae elegantia, in tantam turpitudinem devenisset, ipsum sui pudere inciperet, criminisque sui gravitate increpitus agnosceret, cui tandem similis evasisset; tum vero sua damna fleret, et amissam quaereret venustatem.

II. Esto autem pluribus simul commorantibus unum speculum sufficiat, Adæ plura dedit, ut qui non unam contraxerat maculam, neque omnes liceret ad unum speculum examinare et extergere. Homines itaque ad bestiarum contemplationem deduxit, jussitque in istis, quales ipsi essent explorare. O admirandam Opificis nostri sapientiam, qui in mutis animantibus nostram nobis imaginem contemplandam objecit! Animo quidem propriam formam videre licet, corpori sine speculo non licet. Ergo postquam propriam corporum conditionem animus induit, ut jam in se ipse se cernere non posset, Deus magno consilio bestias eidem in speculum transformavit, ut in eis suam scditatem identidem respectaret; providitque homini, ut bestiarum, quas ipse castigare soleret, nunquam non obvio conspectu moneretur, ne illarum vitia in se traduceret. Disceret proinde cavere luporum rapacitatem, ferarum sævitiem, neve serpentum sibilos, aut scorpionum silentium imitaretur, ut socios in secreto mordere assuesceret, aut hebetata proprio vitio mentis acie assimilaret equum et mulum, quibus non est intellectus <sup>1</sup>, aut canum rabidorum more furibundus suum invaderet Conditorem. Talis Herodes fuit, quem Dominus vulpem appellavit <sup>2</sup>: suum ille cubile perpetuo incesto polluebat, legem proculcabat, et Nazaræum homo turpissimus occiderat, instigante scemina, quam sui similem uxorem duxerat, necnon puella, amborum signata

<sup>1</sup> Psal, xxxi, 9, et Tobix vi, 17. — <sup>2</sup> Luc. xiii, 52.

typo. Harum conspiratione in æstu intemperantissimæ per-  
potationis venerandus Propheta cæsus occubuit.

## SERMO XXXV.

I. Divinam Scripturam perinde atque naturam discep-  
tatores perverterunt : imitantur externos domestici, qui  
suis sibi disceptationibus perniciem captant, damnaque sua  
suis argumentis exaggerant. Externi dum varios naturæ  
cursus et exitus observant, offenduntur, domestici legentes  
scripturas anxii hærent et perturbantur. Quæso, mihi,  
Domine, tribue utrorumque vitium declinare, dum hanc,  
te annuente, peroro causam. Consonat illud : « In principio  
» creavit Deus <sup>1</sup>, etc. » huic « In principio erat Verbum <sup>2</sup>, etc. »  
Moses Joanni : ambo litteratos malitiose tractantes Divina  
sugillant. Joannes Deum ad humanæ vitæ ærumnas et per-  
pessiones se suamet sponte demittentem proponit : Moses  
naturam doloribus miseriisque subjectam describit, et au-  
dientes admonet similem cavere pœnam. Uterque in ipso  
narrationis exordio proprii argumenti dignitatem exponit.  
Lauda Purum, qui ore puro puros fontes nobis aperuit.

II. Ex iis ergo, quæ improbi homines de Creatoris Filio,  
deque ejus in terras descensu, et humili ærumnosissimæ  
vitæ tenore scripta legebant, concluderunt eum esse Crea-  
turam. Sic fontem miscuerunt, mox, quæstione resumpta,  
aquam, quam ipsimet pedibus turbaverant, hauserunt. Et  
quanquam doctrina, de qua disceptabant, illimis et limpida  
foret, limum ex nitidissimo fonte biberunt. Oro, Domine,  
miserare voluntatis nostræ conditionem, quæ, aquam nisi

<sup>1</sup> Gen, 1, 1. — <sup>2</sup> Joan, 1, 1.

prius turbaverit, potare recusat. O fontem oppido admirandum, qui ad dexteram lævamque suas dispensat aquas, clarus idem ac turbidus, puris quidem, et ab ejus potu puritatem haurire studentibus nitidus et illimis : impuris autem limosus ac lutulentus. Qualis esse solet cibus, jucundissimus quidem sanis corporibus, ægrotantibus idem ingrattissimus : talis est veritas, turbulentis et seditiosis proposita minime sapit, non secus, quam suavis esca palato corrupto saporem mutat. Tu, Domine, quæso, nostros curato languores, ut confirmata valetudine, præclara, quæ de te narrantur, æquis auribus excipiamus.

III. Considerabant ethnici rerum naturam ubique confusam et perturbatam (Adamus mali tanti causa fuit) videbant ob concessam homini potestatem eligendi, quod vellet, aucta sine fine delicta, et hinc natas horribiles calamitates, commeritas a delinquentibus pœnas, justa Dei severitate exigente. Credidere fatui naturam a suamet conditione malam et inordinatam, nec porro admodum dissimili opinione imbuti nostrates, Domini existimationem deterrere ausi sunt; humanam ipsius naturam contemplantes, in humili ejus habitu aspectuque graviter offenderunt : natam inde confusionem diabolus auxit, et utramque sectam mirifice illudit. Callidum veteratorem tu, Domine, increpito, ne nos, ut olim sui Samsonem hostes, traducat. Cum ipsimet fluentia turbassent, inde scatebram lutulentam esse collegerunt. Nos vero primam profluentis originem petendam esse statuamus : ex ipsorum palato fluentia traxere saporem. Si quem cepit natura reatum, hunc certe totum Adamus dedit. Assumptum corpus Christum egen-tem fecit. Naturæ bona detrivit Adamus, Christi gloriam caro obscuravit. Merito jure laudandus est Dominus naturæ, quæ si ignominiam suscepit et gloriam, utrinque sui Conditoris laudes celebrandi argumenta captavit.

IV. Joannes, qui aquam in suo fonte potavit, cum iterum compotoribus ipsam prælibaret, ardore divino inflammatus, in illas erupit voces. « Deus erat Verbum, et » hoc erat apud Deum <sup>1</sup>. » Moses, qui primus naturæ origines prodidit, hoc etiam annotavit: Deum, cum universum a se factum circumspiceret, omnes et singulas ejus partes collaudasse. Natura impura non est, et divina Scriptura etiam purissima. Ohe rerum perturbatores huc usque litigasse sat est, absistite. Oro, Domine, discordias limpidissimum fontem permiscentes composito. Discite naturam ab ordinatissima sua constitutione nostro deflexisse vitio, divinæque Scripturæ splendori offecisse nobis inditam disceptandi libidinem: atque inde perturbatum simplicem gregem, dum ovibus potum poscentibus pro aquis confusas voces haurire compellimus, de natura scitanti- bus, hanc a suamet conditione malam esse renuntiamus; Divinam Scripturam postulanti- bus, interpolatam obtrudimus. Ad pristinam, quæso, puritatem, Domine, fluentia reducito, quæ perturbatores corruerunt.

V. Prævidit Ezechiel hunc disceptandi pruritus, publicæ tranquillitatis pestem, hanc sententiarum ac opinionum dissensionem omnis ordinis perturbatricem, et ambas propriis coloribus expressit, auctores indicavit malos pastores. « Oves, inquit, pascuis pascebantur, quæ concul- » caverant plantæ vestræ, et revertentes biberunt aquas, » quas turbaverant pedes vestri <sup>2</sup>. » Audis voces, opera vides hominum superbiorum, qui orbem susquedeque miscuerunt, plurimæ agendæ Deo sunt gratiæ, quod ante natos disceptatores fontes Apostolis purissimi fluxerunt. Et nunc oro, Domine, aquaria, quæ turbulenta fecerunt pastores, ab omni impura admixtione libera, ut deinceps gregi tuo purus ad haustum decurrat liquor; sed et meam,

<sup>1</sup> Joan. 1, 1. — <sup>2</sup> Ezech. xxxiv, 18.



quæso, inscitiam vindica a sapientibus, qui vehementer intra suas opiniones desipuere. Hi sane si tamen noscerent majestatem, perscrutari nequaquam auderent, et si naturam et Scripturam consulerent, ab utraque utriusque Dominum ediscerent : hunc rebus sensui obviis natura docet, apertisque et explicatis verbis Scriptura renuntiat. Te, Domine, laudamus, qui ex altera corporibus victum ministras; ex altera animis vitam impertis. Præsta, quæso, nobis, pastorum spectatæ puritatis opera potare aquam ex rivulis ab ipso tuarum Scripturarum capite accersitis et ductis.

---

## SERMO XXXVI.

I. Servos laborantes curaturus descendit Dei Filius, dolens morbos per longas invaluisse moras, atque mendicos non paucos ad faciendam ægris medicinam missos, affectiones quidem curasse leviores, graviore autem, velut desperata curatione, deseruisse. Gratias, quas possumus maximas, agimus ei, qui dedit, ut talem medicum haberemus. Quoniam vero hunc ægri cernere non poterant, mutuatum ab ovibus amictum sibi accommodavit. Continuo grex omnis ad eum confluit, nec enim quasi extraneum fastidire poterat, cujus vestes ovem olebant. At lupi sagaciores etiam latentem extimuerunt, et quia vestem mutaverat, ipsam, quam induerat, sciderunt, simul ejus gloriam publicarunt : quanquam, ipsis etiam invis, occultæ majestatis fulgor inter involucra et integumenta emicabat.

II. Hujus temporis pastores dum reputant quot contumelias et opprobria pro ovibus suis bonus Pastor pertule-

rit, velut hausto mero ebrii nihil præter primatum inter pastores in eo discernere potuerunt; quin et Agricolæ, qui illum tandem in crucem egerunt, vineæ hæredem et Dominum crediderunt <sup>1</sup>, præterea nihil in eo suspexerunt, quod ipsum a vulgo distingueret. Pastorum turba unum de grege agnum putarunt, eo quod paschalem agnum ipse se fecisset. Casum vides uberrimis complorandum lacrymis. Hem summi Opificis Filius, cujus et nos opera sumus, a suis creaturis vocabulis traducitur non suis, quasi vero hoc ille præmium commeritus fuisset, quod suis eos nominibus decorare voluisset.

III. Siccine homo ex luto fictus figuli naturam quoniam mutare non poteras, nomen mutasti? nimirum sic lanæ colorem mutare soles. Cave ne angustum Filii nomen cum creaturarum vocabulis componas. Ille te a mutis animalibus distinxit, vide ne tu ipsum cum creaturis confundas. Servilis conditio liberi arbitrii potestatem tibi non sustulit, noli rerum Dominum iugo, quod tibi natura imposuit, submittere, qui cunctis asseruit libertatem.

IV. Narra, si potes, quid ipse perpressus fueris, vel quos exhausseris labores, comparabiles cruciatibus, quos ille pro te sustinuit, tales autem sunt, ut quot, et quales fuerint, qui definiat, nemo sit. Gravissima utique ille pro te passus est, quid tu pro illo? At si tibi non libuit de eo bene mereri, male certe non licuit. Monstra rogam, in quem pro illo cremandus conjectus fueris: atqui tuæ contumaciæ fumus ad ipsum usque pervenit.

V. Ille, qui est, insistit, ne unus in tres dividatur Deus: mitte vocabula et naturam ejus ostendito; hæc nempe oculos etiam scitantibus sufficit. Lapidis natura, et similes divisionem suscipiunt, secus ignis, individuus hic est: sensus rem nobis certam facit. Sunt plurima, quæ vocabulo

<sup>1</sup> Luc, xx, 14, 15.

conveniunt, natura discrepant, quare inepte producis dividuis ac individuis commune nomen. Unum est, quidquid est et unum dicitur, ut puta unum corpus, persona una; unum est, et numerum componit. Atqui si dicis unum, quia hoc individuum est, vehementer erras. Aquæ natura utique una est, individua non est et divisionem suscipit, uti mutationem natura frugum et seminum. Ad eum, qui est, cognoscendum nullus restat aditus, si nulla patet ad ejus naturam explorandam via, quam certe nobis non aperit ejusdem unitatis notitia, nec hoc solo indicio investigare possumus rem ab omni sensu intelligentiaque remotam.

VI. Gemini proponuntur ignes ad hoc aurum examinandum, fides et ratiocinium; vel enim credere debes veritati dicenti, vel ratiocinando discere, quid Deus sit: disceptationibus certe non indiget nec utitur veritatis alumnorum fides: aliam nos inire viam suadet temerarius quidam veterator, ratiocinationum videlicet et argumentationum. Fac ut hunc capias, captumque pelago mersum piscibus prædam dato, ut quæstionibus tandem aliquando totus absistat. Sed ante insistito, ut tibi expediat rationem explorandi naturam nunquam non existentem, quid ea sit et qualis, et ubi moretur? Utrum Unigenitus explicabilis sit ab existentibus rebus, aut istæ a non existentibus, terram consulito, spinis obsitam proscindito semel et iterum; veritatem, quam ipsa non sentit, te docebit.

## SERMO XXXVII.

I. Frenum erroris, quod Esaïas narrat, nostris inductum maxillis <sup>1</sup>, dolum designat, quo a diabolo circumventi homines, in pecudum stuporem degenerarunt. Plurimæ idcirco ei agendæ sunt gratiæ, qui veritatis luce nubem errorum dissipavit. Et vero cum similes mutis animantibus evasissemus, descendit Deus, nobisque similem se fecit, ut nos ad suam imaginem denuo reformaret. O Deum omni laude dignissimum! animadvertis-ne, quo ex loco ejus nos pietas extraxerit, et ad quale extulerit honoris dignitatisque fastigium? « At homo cum in honore esset, non intellexit <sup>2</sup>, » beneficium non agnovit, auctorem offendit. « Israël im- » pinguatus est et recalcitravit <sup>3</sup>, » rebellavit; accepta beneficia primum celavit, deinde etiam abjecit. O vix consolabilem dolorem!

II. Sapientes eramus et ingenui, diabolus nos efferavit. Aratoris jugum jungit disjunctos, Dæmon jugum invenit, quo fidei unitate conjunctos divideret, disceptationibus implicuit, et separavit: per anfractus et salebras ad ardua et prærupta incitavit: semitam sepsit, hinc criminum montibus, inde quæstionum rupibus, viæ minaciter superimpendentibus: ergo per salebrosas exilitates, et horrendas crepidines, ubi sexcentis oculis opus fuisset, cursabant, certantes, quis primus sequentibus vestigium faceret, et socios ad exitium anteiret. Tuæ, oro, clementiæ freno turbatam rem nostram ad ordinem reducito; totus oculus es, nobis expedi viam, per quam, superata locorum dissi-

<sup>1</sup> Isaï. xxx, 28. — <sup>2</sup> Psal. xlviii, 13. — <sup>3</sup> Deut. xxxii, 15.

cultate, in tuta ac plana evadamus. Homines sumus conditione, et culpa nostra infirmi, tuis indigemus auxiliis : nostra item mens et ratio occultis implicita erroribus, petit ad ordinem tuo iudicio revocari. Aquila quoque pennas suis submittit pullis, misericordiæ tuæ, Domine, precor, alas nobis accommoda, quibus subvecti, terram ac aërem miserorum et egentium domicilia prætervolantes, ad repositos nobis thesauros appropereamus, Spiritus sancti aspirante gratia. Nostram, precor, tuere fidem ab ea, quæ fides non est ; nostram, oro, custodi scientiam ab ea, quæ scientia non est ; et ista quidem vocabulis congruunt, significatione discrepant. Videte, fratres, ne congruentia nominum vos fallat incautos.

III. Fictos adoravere Deos ethnici, verum nos colimus Deum. Piis invidit diabolus, errores disseminavit, ut sine Deo perinde fierent novissimi atque primi, qui saxa colebant. Inanes formavit Deos in ipsis et ex ipsis rebus factis artificum industria ; simili astu similes Deos ex ipsa, et in ipsa Scriptura disceptantium malitia sanctæ fidei desertoribus conflavit diabolus, utrisque artem tradidit, et illi quidem digito mutum simulacrum finxere, et isti digito et calamo errorem exararunt, quando hominum digitis divini digiti tabulas scribentis similitudinem diabolus affectabat. Quemadmodum autem nominum unitatem quæsivit, quando simulacra Deos appellavit ; sic ne quis ab errore discerneret veritatem, hanc ille perfecte imitari studuit ; habebat, qui aquæ cultum prædicabat, alium induxit, ut ignem Deum sibi faceret, atque alium, ut lunam adoraret, istis occurrit alius objecitque magni solis, quod ipse colebat, numen. Ethnicorum sectis similes hoc tempore eruperunt hæreses : qualis quippe fuit illorum arrogantia, talis et nostra est, et idem pugnandi ardor, et cupido vincendi. Ohe satis est, nugari absistite garruli sophistæ, obstruantur

ora, stupeant labia : est modo, quod animus admiretur, quod ipsi sensus et cuncta corporis membra exhorreant, id est generatio Filii Dei.

IV. Heus tu, lingua procax, districtum ferrum vaginæ redde te tuæ; quisquis de facundia se jactat, nec ipsum usque pudet tandiu garruisse? Nil mirum, insana disceptandi libido linguam acuit, aciem retundat sacrum Filii Dei silentium. Arcum os tuum puta, cave ne hunc instruas velut in ictum incumbens sagittarius, pertimescito Spiritum sanctum tibi minaciter superimminentem, hic velut concitatus turbo librata spicula in librantem retorquetur. Murum ferire paras adamantinum<sup>1</sup>, qualem se vidisse Propheta narrat; jacula si in eum contorseris, non illa scopum trajicient, sed retorta conficient jacentem. Currentem figuli rotam considera, inde ad mentis tuæ discursus cogitationem advertito, illa lutum attollit, hæc Filium Dei deprimit, si modo hunc deprimere vis ulla valet. Ingratus es, si adversus eum rebellas, qui de humo finxit te mente et ratione præditum. Conticuere vasa figuli, vociferantur adversus bonum artificem, quæ ipse formavit et extulit, fictilia. Partem minimam quæstionum, quæ de illo disputantur, montem esse crede arduum et inaccessum. Cave ne te quispiam per ambages ac tormenta verborum alio abstrahat. Duo tibi, si quid de illo nosse cupis, proponuntur testes, terra, cælum, utrobique quam longa, quamque lata patent oberrandi spatia!

V. Tuos, Domine, fines nemo prætergressus est, nemo immensam altitudinem superavit. Natura tua ingenita, Patrisque tui sinus inexpugnabile septum tibi componunt; nec ullus cuiquam datur ad te aditus, aut ulla facultas tractandi arcanum ignem, citraque illum continet se quisque, sibi que ab accessu cavet, quamvis ingressum nec mœnia

<sup>1</sup> Ezech. iv, 5.

nec propugnacula prohibeant. Quis enim tam stupidus sit, ut non vereatur pertentare naturam nullo unquam tempore non existentem, omniumque terribilium terribilissimam? Cursum fluviorum sistit mare, scrutatorum temeritatem frenat Filii Dei generatio.

---

## SERMO XXXVIII.

I. Tua nos, Domine, charitas allicit, et recreat, dum desides increpat : excutit et excitat, peccantes coërcet et arguit, peccata dissimulat, quasi non videat, nec subtrahit disciplinam, ut corrigat ; scilicet qui omnia cernit, omnibus ubique prodesse cupit. At quis ille fuit, qui otium et silentium suasit ? quid ? num mutis animantibus nos similes facere cogitavit ? Imo quis ille fuit, qui garrulitatem interdixit, ne loquendi facultate male abuteremur, malorumque spirituum imitemur maledicentiam ?

II. Cum disceptantium secta forum occupasset, hinc silentium, velut renuntiata cum sænore sorte cessit ; inde illa magis in dies florere cœpit, novæque disciplinæ improborum hominum favore non modicas collegit opes. Tum vero violenta prosiliit, et bellum nobis ante ab ethnicis motum et jam extinctum, resuscitavit. Æraria sua novis institutis implevit, instruxit fictis interpretationibus apothecas suas : quotquot novitatis esca prolectavit ac traxit, sua imbuit disciplina, suasitque divinorum arcanorum claustra repscere, quod dum conantur stulti negotiatores, sænus cum sorte perdidierunt.

III. Diabolum dimisit hostem impius sectarius, et contra suos populares intendit arma, ab adversario excæcatus,

se ipse confodit, ipse se prostravit. Tu, Domine, nobis fœnerato lucem, qua præeunte gentiles nostros discernamus : prohibe malum, ne dextera secum ipsa pugnet, quæ contra sinistram tela parabat : neve malos, Domine, oderimus, quandoquidem unum modo malum odisti, errorem, occultam pestem, hunc tu veritatis ferro resectum et procul abjectum, atram velut caliginem dissipasti. Loquendi tacendique distincta momenta, justisque librata ponderibus, nobis tradidisti, monens utrumque ad exemplaria tua exigere atque dividere. Sic natura docet justum gemina suspendere lance : ergo silentio et sermone cum ordine et judicio utendum, utrique sua dispensentur spatia. Sermonem diem, silentium noctem arbitremur : auris siquidem et lingua congruam quietem repossunt. Quare non inepte comparabis institutum de veritate sermonem diei, nocti silentium, et honestam a labore cessationem tranquillo ac suavi somno.

IV. Operarii ad vineam conducti hanc, velut arvum nobis commissum, diligenter excolamus : charitatis semina jaciamus, sic requiem metemus. Id modo satagendum, ut Domino pacis manipulos deferamus, ejus spei respondentes. Adest sanctus Spiritus paratus flatu suo ventilare frumentum, paleas dispergere, dissipare pulverem, triticum, excussis zizaniis, in horreum beatæ vitæ recondere. Tu vero discito laudare Bonum, qui nobis definiit tempus loquendi, subjecitque tempus tacendi. Benedicito Justo, qui alia loca dedit, in quibus disputare fas esset, designavit alia, in quibus tacere jussit ; ipse nempe nos cuncta docet. Quemadmodum nec totum orbem nostris passibus metiri nos voluit, sed certos limites vagantibus fixit, nec item omnia tranare maria, aut oculis omnem solis haurire lucem.

V. Quæ, cum ita sint, jure mireris, ut humana ratio



sibi subjicere contendat omnem illam immensam, infinitam amplitudinem; quanquam nec forte deest, qui ejus immensitatem neget, mundoque minorem esse nugeatur. Et sano si quæ nobis concessa sunt, nec absolute nec perfecte nostræ potestati subsunt, quænam nobis relicta videatur facultas illam Unigeniti occultissimam generationem persecuendi? Lex ab ejus accessu quoslibet prohibens, in omne ævum durabit, nec talis est, qualis illa fuit, quæ ad modicum tempus populum a clivo montis Sinaï coërcuit.

VI. Divinæ lucis hæres dici protoplastus ambivit, terræ colonus factus est. Ozias, dum sacerdotalem honorem quærit, valetudinem amisit, lepra, sædissimo morbo correptus<sup>1</sup>. Mirum sane si quis claustra recludere tentat, quorum serræ sunt, taciturnitas et silentium, muri ignis et horrenda supplicia, septa ploratus et fletus ac stridor dentium. Eritne aliquis, qui inexpugnabiles muros subeat, unde sibi horribilia impendere mala præsagit? Quicumque muros suffodit, mœnia et propugnacula quatit, quæstum speravit, nostra nos, fratres, damna captamus. Confitebor tibi, Domine, quoniam ab arcanorum disquisitione et inutili otio abstinere me jussisti, secreta sunt, tractatores suos ad summam inopiam redegerunt. Quin ergo ea, quæ mihi manifesta patere voluisti, ad mea debita exolvenda conferam, pleneque ore te laudem?

---

### SERMO XXXIX.

I. Enimvero, etsi qui Dominum non norunt, vel qui egerunt in crucem, ipsum traducunt quasi mortali parente

<sup>1</sup> 2 Paral. xxvi, 19.

satum, stat tamen certa veritas, eundem Deum esse, cujus majestas omnes indagantium conatus elusit. Quæ res etsi minime obscura, clarissime patuit, postquam sophistas ejus originem temere scrutantes exceperunt Martyres, ipsum unice amantes, qui profusi sanguinis testimonio Filium Dei ex Deo natum publicarunt. Censes-ne eos, qui sic delirant, animadvertisse omnes priscarum superstitionum patronos nobis contradicentibus conticuisse? ut jam vix occurrat, qui palam pennas explicare audeat, aut suas in foro garrire nugas. Profecto si omnes filii lucis, sepositis simultatibus, in unum convenirent sensum, ut concordiae vis summa est, omnem errorum caliginem dissiparent.

II. Norunt eruditi natas aliquando inter ethnicos de religione discordias, nullos tamen in orbe motus excitasse, nec quempiam ejusmodi dissensionibus, quasi publicis calamitatibus indoluisse. Plane contrarium nobis accidit, exorta quippe inter nos, quæ hodie quoque agitur de Filio Dei, quæstione, fremuere imperatores, populique, ac promiscuum vulgus tumultuare cœperunt. Externi nostra cernentes dissidia, risere religionem, arbitrati eam in præsentis conflictu dignitatem suam tueri non posse, sed in ipso discrimine deprehensuram non sine rubore, vanum fuisse suum de victoria triumphum. Videbant nimirum illam a suis professoribus perturbari et in varias sectas discerpi, contentionum scilicet æstu abreptos haudquam attendisse divinæ naturæ excellentiam nostris esse sensibus inaccessam: proptereaque doctissimos viros, qui in ejus indaginem se merserant, per cæca vada perpetuo errore vagari. Si quid enuntiari potuit, potuit utique fusius et uberius disputari; perinde etiam facile pervestigari, disquiri et explanari. Lingua rebus, quas eloqui potest, affinis est, easque perinde explicare nec ipsi difficile esse debet. At arcana, quæ nec dicere valemus, eadem nec cogitando

pervestigare, invenire, et exponere possumus: restat, ut quæstionem silentio dirimamus; nec enim ea disputare concessum est, cum quibus ob illorum obscuritatem nullam mens affinitatem habet. Cæterum si nulla tibi ratio occurrit, unde credas Deum esse Patrem, habet ipse, unde te convincat impudentem. Et siquidem illum adhuc investigare pergas, non modo tibi difficile et arduum erit eum credere Genitorem, sed nec utrum existat certum erit. Atqui si saperes, neque disputares, qua ille ratione Pater sit, cui omnes subsunt rationes. Nec enim uno in loco Divinitas admirabilis est, sed ubique et undique; quare si humanæ rationis vim superant seminum grana, et liquidorum guttæ, generisve cujuslibet olera (in minimis quippe maxima est, ut omnem vincat admirationem) ac si ejus in humani fœtus formatione motus ignotus latet, cuinam patere putes prolem ex ejus utero genitam?

---

## SERMO XL.

I. Lucerna mundi sol est, notissimum astrum, nobis tamen ignotum, quanto minus notus sit homo, nedum Deus. Suam sol lucem non antecessit, nec enim unquam sol sine luce fuit, a sole secunda lux est, uti tertius calor: ambo solem sequuntur, neutrum æquat. Solis orbem intueri, prima statim occurrit forma; respecta iterum et contemplare solem orientem, hic alteram deprehendes, nempe lucem, ac tertiam, calorem. Tria hæc simul examina et diligenter expende, quomodo se invicem assimilent, nec tamen similia sunt; in unum coalescunt corpus, distincta tamen sunt; primæ duæ formæ sibi mutuo coherent, dis-

inctæ tamen sunt; tertia utrique immixta ab utraque discrepat. Sol itaque, lux, et calor forma triplex triforme corpus componunt; omnes citra contentionem sibi invicem consentiunt, et sociantur: concorporantur, nec tamen confunduntur; permiscetur, nec se mutuo impediunt; mutuo se premunt, nec tamen comprimunt; solutæ sunt, nec vagantur. Quod de sole dixi, idem de igne dictum accipe. Facessant hinc ergo litigiosi et pertinaces; res est perspicua et evidens: res habes tres, una est; unam vides, tres sunt; commissas quidem nec tamen inseparabiles; discretas, nec tamen distractas; unum corpus coagmentant; quod mireris et stupeas: hominem contemplare perinde ut solem tribus compactum formis, mortalem quidem et moriturum, rediturum tamen aliquando ad vitam, tum vero plene cumulateque perficiendum. Quanquam natura solis una est, et singularis, in ea tamen, ut dixi, tres coëunt formæ sibi naturali nexu cohærentes, absque confusione permixtæ, et sine distractione distinctæ, altera alteri insidet integra, et suis absoluta numeris, citra tamen propriæ rationis detrimentum: una et communis est omnium claritas, constant tamen suæ singulis proprietates. Naturam vides oppido mirabilem, quæ sine conjuge suum produxit fœtum, se cogit in unum, se explicat in tria.

II. Similem si quis inepte neget in igne formarum numerum, quis ejus errorem probet, aut laudet stultitiam, aut non vituperet pertinaciam, qui rem oculis subjectam se minime aspicere affirmet? Res quippe in propatulo est, tres in igne formas reperiri minime quidem sejunctas, discretas tamen, et alteram quidem splendere ac terrere, alteram latere, vi tamen præditam maxima, tertiam lætam atque tranquillam. Videmus primam se totam in se retrusam, alteram sponte corpora permeantem, tertiam necessario fluxu diffusam; inditæ igni facultates nec imperant,

nec serviunt, altera alteri obsequitur, hunc scilicet consensum et ordinem natura dedit.

III. Terna audiuntur in igne nomina, suum unumquodque tuetur locum, suos singula exercent actus. Vocabulis res respondent tres unum componentes principium, ignis substantia mirabilis, calor ab ista discretus, et lux suo utrumque nitore collustrans; omnes uni insident principio, et in eadem sede concordissime morantur. Ignis substantiam miramur, quod sibi similem progenerat, nec tamen minuitur; constat ubique sibi; communicato calore non alget, calor ab eo distinctus ab eodem nunquam avulsus, ab ipso profluens nunquam separabilis, omnia large liberaliterque penetrat: involat in panem et cum aqua permiscetur, quidquid invaserit, totum totus occupat. Divini Spiritus in igne figuram agnoscito, permiscetur aquis, ut eas ad expiationem elevant, pani se infundit, ut in hostiam sacrificii transferat. Cumque videatur in cunctis adesse totus, mirum quam longe ab iis remotus abest. Nec enim unquam fieri potest, ut divinæ Trinitatis absolutam imaginem in rebus factis habeamus. Cæterum si quis modo propositam de Trinitate quæstionem huc referat, quomodo qui unus est, idem sit trinus; et qua ratione divinæ Personæ tres mutua secum invicem in sessione communicent; vel rursus, quomodo calor ignis ab igne distinctus, ab ipso dividiuus non sit? Inepte ista disquiruntur; tu id unum modo interim habeto, naturam, quam tribus communem Personis amando didicimus individuum, disceptando dividere non debemus. Oppido quantum nos addecet tres, quas dixi, personas, unum Deum simpliciter credere amando, unum modo divinum testimonium attendentes, et nihil extra istud disquirentes. Quid enim? Exigendum-ne sit ab illa Trinitate, ut nos fugientes sequatur, atque per se ipsa nos doceat divinas Personas nulla iu re esse dissimiles:

reliquas quidem naturas aliquam dissimilitudinem et discrimen admittere, divinam substantiam nullum? Quis vero dicat, quantum illa cæteris dissimilis sit, ac præstet, quam omnium optimam et præstantissimam esse nullus negat?

## SERMO XLI.

I. Vidisti-ne unquam corvos non cælibes, aut coëuntes vespas? Apes certe sine conjuge pariunt; vermibus ulcera neglecta scatent; erumpunt e nubibus micantia fulgura, et de silice mirabilis lux; stagna gravidata vapore solis progignunt reptilia, ad retundendam, credo, objecto cælibum partu, fidei hostium proterviam, qui adhuc disputant, quomodo in prima rerum origine aquæ bestias natantes procrearint: sed et quis illa miranda non miretur, talpas sub terra spirare, neque superaggerata humo suffocari, pisces agere sub aquis, atque intra materni uteri angustias fœtus? Qua, cedo, vi agitur ferrum, cum nullo ab extra movente, magnetem petit? Reperiri præterea compertum est quasdam naturas, quæ vim ignis impune ferant, sunt rursus sexcentæ aliæ rerum species, lapidum, plantarum et stirpium, nec vero pauciores diversorum mixtorum virtutes, quarum qualitates nemo hactenus deprehendit, aut deprehensas exposuit.

II. Jam ut cætera præteream, cælibum sola fœcunditas, quæ philosophorum ingenia fatigat, luditque operam arcana naturæ scrutantium, nos satis superque convincit nihil attentandum circa divinam generationem summi Opificis, qui ista resque omnes reperit, et administrat. Nec proinde illius perquirendam esse rationem, aut locum, ne-

que petendas causas, aut pervestigandum tempus. Compertissimum quidem est odorem existere, colorem, saporem, ac tametsi cadant sub sensum, ob suam tamen subtilitatem tactui minime subjiciuntur; singuli nimirum cum proprio sensu aliquam habent affinitatem, odor namque olfactu percipitur, et palato sapor; at qualis sensus altissimæ majestatis affinis esse potest, ut ex specie rerum cognatarum huic impressa ad cognoscendam illius excellentiam manuducamur. Qui nec affinitate nec genere nobis conjunctus est, hunc pervestigare cuinam liceat, cuive fas sit discutere? nihilominus, quia hoc illi placuit, suam nobis naturam manifestavit, ut qualis ipsa sit pernosceremus. Rursus quia voluit, minorem se fecit, ad nos se demisit suique notitiam nobis indulsit, Filium suum nobis cognatum fecit, et Spiritum suum nobis infudit. Sic nos amavit, sic nobis amorem suum testari voluit.

III. Cum suam Balaamus asinam repente præter exemplum loquentem audisset, prodigium utique præsens vidit, oculis tamen objectam suis rem oppido admirandam tacitus præteriit, atque jumento perinde ac si huic mentem natura dedisset, facti sui rationem reddere instituit. Talis vecordia Scribarum fuit, qui restitutum cæco homini visum cum negare non possent, de sabbato et luto quæstionem moverunt<sup>1</sup>. Hæc si disciplinam amas, ad profectum tuum dicta cape; sin contendere et disceptare magis placet, ad tuam correctionem dicenda fuerunt; vel ad confusionem, si frontem exuisti. Interim tamen carnem tuam repete, explora, ejusque erubescere sinus, sordium conceptacula: si arcana scrutari libet, ejusmodi cloacas tibi relictas puta, velut insanix libidinis frena.

IV. Quoniam vero phantasix sua sæpe diabolus objicit spectra, disceptari posset, quomodo, si nobis ille affinis

<sup>1</sup> Joan. ix, 18.

non est, ipsi tamen extraneum non sit habere motus, et irreptiones nostris imaginationibus cognatas, imo et menti atque rationi, quæ utique pars nostri sublimis et nobilissima est. Quod si Dæmon noster inimicus ratione præditus non est, quomodo ratiocinationibus et argumentis mentem nostram implicat et fallit? Oro te, Domine, cujuslibet naturæ repertor et rector, cujus substantia cuilibet menti recondita latet, prohibe malum, ne naturam tuam rebus a te factis similem mihi fingam. Si quis autem alius quispiam ipsum hoc molitur ad illaqueandas mentes, temere in hæc retia incurrentes, Evangelium, speculum videlicet admirabile proponitur, in isto divinæ Personæ tres in una consistentes natura sine ambiguitate discernuntur, uti sine disceptatione illarum nomine baptismus ab Apostolis celebrari consuevit. Iterum obsecro, Domine, ne committas, ut investigatio tua baptismum meum inutilem mihi reddat : non enim desunt, qui captiosis quæstionibus suscepti baptismi vim effectumque sibi abstulerunt. Cæterum si qui nova imbuti disciplina, innovatos se esse credunt, novo perinde baptismo se indigere intelligant : quod si baptismum iterare recusant, satis declarant nihil novi sibi compertum esse, indeque statuisse sibi in pristina sententia persistendum.

---

## SERMO XLII.

I. Quis ille qui arcana divina cogitatione conclusit, clauso velut stagno tumentes pelagi fluctus? Atqui si menti laboranti disceptare molestum est, annon grave magis sit, aciem intendere in scopum luce præditum vehementissima? Nemo profecto ægris incumbentem sensibus ferre



potest vim illius Numinis, ejus generationis ordo indagantium sagacitatem prætervolat, Spiritum videre nostris non congruit pupillis, nec ejus speciem intueri datur. Quid ergo? censes-ne illum a quopiam disceptando apprehendendum, qui a tota rerum universitate omnino secretus, a nobis remotissimus est. Audisti-ne hominem, admoto prunis ardentibus ore, ignis explorasse saporem, aut ejus fulgorem primoribus labiis gustasse? Disce, fili, ignis quidem calorem gustu minime discerni, vim tamen sentiri in præparatione ciborum, et hinc atque ex aliis ejus effectis constare, quam oppido commodus sit nobis ignis, et utilis. Qualem vides ignem, talem quadantenus Divinitatem imaginare; quare si hanc pernoscere cupis, eam in suis benefactis donisque considera: secus durum tibi, multique laboris opus moliris, si quidem ipsam in seipsa perscrutari obstinas.

II. Sol positam in speculari vase aquam verberans, fervidum, quod mireris, generat in frigido elemento ignem, sobolem sibi similem, fœtus, ut vides, sine scissione excluditur, solis radius non opacatur aquis, et istæ minime fiunt, partus purus est et sine labe editus. Aurum plane unum est, flos trinus, unus lapis, trinus est ignis in se uno continens calorem et lucem, et fluens a luce jubar, tres sunt et una res, in unam coëuntes naturam. Plura nostris parallela mysteriis creaturæ repræsentant, quare, sepositis contentionibus, qualem observavimus in plerisque rebus adumbratum, hunc Deum disce trinum. Nec enim in divinis Personis hunc nos ordinem, numerumve nostro arbitrato instituímus; earum natura, qualem descripsimus trinam, talis est, nec rationem assequimur, cur talis sit, qualis vere est: istuc autem inquirere ineptum est. Quis neget trinum esse ignem, quando id affirmantibus nemo dissentit, aut litem movet, sed bene et vere dictum omnes

approbant? Rursus miraris ignem per aquas meantem, conceptum in sole, intraque solares radios reconditum, iterum stupes uterum unde funditur, inscrutabilem; nec vero sine causa stupes, miraculum certe est mirabilis elementi generatio, quod tibi disputare volenti silentium imperat, fugitque cogitantem: omnem nimirum mentis perspicacitatem præterfluit.

III. Si pomum nunquam gustasti, etsi tactu, et odoratu, visuque explores, de ejus natura adhuc dubius hæres, et quandiu tibi tuo palato saporem experiri negatur, experto credis narranti. Quandoquidem ergo Numen illud arcanum tuam superat intelligentiam, utique adhibere fidem oportet illi fructui, in quo nobis ejus virtus et vis plurimis patuit experimentis. Habes item frumenti granum, sectum diligenter examina, sique potis es cognoscere, designa sinus, in quibus occultitur radix, seges, et spica; hæc namque tria in semine, suis absoluta numeris, conduntur: rursus edisere, utrum utro origine et prima sua conditione aut posterius, aut prius, et antiquius fuerit. Cumque aliquando existere cœperint, hoc tempus definire tibi quam difficile! intra ipsa nimirum et ab ipsis res ista transigitur.

IV. Et quia parallelum deficit, nec perfecte rem explicat, adjice demessum triticum tritumque purgari, ut ad nostrum veniat usum. Si quis adhuc reponat comparationem nec integre nec usquequaque argumento respondere; tu, qui sapis, imaginare vaginam esse corpus, frugem mentem, et spicam esse animam, sic parallela congruere intelliges. Cogita hanc esse parallelorum naturam, ut extrema aliquatenus discrepent, alioquin non similia dicerentur, sed eadem, nec typus ab archetypo cerneretur. Lucem permeantem retia umbræ aliquæ sequantur oportet. Certe Salvator ad nostrum profectum grano frumenti regnum cœlorum comparavit.

V. Exempla et parabolæ nec integre, nec plane rem explicant, comparationes et similitudines laborant, nec propositum assequuntur. Ideo autem in humili specie passim subsistunt, quo elata et superba ingenia castigant; nam si divinarum rerum imagines non apprehendunt, quorsum insaniunt, et summam majestatis arcem invadere pertentant? Altiores nebulis sunt nubes, et utrisque cœlum, et his supereminent superiores orbes. Quæ suspectas editissima montium juga, excelsa non sunt, nobis talia videntur infimo in orbe morantibus: hujusmodi imaginare parabolæ esse, in quantamlibet altitudinem surgere videantur, et quam proxime ad cœlestes ideas accedere, tandem comperies eas ab istis in multis declinatas.

---

### SERMO XLIII.

I. Agedum, propositaque pusilli ovi comparatione scrutatorum proterviam refellito. Hujus in albumine reconditur forma triplex: hic porro urge, ut designet in tantillo liquore pulli caput, pedes, alas, ac si isthæc minima scrutantem ovi candidum mergit et obruit, insta scitando, quid illud, quod ima pelagi vada subire cogitat ipse, nec timeat inde naufragium? Quin ergo Magnum illum prædicamus, qui circa isthæc minima ab ipso facta attonitas hominum mentes hærerè cogit? Nudatum vides frumenti granum, suum tamen intra se gestat amiculum. Jam istud suo deglubitum folliculo sepelivimus, negata funeris pompa, mox splendide ac magnifice ornatum revisimus. Animadvertisne mutuum cadaver intra suam humum reptasse, inde, mutata vice, hanc ab ipso contectam, ut apparatus præ-

sens præteritæ nuditatis ignominiam oblitterasse videatur ; hujus scilicet honoris corona frumenti granum quasi sponsam natura decorat. Dum autem in segete granum conditum latet, ipsius naturam indagantes fatigat, aspicientibus admirationem movet, neutris seu disquirentibus, tractare volentibus obvium est ; prostat tamen oculis præsens, nec ideo apparet : argumentum utrisque ministrat, quo rerum divinarum scrutatores revincant, doceantque petulantiam dediscere. Audis-ne mutum granum, erubescite, clamat, clarissimam lucem, qui in tenebris licentiæ frena laxare soletis.

II. Alterum adhuc tibi planta quævis explicat symbolum, tria stirps omnis intra se condit, quæ scrutantis aciem fugiant ; tria ibi unum sunt, unumque tria : quis autem intimos ejus sinus penetravit, distinxitque primum radices, dein ex his erupturum germen, atque demum frondes et folia ? isthæc enim omnia hic permixta confunduntur. Sic verus Deus ne, quam sibi condidit, Ecclesia discordiæ fieret ædes, et in sectam dissidentium degeneraret, idem ipse se delineavit, quisve et qualis ipse sit illam edocuit ; ille namque solus sua nobis arcana enarrare potest, cum nemini præter ipsum nota sit quæstio, quomodo, quisve ipse sit ; hujusque mysterii notiones in Prophetarum atque Apostolorum oraculis litterisque declaravit. Quisquis ergo illius secreta scrutatur, ipse suam mentem disceptando implicat ; disputat, ne illum cognoscat ; quærit, ne ipsum inveniat ; quæ tenet, amittit, quæve non habet, reperit. Sic autem illum intelliget, modo non scrutetur, ut intelligat. Tu vero, qui illum credidisti, ipsum tu etiam cognovisti.

III. Alterutrum tibi declinandum delibera, et quidem, si ille verax est, dictis ejus adhibeto fidem, et scrutari absistito ; sive te ipse seduxit ; errorem quis corrigat ? er-

rantem quis revocet? cogere utrinque eum vera locutum credere. Quid? quod turpe est, et infandum appellare Deum deceptorem: alioquin quo pacto tibi persuasum sit ab illo veram disciplinam Litteris consignatam, tibi traditam fuisse? Rursum si nos ille decepit, quia invidus, quis dolum advertit? aut revelare potuit, quæ ille velata manere volebat? Plana ubique via ejus, semita recta data parvulis, disceptantibus in anfractum a se ipsa deflexit. Veritas congregat, disgregat error: in trivium incidentes parvuli hæserunt animo varii; occurrebat via superior plena laboris, inferior altera, ardua et crebris asperata offendiculis. Tu tibi mediam eligito, hac simpliciter incedito, hic Patrem et Filium citra contentiones prædicato. Si devios tramites quæstionibus personare audias, viæ, quam cepisti, remotis disceptationibus, candide pureque insisto. Vide ne Patrem et Filium, et adorandum Spiritum disquiras. Siccine etiam desipis, ut audeas modo ad inepta parallela naturam prorsus incomprehensam deducere? Ab his ergo nugis ad pium silentium te ipse recipito; enimvero quisquis illam scrutari cogitat, suis ipse se quæstionibus pessumdat.

---

## SERMO XLIV.

I. Quid et cujusmodi sit Deus, te docebunt, quæ ipse sibi ascivit nomina; inde disces Deum esse mentem solutam, per se existentem, rerum parentem mundi que opificem, ingenua suæ naturæ virtute bonum et beneficum, justumque scelerum vindicem; tum etiam intelliges esse Patrem, similemque sibi Prolem prognerandi facultate

præditum. Aurum istud sacrarum Litterarum ignis examinat et probat. Quid habet stultus, quod garriat contra? Heus tu, qui tantum audes, vide ut Dei nomina et rationes intra ejus caminos explores. Interim te, Domine, laudare pergant quicumque disceptantium strophas perosi, simplici mente te confitentur Deum.

II. Nomina Deus habet absoluta et propria, habet etiam accommodata ac minime fixa, quæ ipse ex incidente causa assumit, eaque cessante, continuo deponit; ut puta, quod inducitur, modo facta damnasse propria, modo aliena ab ejus memoria defluxisse, tum denuo fuisse resumpta et recognita; quamobrem uti Deum justum et bonum esse diffiteri non potes; sic fateri debes ipsum esse genitorem, omniumque rerum repertorem et constitutorem. Vide ut religiose observes ejus nomina propria et rata; nam si vel unum abjicias, reliqua omnia tibi delabentur, et excident; nectitur nempe aliud ex alio, atque in unum collecta, portant universum. Orbis nostri columnas recte dicis ignem, aërem et aquam. unum istorum si subtraxeris, terra ad nihilum unde prodiit, recidet et occidet.

III. Divina nomina retexunt Judæi, nec tamen in longa nomenclationum vocabulorumque serie salutem invenire potuerunt, nimirum unum ex eo numero nomen repudiare; ideo etiamsi plurima retinuerunt, merito repudiati sunt. Porro nomina, quæ ille populus rejecit, eadem ipsa sunt, quæ gentes, effuso sinu, exceperunt, ipissque suum baptismum consecrarunt. Facessat itaque quisquis ea abrogare molitur, quæ, velut fossa et vallo septos nos ab illo populo dividunt. Una modo causa illum populum dispersit, quam si quis auferat, Jerosolymam restituet: nec enim excidere Judæi, quod rerum divinarum arcana scrutari voluerunt, sed quod in Filium non crediderunt: examina culpam, ob quam Jerosolyma subversa est, et intelliges

Judæis eo usque hæsuram, donec a nobis dissidere ab-  
sistant.

IV. At vos protervi scrutatores istorum ruina moniti increpitique, respiscite aliquando; discite rerum naturas penitus cognoscere nemini fuisse concessum: videtis utique in uno aquæ elemento quaternas recondi rationes, alias rursus naturas simplices, atque alias duplices ac triplices, substantias scilicet duabus vel tribus præditas formis: quod si hujus ordinis rebus perspicendis apto ingenii acumine præstare vos creditis, omnino sane desipitis, si similem perspicacitatem vobis arrogatis ad introspicendum Domini totius naturæ arcanum: alioquin proferte si quem habetis, qui ejus æternam existentiam assecutus fuerit, aut Filii ejus generationem investigaverit, aut utriusque excellentiam perspexerit; aut prodiderit, qui et cujusmodi ambo sint. Animadvertitis tandem Deum quibuslibet mentibus, et ubique occultum et inscrutabilem esse: et si non ipse se manifestare velit, perfectam ejus notitiam a creaturis incassum depostulari.

V. Quoniam vero ille suam ad te deduxit majestatem, tibi que Filii sui arcanum propalavit, ohe stultus es, si hunc tibi manifestum non adoras, et ingratus es, si communicatæ notitiæ beneficium non agnoscis tanto dignatus honore. Crede dicenti, neve audeas ipsi litem circa dicta intendere, et ad hanc dirimendam iudices appellare: minor es, quam ut designare queas originem rationesque naturæ nunquam non existentis et infinitæ, cujus proinde ostium silentium obsignat, atque disertissimum quemque infantem facit. Sic olim populus de illo disceptabat sci-  
tando: « Quis est hic, et cujusnam filius? » et qualis fuit aut futurus est ejus adventus. Virginis partus senioribus et et scribis incredibilis visus est; repudiarunt Christum præ-

† Matth. xxi, 10.

sentem, ut Christum, qui nec extabat, nec unquam extiterat, ipsi sibi parerent, monstrum scilicet proprii capitis fœtum. Quin ergo tuam cohibes mentem, et deinceps mœchari prohibes, spurium tibi parituram Christum, legitimum ablaturam. Cave ne temere investigando tibi simulacra conflare assuescas, indeque futiles capitis tui conjecturas animo tuo persuadeas, vel informes tuarum ratiocinationum imagines cordi tuo transmittas: datoque operam, ut verum Dei Filium tua tibi memoria repræsentet. Scortum est vanum disceptandi studium, omniaque promiscue disquirendi cupido meretrix est, mœchatur, disceptando concipit, et parit nobis Christum, imo fictam Christi obtrudit imaginem, meramque pro Filio Dei fabulam, ut a vera religione abstractos ethnicis per omnia similes effingat. Capitis sui commentum expectant Judæi, gentes vana superstitione imbutæ, sapientum suorum ariolationes observant et venerantur.

VI. Diabolus caveas deseruit suas; atque suos jussit per deserta loca vagari; postquam animadvertit ad suum votum foveas et laqueos minus succedere, magis autem campos ad concertationes prurientibus placituros: sic a vera disciplina deductus quisque, post superatas viarum salebras, mox superinductis quæstionibus, velut objectis in transitu vorticibus haustus, periit; quod si inde illum extrahere contendis, cogita ipsum in animo id versare unum, ut te accedentem complexus, secum præcipitem trahat; ipse quippe fortunæ melioris spe abjecta, ibi manere deliberavit.



## SERMO XLV.

I. Mens et oculus se mutuo respectant, alter alteri fœneratur lucem. Si quod corpus vel exiguum invadat oculum, commovet et perturbat, idem ipsum menti accidit. Lucernam et codicem habes, illius lux oculum delectat, veritas hujus mentem. Lucernam igitur oculis quærito, codices menti. Mirum quantum abhorret oculus impressionem incidentis cujusvis corporis : cura indaga veri nostram sic sæpe mentem discruciat. Et sane si oculo permolestum est sua decuti sede, quanto infestior animo ea cura videatur, quæ si semel invaserit, necesse est cuncta perire bona. At si oculum non juvat digitus scabens, nec enim vero animum inflammans disceptandi cupido.

II. Deum esse genitorem credibile est magis, quam ingenitum esse, et principio carere. Si a se existentem ab alio existere dicas, ipse tecum pugnas ; at existentem progenerasse sibi similem prolem, nec inverisimile nec absolum est ; quandoquidem nec difficile est cogitare rem ex re fluxisse ; at difficillimum est credere substantiam aliquam ab omni æternitate fuisse, sui que auctorem nullum habere extra se ; quæ autem extra illam, ab ipsa sustineri, ejusque Numine plena esse ; cumque nihil non impleat, cuncta tamen præterfluere. Nam si loco circumscriptam dicis, ejus amplitudini derogas, naturam fingens ipsa ampliorem : quidquid enim loco continetur, finitum est ; substantia autem ex se existens infinita est, et in amplitudinem porrigitur incomprehensam. Atqui si tota non capitur loco, nec ejus partem capit mens.

III. Rursus si illa locum, quem sua perspicacitate pene-

trat, sua præsentia non occupet, ejus substantiam nihil non præcellentem minorem fingis ipsius scientia perspiciente omnia, ejusque proinde naturam duabus componis partibus, quarum altera alteri minime respondet; nec enim parvum et magnum sibi mutuo congruere possunt. Præterquam quod inde consequitur ab eo, quem credis scientem omnia, ignorari illas, quas fingis per immensa ea spatia vagari, substantias ingenitas, infinitas ac totidem mundos, et quæ hos constituunt, creaturas. Animadvertant in quales errorum anfractus trahantur insani scrutatores, ut tandem aliquando statuant nobiscum sentire, faterique unum esse per sese summum bonum, ac similem sibi generare Prolem, idemque semper integrum, semper totum, semper aptum sibi que sufficiens.

IV. Enimvero si talis non esset Deus, sed qualem fingis locorum regione circumscriptum, ipse naturæ suæ magnitudinem minime æquaret; et si sibi similem Prolem generandi facultate careret, ejus sæcunditas nec plena, nec cumulata foret; et si nihil posset creare, imbecillus diceretur. Atqui ille totus usquequaque summus est, ut eo nihil perfectius excogitari possit; generat ergo, nec mutatur; creat, nec laborat; sine sede sedet, et sine divitiis dives est. Inepte fingis locum, qui illum ambiat et claudat, et falleris, si putas mentem non infinitam posse ipsum inspiciendo explorare, aut assequi cogitando: magnam credis ejus essentiam, talem esse puta ejus sæcunditatem: quemadmodum ergo nec locus nec animus ejus exæquat essentiam; sic neque cogitatio eo assurgere potest, unde liceat ejus sæcunditatem cognoscere.

V. Vero quidem verius est res omnes a Deo conditas fuisse, at idem etiam explicatu difficillimum, quomodo mundus, cum non esset, e nihilo creverit, nec tu id fieri potuisse ante factum demonstrare potuisses: cum igitur

ratio locum designare non possit, in quo mens conquiescat, sibi que plane persuadeat, hoc non illo modo rem fuisse transactam, acquiescito fidei, ea deducente, quæ petis, summa tenebis. Enimvero cum ejus arcani difficultatem eluctari non possis, aliam utique debes inire viam, in qua, petitis aliunde argumentis, animo tuo quietem astruas. Idque facile assequeris, si cogites omnium rerum Domino nihil esse difficile; ipsam, quæ te ab investigando ordine rerum creatarum cohibuit, rationem præ oculis sic habeto, ut excitatam de divina generatione quæstionem, silentio dirimendam statuas.

## SERMO XLVI.

I. Increpiti discite protervi, vestras cohibere curas: pisces sui fluminis ripas radunt, nunquam præterlabuntur; nos contra pervestigandi studio abrepti, fixos salutis terminos prætererbitavimus. Evangelii Spiritus nos vehit, vehunt aquæ pisces, divinæ Scripturæ sapientes: intra istas salus conditur, extra imminet certum exitium. Quisquis, fili, locum aëre vacuum quærit, vitam odit; vivere non potest, cui spiritus, quo cuncta vivunt, præcluditur. Admonemur a simili non licere aditus pertentare a nostra intelligentia remotos: Spiritus, qui te animat, trinus et unus est, ac si te ab illo disceptandi libido in devios anfractus abstraxerit, verendum est ne inde expirans halitus inopinum rapiat, et frustra clamitantem interimat.

II. Fatuus quidam nostram stomachatus disciplinam, undenam, aiebat, Deo accidit habere Filium? Nam si Deus verus idem et Pater est, talem fecit vel voluntas vel neces-

sitas : si voluntas, quem generavit, Deus non est ; si necessitas, vim passus est liber sui que arbiter Deus. Ohe malignus es, cui livent oculi, quod videant fœcunditate gaudere Bonum : scilicet Deo invides, quia invidus non est. Quin ista facessis, et curas, quod idem a te jure reposcit<sup>?</sup> petit Pater, ut Filium ab ipso promanare credas, quo istuc approbat, ipse suum tuetur nomen, ut res vocabulo respondeat, secus improbando, idem cum suo nomine pugnaret, Filii que proinde nomen nec proprium nec ratum foret. Apage talia, Patris nomen divina fide tenemus, et Filii vocabulum non fictum, non ascilitium est, sed verum et proprium, testatur hoc Pater. Age nunc vera esse fatere, quæ audis, quid etiam hæres, illo clamante, teque ad ista credenda ciente<sup>?</sup> Cogita divinam fidem hic pro dictorum veritate oppositam pignori.

III. Tamar cogitans quam difficile foret objectum sibi crimen diluere, quo se innocentem probaret, testes assumpsit res dudum a Juda pignori ob incestum oppositas, hisque instructa documentis, ad causam dicendam accessit. Muti testes ei causam egregie perorarunt<sup>1</sup>. Jam quid agas ipse in tua causa, ex præsentis facto disce. Delatus apud Patrem, hujus testimonium in codice scriptum penes te habes, non enim alius quispiam, ipsemet nimirum clamavit quæ audis. Porro ne qua tibi ambigendi ratio maneret, Mosi et Eliæ silentium indictum fuit, quin et ille, qui eum in flumine lavit perinde ac si illum ignoraret, cessit locum Patri, ut quod verum erat, de illo testaretur. Cæterum si fidem huic testimonio præstitam tibi verterit in crimen, idem qui dedit, sua ipsi verba reponere, eo clamore divisit cælum, et litem diremit.

IV. Porro si quis hujusmodi testimonium refellere tentet, contraque objiciat homines pariter filios a Deo fuisse

<sup>1</sup> Gen. xxxviii, 16-18 et 25, 26.

appellatos, refellentem refellet idem, qui docuit ex humo hominem fuisse decorptum, indicavitque servilem esse Angelorum conditionem : Filium autem ex se genitum disorte proclamavit Filium suum, suumque pariter Spiritum, Spiritum sanctum nuncupavit; sic ille omnia discrevit, detersaque omni ambiguitate in nostro corde reposuit. Prudens autem mortales homines filios appellavit suos, quando ipsorum corpora plane arguebant unde eorum natura prodisset. Filios, inquam, appellavit, quo sciremus nos Angelis fuisse sociatos. Cum autem istorum natura nostram præcelleret, nusquam diserte filii Dei dicuntur; impropiam quippe appellationem propriæ naturæ excellentia ambiguum fecisset.

V. Terrenum dicito Adamum, dictum nemo damnat; Gabrielem perinde cœlitem appella, modo trium naturam tacitus prætereas : si quis scitetur, perscriptum tibi memento : ad cognoscendas naturas summas infimas esse duces, nusquam tamen tibi commissum trium perscrutari substantiam. Cum ipse mente minime valeas, arbitrii, qua polles potestate, tibi ipse vim facito, conversoque ab inutili disquisitione studio, sequere Deum : quæ ille te docet, cave examines, utrum probanda sint, quanquam ex tua approbatione nihil illi accedit, ut ample et magnifice illius dicta laudaveris. Cum autem dicenti plenam te fidem habere protestatus fueris, simul ejus benignitatem adora, quod dictorum suorum auctoritatem ad terrenas aures deduxerit : obstupesce Deum eo usque luto indulsisse, ut illud suo animaret flatu, concessaque arbitrii potestate Cœlitibus æquaret : et insuper dilectum Filium suum pro illo traderit, statueritque sui in ipsum amoris testem. At vero luto fictus eodem homo, quando eum sui Conditoris suspicere bonitatem oportebat, quod ipsum ad tantam gloriam pro vexisset (quanquam et hoc ipsum admirari, et silere, quota

pars officii fuisset) quæstionum suarum ineptiis, Opificem suum summo honore dignum, vilem reddidit.

VI. Plurimi dicti sunt Dii, unus est omnium Deus : sunt multi patres, unus est verus Pater, et multi spiritus, unus est vitæ auctor Spiritus : Filii Patrisque nomina sunt ascititia, quæ nobis singulari Dei benignitate communicata simul nos docent unum esse verum Patrem, Filiumque ab ipso genitum perinde verum et unum.

## SERMO XLVII.

I. Artificum opificia, doctorum syntagmata, aratorum textorumque juga, et seplasiariorum compositiones, aurificum torques et monilia, arithmeticoꝝ calculi, et suppurationes sunt humani ingenii inventa, geometrarum item gnomones, et libellæ, agrorum dimensiones et librationes aquarum: atque horum quidem examen peritis difficile non est, difficillimum indoctis et idiotis. Quid nunc? Si indocti doctorum iudices idonei non sunt, quamvis angusto ab istis dirimantur freto ob doctrinæ prærogativam, quem, censes, tenebunt locum sapientes quique, sapientissimo rerum Architecto compositi? Sed et o quantum desipere eos oportet, qui sua se credunt perspicacitate assecuturos summi Conditoris naturam et sæcunditatem!

II. Nemo sane non miretur talium homuncionum stultitiam : si cogitet qualem nacti sunt mentem, bardam videlicet et infirmam, adeo ut nec suis potuerint symbolis adumbrare pulchritudinem ejus, qui vere pulcher est, aut ejus explicare sæcunditatem, qui certe sterilis non est, ambæ profecto scrutatores attonitos reliquerunt. Et vero

si longa indagine ad rerum conditarum cubilia pervenire non licuit, quam procul ab adytis supremi Numinis rejectos putas ejusdem scrutatores? Nostra intra rerum nobis præsentium brevissimum orbem mora satis ostendit humanæ mentis aciem incassum conari, dum se porrigere contendit ad Unigeniti originem, cujus Genitor ubique et supra omnia reconditus latet. Nemo itaque illam attinget, nec enim potest, quantumlibet mentem intelligentiamque suam explicet, nec ejus locum inveniet, nec amplitudinem comprehendet; ergo, mutata velificatione, contemplare mundi ordinem et pulchritudinem, et obstupescere; Conditoris autem naturam omnium præstantissimam excellentissimamque investigare absistito.

III. Ah video, inanis gloriæ cupido istiusmodi pruritus accendit tibi, homo materia cretus vilissima, et oppido quam misera, quin intueris tuam in acie ignominiam; hanc scilicet tuus tibi adversarius improperat, tuque tibi objicere debuisti. Facile deprehendes contentionis causam esse superbiam, modo tibi Prophetarum, ac Justorum, et Apostolorum modestiam proponas. Hi certe arcanorum vitiosam disquisitionem fugerunt. Quid autem? Num illos deterruit inscitia. Si id cogitas, impudentem pudefaciet Moses; is nempe in litteris eruditus totam Ægyptiorum sapientiam exhaustit: quanquam divina scribere orsus, profanam abjecit litteraturam, et simplici stylo, et vulgari sermone vera, quæ didicerat, litteris mandavit.

IV. Simili Daniel institutus disciplina, eam Babylone sapientiam adeptus est, cui pares non habuit urbs regia, quos opponeret, adversarios. Convenere sapientes Chaldæi bene multi, conticuere victi, constititque palam istos in nullo litterarum genere ei esse comparabiles. Cæterum doctus ipse ad mysteriorum thesaurum nullum aliis patere aditum, nisi suppliciter petentibus, petiit, et clavem in-

terpretationum accepit. Nemo inter Justos majori sciendi cupiditate flagravit, postquam vero intellexit divina, quæ quærebat, responsa abdita esse et obsignata, silentio os ipse suum obsignavit, ne quid ultra requireret : quanquam postea popularium suorum precibus victus, curam, quam deposuerat, resumpsit, discrete tamen et modeste, quocirca propriæ conditionis memor, homo humana exquisivit, divina maluit revereri, quam discutere.

V. At vero homo lutum propriæ concretionis immemor, ima reliquit, summa sibi indaganda arripuit ; sed si originis suæ ignarus est, qua spe quove exitu alienam persequitur ? Næ ille suæ conditionis limites præterlapsus est, indeque vanæ curiositati frena laxavit. Attendat igitur merumque digerat, ac se mortalem esse demum agnoscat, tum vero intelliget, quam oppido utile sibi sit silentium, intraque suæ conditionis limites subsistere.

VI. Daniele iterum contemplare. Vir divino Spiritu plenus, Angelos de rebus fere obviis simpliciter interrogat : homines autem nec mentis compotes suæ mysteria imprimis arcana et abstrusa disquirunt, atque de his inter se disceptantes, se mutuo sciscitantur, et docent. Sed et Moses pectus habens mente divina confertum, rerum gestarum insuper fama clarus timide percontatur Deum de suo nomine tetragrammato Adonai. Nos vero stipites Mosi utique nullatenus comparabiles, nec dubitamus adhuc secretiora ejus adyta scrutando pervadere. Altiore profecto quam scrutatores mente præditus Apostolus, urbem Græcorum matrem aliquando ingressus, Græcis græcanicæ sapientiæ scita produxit, se ista minime ignorare docens ; postquam autem victi victori arma cesserunt, veritatem coram exposuit ; at illi porrectam medicinam, nauseante velut stomacho, repulerunt ; fastidium peperit morbus disceptandi inveteratus, quo tum etiam laborabant.



VII. Hic modo tantisper sistito contentiosorum pugnam spectaturus, accidit rem nescio quam, ipsis in gymnasio garrimentibus offerri, cujus qualitates oculis alioquin expositas, cum discernere adhuc nequiverint, modo, uti vides, inter se contendunt, pugnant et vociferantur; sic inepti disceptatores rei patentis et conspicuæ indagine fatigati succubuerunt. Homines jamvero tales qua rate putas, divinatorum arcanorum pelagus trajecturos? At perge porro, et sicubi offendas hominum conventum summam pacem, summam concordiam habere, illuc quæstionem quampiam introducito, assidensque coram, quasi spectator otiosus opperire exitum. Eccum repente, mutata rerum facie, cernes modestos effervescere stomacho, efferrari, et furere; pacis modo amantes tumultuare, nec modo perturbari animo, sed et socios ad contentiones et pugnas concitare. Quod si contingat illic quempiam disceptantium in conflictu victum succumbere, audies statim occlamitare simul omnes, et vociferari. Disceptandi libido suo plurimos fumo occæcavit.

### SERMO XLVIII.

I. Tuum, Domine, peto auxilium: Dilecto tuo sensus pande meos; ipse namque solus potis est digna te de te narrare. Quisquis (nisi ab illo doctus fuerit, quis ipse sis) te sibi inventum persuasit, vehementer fallitur. Cunctis recte credentibus tria nomina impressa sunt, quæ tamen nemo investigare, nemo aliquando assequi potuit. Nostris, oro, Domine, mentibus præpandito lumen, quo præeunte, populus noster, amotis dissidiis, tibi laudem tribuat et

gratiam. Ut omnia nostra nobis detur discutere et comprehendere, certe Numen, cui cuncta parent, ignotum nobis usque manebit. Profecto si sacrum ignem haberemus, quo identidem nascentes controversias uti metalla nobis explorare liceret, versuta isthæc ingenia suis nos nunquam ludificarent strophis. Mens et ratio nostra imperitam manum assimilat, ad exarandas litteras ineptissima est, nisi prius artem a Magistro didicerit.

II. Nunc vero plurimi rationis ductum deserentes, passim errant, nec tamèn se errare animadvertunt, quia, ut modo aiebam, illo igne caremus, quo omnia examinare deberemus. Hujusmodi certe habito examine, ex nostris et in nostris intelligeremus unum esse Deum, nosque ipsos pernosceremus. Interea dum res nostra in hisce versatur angustiis, nostram conditionem a Dei nuntiis addiscamus; hanc illi nobis proposita oculi comparatione declarant, qui cum nequeat actus suos explicare, ut puta colores discernere, inditæ facultati supplementum a lumine mutuatur; hoc itaque præsidio cum indigeremus, Deus lucem nobis providit. Codicem adhuc desiderabamus, hunc etiam nobis conscripsit; lucem ministravit, ut conspicua cerneremus; codicem, ut abdita disceremus; idque ordinatissime præstitit, ut primum per objectas rerum cœlestium species nos erudiret, deinde per legem; ejus itaque lux et lex lucernam nobis instruxit, quæ vocali lumine doceret, legis deducente lumine, certum ad veritatem sperare aditum. Naturam præterea habemus ducem ac magistram. Quisquis hanc disciplinam non deserit, juxta captum ac studium eruditur; rejicitur inter ineruditos et indoctos quisquis illam neglexit. Compara rationes amborum, et assentire dicenti hujusmodi notæ homines, ex quo animum ad discendum appellere recusant, merito censeri sua voluntate seductos errare.

III. Rusticum hominem ac rudem accusare iniquum est, si tabulam pingere, aut fingere statuam rogatus, recuset. Atqui jure ac merito argues recusantem, si artem discere jussus, contempsit. Hoc ex capite reus quisque juste plectitur, non item ex illo, nam qui culpæ argui non potuit, absolvi debet; quanquam nec ex eo capite, ex quo suam innocentiam probabat, absolvendus fuit, qui in ipso eodem capite se culpa plene purgare non potuit. Ades, piscem tenes, suis reddito aquis, sinito, ut quo tulit impetus, feratur; nempe pro te ille dimicat, dumque proprio labore sua damna petit, ignarus te coronat. In hoc parallelo inspicere ineptum scrutatorem, et quemvis a recta disciplina errantem, suis utrumque confossum telis: discere ridendam amborum stultitiam; pisci similes sunt, qui hamo, quem trahit, trahitur et capitur. Piscis, cui per freta vagari modo concessisti, mare proprium sui generis domicilium fastidians, quod ejus fundum non cerneret, cogitavit in vicinum aërem involare, inde cælum exploraturus; scilicet in regione non sua se vita etiam molliore potiturum sperabat, hujusmodi spe inflatus, hac illac discursare cœpit, seseque identidem toto corpore in altum vibrare, insultare aëri vicino. Ecce autem emissus turbo, inopinum corripit, frustra que reluctantem repellit, rejicit in suas aquas, ac mergit. Stolidum animal, utpote in aquis procreatum, credidit simile ubique se nacturum domicilium, etsi a natali flumine moneretur, ne peregrina cubilia quæreret, neve piscis addictus aquis, thalamos ac gynæcea appeteret. Similem hic relegere locorum distantiam, nos a Superis dividere, nec minus nostras disceptationes ab illis dissidere, proinde nec altiora petenda, si forte detur inde naturas illorum ac proprietates cognoscere.

IV. Evangelium Gehon fluvio adumbratum est, exundavit, irrigavit universum orbem; rursus ejus disciplinæ

fluenta descripsit copia aquarum Euphrates. Phison vocabuli etymologia monebat absistendum nobis ab ejusdem arcanorum investigatione. Declat ( Tigris ) proprii nominis notatione præagire visus est Evangelii institutis vitiorum nostrorum sordes elutum iri. Nunc itaque unum modo restat, ut sacris aquis expiati, per Christi præcepta nobis certum ad paradysum ascensum instruamus ; nec enim decet pisces sibi constitutos transilire fines.

## SERMO XLIX.

I. Quanta putas morum innocentia floruisse Noëmum, qui cunctis ætatis suæ mortalibus compositus, neminem invenit parem ? Universum genus humanum divina æquitas appendit in statera, unus Noë justis ponderis mensuram implevit, pudicitia ornatus. Cataclysmus hausit omnes, in quibus statera defectum notavit. Arca virum pudicum ac venerabilem in sublime extulit, Quanta laude dignum dicet Deum, qui talem hominem amavit ? Suo Noë magistratu duo distinxit tempora, totidemque signavit figuras, præteritum conclusit, inchoavit præsens ; inter duas medius ætates duo mysteria adumbravit ; prioris ætatis gentem dimisit, novissimam ejus sobolem vocavit ; vetulam progeniem mortuam funeravit, novellam pubescentem aluit et instituit. Laus hæc fuit summi Rectoris, qui ad hanc gloriam Noëmum evexit.

II. Orbe sub aquis proprium interitum ingemiscente, Domini navis oberrabat mare ; solvit ab ortu solis, ad occasum applicuit, super austrum explicuit pennas, et aquilonem emensa est, super pelagum volitavit, continenti præ-

sagivit suam, antequam nasceretur, nativitatem, sobolisque suæ numerum, et ad omnes mundi plagas propagationem. Qui talia audis, mirare et lauda mundi Reparatorem. Suo illa cursu vexillum sui tutoris descripsit; sui videlicet gubernatoris crucem, sui gubernaculum naucleri; hunc scilicet prænuntiabat venturum, et Ecclesiam ab ipso in aquis ædificandam, ac triplicis nominis virtute habitatores ejus ab interitu vindicandos, sed et a Spiritu sancto per noëmicam columbam adumbrato, sacrum ejus chrisma, nostræque salutis sacramentum administranda fore. Gratiam Servatoris agnosce. Nostræ itaque Ecclesiæ mysteria in veteris instrumenti libris habes: vides ejusdem in noëmica arca figuram: omnia mirifice congruunt, mutuoque sibi astruunt fidem: quemadmodum itaque arcæ thalami, serenato cœlo, vacuati fuerunt; ita figuræ in Scripturis expressæ, rerum adumbratarum præsentia inutiles evaserunt. Christus namque suo adventu finem attulit legis ceremoniis; et arcæ symbola adimplevit erectum ab ipso Ecclesiæ ædificium. Tui, Domine, adventus hæc laus magna fuit.

III. En sentio mihi cogitanti Salvatoris mare labare mentem, quare beatum te, Noëme, dicam, quoniam etsi tua navis inter undas fluctuaret, tibi nihilominus animus constitit immotus, sibi que præsens. Obsecro, Domine, fides, quam profiteor puram, mihi sit ipsa ratis; quandoquidem video plurimos arcanorum tuorum pelagum temere ingressos, ejus vorticibus repente haustos, periisse. Patrem tuum quam justum est laudare!

## SERMO L.

I. Genitus, qui cum Genitore fuit ante omne ævum, cuncta præterlabitur tempora : numeri, horæ, momenta, nomina sunt ejus ævo posteriora, nec enim nisi per ipsum constituta, et ordinata fuerunt. Inutili labore se fatigat, quisquis disquirat, qualis ille sit, et inani spe luditur, quisquis ejus ætatem invenire conatur, aut audet disceptare, quorsum in lucem prodierit ? aut quam a sua origine nactus fuerit figuram, et quem modo locum obtineat ? At tu hujus Filii Patrem contemplare et collauda. De Unigenito dicere sapiens quisque rogatus negabit, cum tacere malit, quando nec externam ejus gloriam vel ipse, vel alius quispiam narrare sufficiat. Stultus est, qui circa subjectum hujusmodi sibi silentium non imperat, nec cogitat, quod si Filium comprehensum dicit, Genitoris amplitudini detrahit, quodve si fructum inscrutabilem esse negat, arbori aream definit, cum ambo sibi invicem mutuoque insideant. Sic a te per te in Patrem tuum omnis honor recipitur, et recipitur.

II. Petulans et insanus est, qui petit intra suæ mentis exiguos sinus concipere disputationem infinitam : omnem supervolat rationem assumptus de Genito ac Genitore sermo ; cum mundus ab utroque conditus, magnitudine sua nostram intelligentiam præterbitat. Restat, ut credas fieri non posse, ut propositas de Creatore quæstiones creatura solvat, adeo infra illum cuncta jacent ; hunc dicimus summum et supremum rerum Dominum humano generi admirandum, et sancte pieque colendum.

III. Quid ergo de Filio exquirere non absistimus ? quid

Parentem ejus non admiramur et obstupescimus? ut operosum non sit credere Filium ex omni æternitate genitum; generationis tamen modum intelligere et exponere difficultatem nobis objicit insuperabilem. Rursus idem mysterium utcumque apprehendere non magni laboris est, at idem investigando invenire; negotium est enimvero, quod omnium mortalium operam lusit, adeo nullum huc usque reperire licuit interpretem, ad hoc arcanum detegendum satis idoneum, etsi Filium et Patrem omnes suscipere et admirari debeamus, pioque silentio venerari; Patrem quidem quia Filium misit, et Filium quia ipsi venire placuit.

IV. Interea dum increduli de Filii Dei generatione altercantur, singularem in nos Dei benevolentiam nemo non admiretur; suo ille spiritu limum, ex quo crevimus, animavit, et pulverem nostrum mente ac ratione instruxit: Filium suum misit in terras, hominis naturam induit, cœloque invexit; quod cum diabolus ægre ferret, doleretque lutum ad eam pervenisse altitudinem dignitatis et gloriæ, homines quæstionibus et disceptationibus implicuit, et inde in sectas divisit. Quisquis hos laqueos evasit, gratiam Mediatoris agnoscat. Et nunc obsecro, Domine, diaboli farorem infringito, quoniam sine causa felicitatem olim Adamo invidit, et nunc ejus sobolis splendore torquetur, utrique imposuit, persuasitque bonum esse perire. Omnes simili arte decipit ætates; nostram etiam, ut vix aliam magis; simplices superbia inflavit, et risit arrogantes; inebriavit, et traduxit temulentos; tumultum commovit, et tumultuantes irrisit. Tantorum malorum auctorem qui nobis sustulit, a nobis quantopere colendus erit, quibus ornandus laudibus?

V. Mirum sane quæ fiat, ut anima suam non erubescat stultitiam, quod cum diabolum hospitem aliquando habeat, non sentiat præsentem: non illum certe vident oculi,

non tangunt manus, quantum ille gustui ingratus sit, palatum nunquam expertum est, odoratum non afficit, si forte nares ejus etiam nidorem olfacerent, cruori nimirum libenter incumbit. Tu vero laudem et gloriam ei tribuere memento, qui hostem his pejora molientem cohibet. Et quoniam anima nec sibi intimum Dæmonem sentit, aut aliquando in ejus sinum reptavit, imo nec ab illo oppugnata, oppugnantem advertit, aut sibi assidentem, vel etiam insidentem, sensibus discernit : reliquum est, fratres, ut mentis nostræ stuporem reputantes, doleamus nos nihilo minus in eam aliquando venisse audaciam, ut in Creatoris nostri Filium incursare non dubitarem. Averte, Domine, a nobis hoc malum, et præsta, ut cum rebus omnibus in tuas laudes perpetuo conspiremus.

## SERMO LI.

I. Quis hominem dabit, qui se tibi sat memorem gratumque probet, postquam ad isthæc infima deduxisti majestatem tuam, tuamque magnificentiam ad extremam demisisti humilitatem? Ad conditionem mortalium vita ipse præditus immortalis descendisti, et nullius indigens, omniumque dives opum, egentibus infimæ sortis te sociasti, submisisti servili jugo cervicem summus ac supremus rerum Dominus. Quem te esse dicam, quisquis hanc non laudas bonitatem? Attamen nec in hoc statu ausit quisquam oculos intendere in tuam Divinitatem, quæ nec tunc occulta esse desiit, postquam spectabilem se fecit, et reducto aliquatenus velo, se ostendit, atque in omnium oculis versata est : quin et manibus lictorum apprehendi non



abnuit majestas, cujus nutum tremiscit orbis; hoc scilicet pretio tibi stetit hominem esse factum. Quisquis illum, qui te misit, non magnificat, iniquus est.

II. Nemo profecto non horreat horribile spectaculum; ut postquam tuus in carne adventus atque nativitas innotuerunt, adhuc tuus iste processus ignotus lateat, ut quisquis petulans scrutator hunc indagare aggressus est, confestim velut ad scopulos, impacta navi, nudus cœperit huc illuc vagari. Hem audio dicentem carnem duntaxat a te fuisse susceptam, animam non item; alium docentem una cum corpore animam etiam fuisse assumptam, animam, ait, non animum vel mentem; quosdam effluentes cœlum te ascendisse, concretumque cœlesti materia corpus tibi accommodasse. Nos vero tuam in carne nativitatem veram, et vere laudabilem prædicamus. Quare tuum, precor, ori meo apprimito signum, ut sileat, quæ fari non licet. Hem arcana, quorum claram notitiam nobis indulxisti, sapientissimos quosque fatigarunt, adeo ut nec tuam ex Maria originem comprehendere potuerint, qui autem id sibi ineptissime arrogarunt in varias diversasque scissi sententias, etiam nodum, quem solvere non poterant, sciderunt. Atqui si homines humana, et quæ sibi tecum communia habent, assequi non potuerunt, quis ille homo, qui divinam tuam originem sibi comprehensam jactet? Iniquus est, æquos nos esse decet, ut Genitori tuo laudem et gloriam tribuamus.

III. Materiam nostris fidibus tua præscribat lex, nefanda fari impium est, tua id pietas a nobis avertat. Tuam generationem revolvere nequeunt carmina, gracili modulata plectro: quando nec Angelis supremi ordinis datur ejusmodi arcanum tibiis persequi grandibus et incorporeis. Incomprehensæ naturæ hæc laus est. Linguam, oro, meam in calamum verte, futuram in posterum gloriæ tuæ instru-

mentum : tuus, obsecro, digitus, quæ tua benignitas est, meum tractet calamus, scribat sermones fructum allaturos, quantum nulla res præterea : ductu scribentis destitutus calamus, litteras nunquam formavit. Cohibe os meum, ne ad inutiles strophas delabatur, moderare linguam, ne quid loquatur extra te profanum; ea scilicet est disciplinæ tuæ dignitas. Neve audeat compellare te nomine alio ab eo, quo te tuus appellavit Pater. Te suum dixit Filium ad Jordanis ripas, extra te neminem<sup>1</sup>. Et ubi tu quoque baptismum suscepisti, hunc tuæ humanæ naturæ divina Trinitas ministravit, Pater voce propria, Filius potestate, suo Spiritus illapsu; obumbrationis tuæ gratiam nos quoque tibi gratamur. Audeat quispiam modo negare tria nomina, quorum illapsu sacrum olim ministerium in Jordane peractum est? Sed nec dubitabile est nominibus, quibus tui corporis baptismus perfectus est, reliqua hodie corpora baptizari: et quamvis plurima sint summi et supremi rerum Moderatoris nomina, nos tamen per distinctam Patris et Filii et Spiritus invocationem baptizati sumus. Idcirco nos decet tuam laudare et amplificare majestatem.

IV. Pictorem miraris, et rogitas, cur equum pingere rogatus, bestię caput et præcipua membra, quæ cæterokin exprimere in promptu erat, panico terrore consternatus, prætermiserit? bene sane miraris. At vos litteris cætera eruditos quis insanire non credat? qui cum nihil Unigenito de ingenita magnitudine detrahere possetis, vestris tricis illum facere minimum cogitastis, cumque idem uni duntaxat comparabilis sit, vulgo similem fluxistis. Filium regis nostri revereamur, oro, nostrisque celebremus hymnis.

V. Quis subtili in æthere semitam vidit, qualem avis in aëre describit, et hominem levi aura in sublime vectum

<sup>1</sup> Matth. iii, 18.

illac discurrere? flatus nimirum panditur, simul vectori suo pandit viam, simul admonet, ne ab illa latum, ut aiunt, unguem discedat, ne illico e vita discedere cogatur. Monitus monitori habeto gratiam. Sic, oro, mihi, Domine, ferto opem, et præsta, ut cum pavore ac timore incedam, caveamque sanctæ disciplinæ transilire fines. Veritas, quam a te didici, clara est, plana ingenue credentibus; ingeniis salebrosa tortuosis: simplices et expediti feliciter viam decurrunt; docti ac eruditi rectam perosi, in salebras quæstionum impingunt. Dominum orate, ut relevet lapsos, simul laudate reducentem errantes.

VI. Ex ipsis vocabulis rerum naturas discimus, nomenclationes servi et Filii utriusque conditionem secernunt; servi quippe vocabulum Filio non convenit, Filiique nomen servis hunc accensendum non esse clamat; sic vocabula citra lites et contentiones veritatem declarant. Quisquis hanc didicit, tuam, Domine, laudet sapientiam. Quamobrem severe nobis redarguendi sunt novatores: fides mea, dicito, perfecta est, mea gemma fucum abhorret, nec ab arte tua nitorem sperat, luce sua nitet; quin et si aurificis ferro violetur, a cœlestis regis diademate rejicitur. Tui, Domine, regni spes nos sustentat, et ad dicendas laudes tuas invitat.

---

## SERMO LII.

I. A Deo discimus quid sit Deus; suis ille nimirum nominibus se manifestat; ex his intelligimus illum esse sancte justum, vere bonum, atque ingenua naturæ suæ virtute summum. Quin ergo credimus illum sibi similem gene-

rasse sobolem, cum ipse se dixerit Patrem? Parentis nomen satis declarat ipsum esse genitorem; sæcunditatis quippe vocabulum prolem indicat genitam; scilicet quem unius Filii Genitorem natura facit, multorum fecit Patrem charitas, ut laudaretur bonitas. Deum jure dicimus Dominum, astantes cernimus servos; regem testantur opes et potentia, et Creatorem prædicat e nihilo cretus mundus. Et quia vere Pater est, dicimus verum generasse Filium; si autem Patris nomen proprium esse negas, ipsique afflictum et accommodatum fingis, quod tamen vel cogitare nefas est, et crimen ultimo plectendum supplicio, si hoc, inquam, fingis, cæteras huic synonymas voces ad tuendum positum solvis. Sed absit: verax Deus est et verus, cui omne convenit nomen et vera laus. Equidem non putabam homini cuiquam sano persuasum iri, ut Deum diceret Patrem, quem crederet nullam generasse prolem; vocabulum proinde Genitoris sibi non suo jure usurpasse. Suum porro veritas retinet saporem, ejus licet sale abutentes, desipere videamus. Rursus nec venit in mentem quempiam ad eam insaniam redactum iri, ut nomen refrigeret, quo noster constat baptismus et nostra expiantur peccata. Nos autem institutam a te, Domine, purgationem peccatorum fatemur, et inde tibi magnopere gratamur.

II. Hæc tene, hæc loquere, hominis opus extra hominem fieri, intra hominem vocem. Dei opus homo est, nec enim a se ipse fieri potuit; Dei Verbum Filius ejus est, nec tamen vocale verbum id est, ut liceat de rebus quibuscunque dici: « Verbum est, quod nostris verbis inexplicabile est. » Idcirco tuam, Domine, occultam majestatem nos capere non posse fatemur, nec ideo laudare absistimus. Quid etiam deliras garrule sophista? Si Patrem non piget hunc suum fateri Filium, nec suum Filius veretur appellare Patrem, quem tu testaris Deum, quin facessis hinc imperite

puer? quin secessum petis, communem calamitatem deploraturus, quod cum divinæ Personæ sociæ sint et concordēs, nos adhuc tumultuamus: dumque cælum pax alta tenet, Ecclesias huc usque civile fatigat bellum? Cui pace frui datum est, te, Domine, pacis auctorem laudet.

II. Quisquis circa divina deliras, quid tua garrulitate Deo decedere putas? Si clamat ipse se esse Patrem, nec piget esse, nec pudet, quis tu contra audes mussitare lutum? tu ne omnium rationum exactorem ad reddendam actorum suorum rationem appellas? Tuam adversarius tua lingua perdidit animam, quid hic cunctaris? nec illam quantocius a latrone vindicare satagis? Nos vero quas ei referemus gratias, qui talem sustulit tyrannum? Sophista dejectus mente, se præcipitavit in aquas: duo maria Patrem et Filium tranare cogitat; et quanquam aquæ tranquillæ puræque sunt, nec quales vehunt amnes, qui frequenter vel ventis exagitati fluctuant, vel ob externarum aquarum alluvionem turbidi lutosique fluunt, ac proprium tandem repetunt colorem, et cursum: attamen si quis in altum provectus, alterutrius pelagi fundum explorare tentet, confestim rapida vertigine contortus disjectusque, dejicitur ad littus, nimirum cadaver est. Hanc petulanti scrutatori pœnam tua, Domine, rependit justitia, quam proinde satis laudare non possumus.

III. Divinorum arcanorum investigatio cuinam placere potest, quam Apostolus carcinomati comparandam censuit<sup>1</sup>? Hæreticas disceptationes pestilentissimos esse fontes intelliget tandem, quisquis imprudens iis se implicuit; paulatim quippe coaluit malum, quod repente totum erupit: hujusmodi quæstionum etsi exordia quandoque jucunda, exitus tamen vix unquam non tristes et funesti fuerunt. Quamobrem illius providentiam nemo non laudare


<sup>1</sup> 2 Tim. 11, 17.

debet, qui hujusmodi scatebras, ne longius manarent, cohibuit et obstruxit. At tibi, sodes, quis aliquando persuasit, ut lippientes oculos in astra defigeres, quorum non ignorabas vehementissimam esse lucem, nec ullatenus penetrabilem, eorumque aspectu cœlitum etiam hebetari acies. Cum aliquando Moses illos aditus rumpere, et intro oculos inferre deliberasset, quanquam alia plane mente, quam ut illic reconditam lucem inspiceret, eoque versus gradum aliquatenus promovisset, confestim emicans ex interiori adito fulgor ille scrutatorum occæcator, repulit adventantem. Unius immensæ pulchritudinis tuæ, Domine, non una hæc laus est.

IV. Indocilis oppidoque perversis ingenii cum esse oportet, qui non acquiescit iis, quæ ambo Testamenta de Patre et Filio et Spiritu docent: nullum horum trium factum usquam affirmant, aut creatum, aut formatum; scilicet rerum creatarum vocabula cum illius Trinitatis arcano nullam habent habitudinem, aut affinitatem; istud declaravit et scripsit Deus, et quandoquidem ipse dixit, ejus dictis omnino fides habenda est. Dominus est, ejus dicta laudare, et revereri debemus. Cogita nunc hominem, qui suis præceptoribus se subjicere detrectat, temere docens, quæ illi nunquam docuere, et jactat se illis sapienterem: ut superbus hic sit, illum certe insanire dices, qui Dei dicto reclamant. O hominem plane stupidum! quis tu, quove dices te doctorem? illo nempe sine cujus munere nemo sapit: aut jactas te eo potentorem, qui omne redemit humanum genus? aut quempiam dices in divinorum arcanorum interpretatione Spiritui sancto comparabilem? Nos vero, quæ a te, Domine, didicimus, credimus et laudamus.

V. Quid habent contrariæ partis defensores quod adhuc reponant? quidquid enim vel levi suspitione falsi veram

disciplinam perstringere potuit, veritas prævertit sic, ut alterutrum dicendum sit : hominem quidpiam contra effluentem, vel divina dogmata parvi pendere, et sanctam ejurasse fidem ; aut callidum esse veteratorem, cujus quæstus sit mentiendi impudentia : atque ut neutrum de illo suspicari sit, repellendus tamen uti imperitus et idiota. Quare delirare desinant scrutatores, et piorum cœtui sua restituatur auctoritas. Hanc tibi, Domine, victoriam acceptam cum gratiarum actione referimus. Et quoniam nil modo occurrit, quod nobis opponant garruli sophistæ, sua eis nos regeramus, nam proprios ipsis errores objecisse, convicisse erit. Ais-ne ergo Deum ex se infæcundum propriam imbecillitatem occultare voluisse, eamque ob rem mentitum se esse genitorem ? vel si id negas, iisque consentis, qui Deo generandi virtutem asserunt, imo et ipsum progenuisse Prolem affirmant, sibi que proinde generasse, non supposuisse Filium, et idcirco neque istud asserendo fuisse mentitum ; te teste et parte utraque iudice vicimus : Deum videlicet dixisse se esse Patrem. Quid ergo nova procedimus, et alia comminiscimur diversa ab iis, quæ divina auctoritas suis litteris firmavit. Hominum audacissimorum ingenium nomina adjecit, ex quibus absurdissimarum conclusionum farraginem colligeret. Sic res est, quandiu garrere non cessas, tandiu contendere non desines. Si lites componere cupis, quæ sacris consignata Litteris, tibi tradita sunt, relege et his stato. Te, Domine, pacis auctorem habemus ; hanc nobis tuere, precor. Da pacem, Domine, Ecclesiis tuis in diebus meis ; turbas, ac tumultus compescito, pacatos reddito dissidentes, ut omnes credentium cœtus in unam coëant veram Ecclesiam, inque Matris sinu pii ejus filii conquiescant, pacemque sibi tuo favore concessam testentur. Etiam, Domine, te Ecclesiarum pacificatorem confitemur.



## SERMO LIII.

I. Jure mirantur omnes accuratam Dei in scribendo diligentiam, qui non modo Angelorum et hominum clarissimorum acta litteris mandari jusserit, et a sacris Scriptoribus res ab ipso conditas, non modo universas, sed singulas describi, sed quod multo magis mirabile est, ea quæ circa virgas atque mandragoras a pastoribus, et simplicibus fœminis dicta et acta sunt<sup>1</sup>, a divino Spiritu fuisse Prophetis dictata, et ejusdem jussu etiam in sacrum codicem digesta, in tabernaculum illata fuisse. Tuam, Domine, disciplinam, et consilia laudamus et miramur omnes; in rebus quippe novis nobis ignoratio causarum mirationem facit: sed uti hæc recte miramur, sic contra quis illud non horreat, quod suis subjectum oculis cernit, depravatos usque adeo hominum mores; vastata ubique ac polluta omnia, perversis disceptationibus et litibus fervere fora, civitates contrariis factionibus scindi, et rempublicam difacerari, armorum strepitu templorum personare adyta, fœminas cum fœminis conflagrare, et cum viris viros, quin et imperatores cum sacerdotibus contendere, omnem denique tumultuari orbem.

II. Deplendum sane est, quod cum interim sæpe nobis spectare contigerit terram motibus succussam, ad statum mox rediisse, Ecclesiarum tamen dissidia ac tumultus necdum conquievissent videamus; maris item tempestates paulatim mitigari et desiderare, disceptantium tamen animos a contentione necdum resedisse. Quin proinde dicam beatos, quibus per freta vagantibus inter frementis pelagi fluctu-

<sup>1</sup> Gen. xxx, 37.



tus pacem invenire licuit, infelices contra, qui inter litterarum otia illam amiserunt? Quid? num Principi pacis servorum jurgia placent? atqui nihil est, quod oderit ille magis, vel diabolus nos ludificat et decipit, suadens Verbum esse creaturam? Si res sic habet, quid est, quod ille Bonus nobis ad hujus arcani adytum tendentibus viam munire neglexit? quamobrem istud non scripsit? quare id ipsum iterum iterumque inculcare omisit, quo ratum ac indubitatum nobis relinqueret, quid ipse sentiret? Audi, quod dicam. Verus Deus nec errare, nec mentiri potest: cumque sit summe bonus, et omnis noxæ osor et ultor, ad omnem honestatem suis nos præceptis excolere frequenter institit; viam proinde rectis corde rectissimam aperuit, diras comminavit iis, qui cæcum, objecto offendiculo, illic avertissent.

III. Decreta scripsit, vocabulis involuta arcanis a perito explicanda interprete, sua oracula medicamentis assimilavit; specie discrepant ista quidem, conveniunt tamen in eo, quod ad eundem scopum restituendæ tuendæve sanitatis omnia collineant. Multum autem interest, utrum a perita manu id administretur, an non; nam si pharmacum, naturam ejus vimque ignorans, ægro porrigas, morbum, quem tollere volebas, letalem fecisti; sanabitur autem, si artis peritus tractabit ex arte medicinam. Qualis medicamentorum natura est, talem esse puta etiam Scripturarum; pauci quidem illa norunt, nec multi sunt, qui in istis hospites non sint, quamobrem non mirum si Dei oracula ab imperito interprete exposita, secum pugnare videantur. Scripturæ pacem ubique spirant, Scripturarum tractatores turbas undequaque ciere student. Quid restat, nisi ut ad testes appellemus, nec tamen unius dicto standum, nec enim id divina æquitas admittit, quæ ex testificatione duorum, vel trium testium sententiam ferendam esse præ-

cripsit; ad ejus ergo augustissimum tribunal causam referamus : testes proinde suos producant ambæ partes.

IV. Cæterum ne claro die tenebras quærere videamini, vocabula ambigua interim omittite, quæ videlicet, utrum ad Domini humilitatem, vel contra ad ejus majestatem referenda sint, disceptant interpretes : alius enim in iis humanam ejus naturam agnoscit ; alius contra eadem ad Divinitatem pertinere credit. Remotis itaque interpretum expositionibus, nuda vocabula in Scripturis expressa Filii, et creaturæ seorsim expendamus. Illic porro statim adversarii utpote in sacris Litteris eruditi, in lege docti, et in Prophetarum lectione apprime versati, Salomonis opponunt testimonium, veluti hujus controversiæ fundamentum. Ille, aiunt, sensit et dixit Verbum esse Dei creaturam, et rem ab eodem ordinatam, ( Hunc Salomonis locum velut portum et perfugium jactatæ fortunæ suæ novatores omnes se habere putant<sup>1</sup> ). Hæc illi : quos tamen breve responsum a mea tenuitate audire pigere non debet. Omnes textus, qui in divinis Scripturis Domini indicant abjectionem, ad ejusdem humanam naturam pertinere tenendum est. Idque ipse clarissime perspicias, modo detur ejus humanitatem transcendere, ubi enim ad ejus Divinitatem perveneris, statim comperies hanc partibus infinitis, et immensis intervallis rerum universarum nobilitatem excellentiamque prævertere.

V. Age itaque, expedi ratiocinationum alas, cogitationumque tuarum pennas explicato, atque intermedia quæque objecta prætervolans, ad Filii Dei solium enitere : sic tamen, ut oculos mentis prius purgare memineris : cumque eo veneris, Filium prius intuere ipsum, deinde Patrem ; tum clare perspicias illum ab isto nullum omnino discrepare ; Patremque penitus esse reconditum, Filiumque per-

<sup>1</sup> Prov. viii, 23.

inde non esse cuiquam aspectabilem. Perge porro et supputa quoties illud idem Verbum Filius et Genitus appellatur, deinde observa, quoties dicitur creatura: cumque summam tenueris, inde veram et propriam Verbi appellationem colligito, attenta more sapientum numeri majoris prærogativa; proprium namque nomen passim et fere ubique usurpari deprehendes, cognomentum autem, seu nomen pro certo proprioque nomine positum, bis terve ad summum incidere.

VI. Jam computatione facta, constat in uno duntaxat Proverbiorum libro ac semel Filium Dei a Salomone creaturam appellari. Quod restabat, cætera hujusmet generis documenta diligenter collegimus, expendimus accurate; comperimus tandem Deum Patrem omnibus signis, Prophetas ore uno, et una voce Apostolos: dæmones uno sensu per omnes, quos vexare solent, energumenos, per omnes, quibus et ipsi vexantur, pœnas, Verbum non Dei creaturam, sed Filium prædicare. Mirum si quis hujus fidei testes falsos credat, vel cohibeat iram, ne in hujus dissidii auctores totam se profundat.

---

## SERMO LIV.

I. Cum cœlorum regis Filius advenisset in terras, populus, cui neuter de facie notus erat, ex voce agnovit utrumque: a Patre quippe Filium appellari audiebat, suoque nomine Patrem vicissim a Filio vocari. Quanquam vel inter abjectæ et humilis vitæ labores idem patuit Deus, talem certe universa rerum natura sensit atque testata est, seu quando trajectum petenti, dorsum submisit mare, seu

terras deserentem subvexit æther, præbuitque aura cur-  
 rum ovanti. Ex legati dignitate legantis majestatem dis-  
 cito, admirare et lauda. Rursus ex famulorum numero et  
 ornatu ejusdem legati stirpem arguito. Etenim cum humi-  
 lem sibi delegisset locum, et inter minutæ plebis quisqui-  
 lias lateret inglorius, cœlo delapsa Angelorum agmina  
 herilis Filii conditionem vocibus et obsequiis publicarunt :  
 quanquam illorum testimonio minime indigebat, qui cæ-  
 teris creaturis infima ancillarum servitia imperabat, re-  
 rumque universitatem ad nutum ubique obsequentem ha-  
 bebant; Genitorem scilicet referebat, cujus silentium cuncta  
 moderatur.

II. Porro suorum domesticorum cura prima fuit, quos  
 proinde magnis opibus et honoribus auxit. At illi nume-  
 rantem ignorarunt, contempserunt munera, etiam seipsos,  
 collatos honores luto et sordibus posthabuerunt. Quam-  
 obrem in terras iterum descendit, et servos cœno erutos,  
 in locum, unde exciderant, restituit. Fefellit incautos as-  
 persum de nostro vestibus ejus lutum; nostras nimirum  
 sordes, ut elueret, asperserat ipse sibi; hanc scilicet ille  
 curam susceperat, unde regis Filius agnosceretur. Paterni  
 sceptri hæredem decebat Patris negotia curare : servum  
 reperit ægrotantem, sanum reliquit, occurrit ancilla fe-  
 bricitans, febrim increpuit, et depulit, ubi defecisse panem  
 comperit, defectum supplevit, provisa suis familiaribus  
 annona, inde Patrem, a quo missus fuerat, laudare do-  
 cuit : quis familiæ suæ amantem non amet, qui servis,  
 ancillisque suis æqualem se præstitit? vocatus ad nuptias,  
 vocantes non repulit, convivas conspectu suo jucundissimo  
 exhilaravit, symbola contulit, vino optimo plenas lagenas :  
 regiones nempe thesauros secum vehebat.

III. Quisque Dei metum peccantium supplicio monitus  
 discat, proprii corporis munditiam curare; templum

enim Dei est; ille siquidem cum Patris sui ædem, templum illud Jerosolymitanum aliquando intrasset, profanos nundinatores inde flagello abegit <sup>1</sup>, quos scilicet contemptus domus Dei testabatur nihil ipsos a Deo sperare. Jerosolymam repudiavit, et ingratis agricolis vineam ademit. Nemo non timeat, nemo rursus non amet Dominum, qui fideles negotiatores commissa fidei suæ talenta duplicato cum sænore resignentes laudavit, severe punivit improbum et crudelem servum sodalium, et familiæ pestem. Diabolum increpuit, quando sub verbere clamitabat suorum satellitum ore, « Quid nobis, et tibi Jesu <sup>2</sup>. »

IV. Sicubi audias Dominum seu tædio affectum, seu itinere fatigatum, cogita hujusmodi affectiones ab ea natura manasse, quam idem ægritudinibus hisce obnoxiam induerat; nostras siquidem perturbationes sibi nobiscum communes esse voluit, qui amplissimas naturæ suæ appellationes nobiscum communicare decreverat, quod quidem cum rudes et inexperti homines discernere non possent, ascitas naturæ nostræ ægritudines ipsi ingenitas esse crediderunt, nec animadverterunt hujusmodi opinionem manifeste refelli ex eo, quod inde sequi necesse erat, ut ex eomet capite, ex quo ei nostras affectiones allinebamus, ipsius dignitatem, amplitudinem, et majestatem nobis arrogare deberemus. Plurimi ad ejus conciones convenere homines aperti et ingenui, nemo fuit, qui ejus dicta sugillaret, illi modo ausi sunt reprehendere, qui de re qualibet disceptare assueti, negabant aliquid esse non dubitabile ac certum; sic erga illum animati auditores, sermones ejus in calumniæ argumenta traduxerunt, dum justitiæ osores et adversarii jus et justum suis strophis pervertere moluntur.

V. Domini sermo simplices et ingenuos mirifice recrea-

<sup>1</sup> Joan. 11, 11 et 15. — <sup>2</sup> Marc. 1, 24.

bat, idem vafros torquebat et veteratores; illi utpote affectionibus vacui dicenti adhibuere fidem; isti, quibus multiplex ac tortuosum ingenium, litigare et scitari instituerunt. « Quomodo, aiebant, potest hic nobis dare corpus » suum ad manducandum <sup>1</sup>? » disceptandi libido illis obstitit, ne immortalis vitæ pharmaco potirentur: quare curandum est, ne similis infidelitatis noxa nobis similem accersat pœnam. Divina oracula nostro igne exploranda non sunt; aptos ad disciplinam Christi Discipulos cum Judæis incredulis compara: dociles illi et pudentissimi non audent Magistro dicenti refragari, rixantur isti et insanunt; quinquagenario minorem credunt Unigenitum, cujus ævum nec definiri spatiis poterat, nec morte comprehendere. Brevi sic habeto: omnis vitiosa disquisitio ad lævam separanda est: ille quoque latro cum Salvatore cruci suffixus, ad ejus sinistram e patibulo pependit, indeque petulanter disquirere et indagare volebat, nimirum disceptantium impudentiæ assuescere volebat. O hominem perditum ac plane desperatum! siccine ex patibulo in Dominum tuum inquiris? Jam vero quis contra non stupeat latronem ad Domini dexteram suspensum; quem e cruce pendentem cernebat, credidit esse Deum, vitamque moriendo asserturum nobis credentibus, eundem cœlo gloriose invectum, et ad dexteram Dei Patris modo considentem. Scilicet patibulum latronem ad virtutem inflexit, nos Angeli Dominum portantes, nec dum a vitiis avocare poterunt.

<sup>1</sup> Joan. vi, 52.

## SERMO LV.

I. Nemo profecto parallelas dicet naturas, quarum processus dissimiles videt; naturam ergo, cujus vi e nihilo crevere res omnes, ab eis immenso intervallo distare necesse est, nec ipsis ullo modo comparabilem esse. Quare si generationem, puta ignis, patentem et conspicuam explicare difficile est, næ tu insanis, si exponere tentas partum adorandum, et admirabiles processus præcellentis naturæ, cujus nutu omnia constant, et ipsa similem non habet. Vere ille sapit, qui tuam, Domine, imperscrutabilem miratur et laudat majestatem. Si cui porro placet de Auctore naturæ disputare, naturam ipsam oportet discutiat prius: quare intermissa de summæ essentiæ rationibus disputatione, ad eum, quo vehi visa est, currum descendamus, videamus, quæ fuerit ejus figura, quæ rotarum ejus vita, quæ animalium illum trahentium natura, quæ mens, quæ ratio, siquidem mente et ratione sunt prædita. Similem currum nullus vidit, non illum sustinet terra, sed ipse se suo per aëra pondere librat, eique aura sternit viam, visque interna tribuit motum: obvia quæque et objecta undique occurrentia spectat immotus; quatuor namque facies sedem obtinent ad omnes mundi plagas obversæ, communem tamen cùm curru scopum habent ac petunt <sup>1</sup>.

II. Cum vero Buzi filius personam Filii hominis currui insidentem se conspexisse referat, cumque currus ipse conversionem non ferat, quid ais? num sedes ipsa situm

<sup>1</sup> Ezech. 1, 11

mutat, aut scopum, quandoquidem omnes se versat in partes? Arcanum miraris et stupes: atqui præstat sede sua sedens, quem ergo aptum dices ad intelligendam majestatem Numinis tali in solio sedentis. Et si quis hanc sibi arroget intelligentiam, edisserat nobis prius minorum Cœlitum naturam, Michaëlis, ut puta, vultum, aut speciem Gabrielis: et quoniam igne et spiritu constare utrumque dicis, quam, cedo, huic similem uspiam vidisti flammam, aut cognatum huic aërem respirasti? Rursus effare, qualis tibi visa est eorum statura? excelsa-ne ac procera, an contra brevis et modica? deinde qui color, quæ forma oris? Et si aliquando tetigisti, quam ex talium corporum tactu in tuo sensu deprehendisti affectionem? Tenes, via quam procul erres? Nunc ad nostrum delabere orbem, scitare, si quem sors offerat testem, qui per extima huic aspectabili mundo spatia vagatus, quæ ibi visa sibi, tibi renuntiet; vel siquidem hoc, quod cernis universum, adeo amplum videtur, ut an ullo claudatur termino, addubites; age, mentis decempenda ipsum metire, suis ille dimensionibus, quæ petis, responsa dabit. Facesse nugas, unum habeto immensum, qui rebus fixit modum, et unum incircumscriptum et infinitum, qui omnia comprehendit finitque certo limite.

II. Cæterum cum sempiternam essentiam audis esse naturam, cui nunquam liberum fuit velle non esse nihil, ejus istuc esse scito singulare decus; cumque sit omnipotens, istuc unum ejus potestati minime subesse; discite primam hanc esse ejus laudem: voluntati, cui totum quod vides, et quod non vides, obtemperat, istuc obsistere; id enimvero cæteras ejus prærogativas coronat. Et quandoquidem divinæ originis arcanum evolvere non licet, si quid de illa diximus, id videlicet dicendum fuit, ut proterviæ suæ puderet improbum scrutatorem, qui non adverterit, quod si ipse non assequitur, quomodo natura a nullo alio



principio producta, ipsa tamen se minime produxerit, quanto remotiorem a communi intelligentia esse oporteat ejusdem essentiae nunquam non existentis indaginem.

III. Quemadmodum, charissime, quod non est, id nec manu tangi potest, nec pugillo concludi, sic nec investigari « Qui est. » Et attende, fili, quomodo quæstionem nobis ipse, quem quærimus, obsignet, quando quod non est, testimonium dicit ei « Qui est », eo quod ipsum, quod non est, sensibus deprehendi non potest. Ab eodem perque eundem discimus, in qualem errorem incidere nobis necesse sit, siquidem obstinemus adhuc indagare primum, qui nunquam non exiit, quem proinde exiitisse invenimus, quando nihil adhuc extabat. Testis de arcani hujus statu rogatus, nullus sane respondeat, persuadeatve quæ dixerit. Perinde nobis accidet, ac per cæcos tramites extraviam vagantibus, quoties inquirere voluerimus, quomodo Deus ex omni æternitate progeneret, et usque modo abditus et incomprehensus perseveret.

IV. Deo docente divina discimus, ipsoque aspirante loquimur. Deum esse sempiternum dubitabile non est, certa hujus thesis notitia ex evidentia rei ducitur, non suadetur, nec enim cujuspiam suadela subest. Hoc autem admissio, cogaris citra quæstionem fateri eundem esse fecundum; nec enim disquirere licet, quod sub disceptationem non cadit. Si Deum esse Patrem dubitas, æternum esse non credis. Dei æternitatem et fecunditatem pio revereamur silentio; ambæ arcanae sunt et abstrusæ, et ab invicem inseparabiles: uti ad utramque pertinet pugna, si quis alterutram impugnet; sic etiam victoria, si alterutra vincat. Uti amabilis est ejus fecunditas, sic est terribilis ejus æternitas. Manuum ad instar altera alteri succurrit, certantique fert opem, et una utrique decernitur corona.

<sup>1</sup> Exod. iii, 14.

V. Operam perdis, si oratorem quæris, qui omnibus linguis omnium linguarum Dominum loquatur; nullum siquidem huic argumento parem sperare licet. Quodcumque dicendo usquequaque totum adæquare nos posse credimus, hoc nobis æquale fingimus, nec ejus naturam nostra majorem putamus : atqui ratum est unum esse, qui vere servus non est, qui Patrem habet, qui servus esse non potest.

## SERMO LVI.

I. Erit-ne aliquis, quem pudeat præclara majorum exempla referre? Majores nostri simpliciter Deo credidere dicenti, nefas esse arbitrati de rebus divinis temere disceptare, et novas de suo serere quæstiones, quas proinde velut objectos in via lapides e medio tollendas, et procul abjiciendas esse statuerunt; has scilicet lites subtilis ille disceptator invexit, qui corda nostra sic compegit et obduravit, ut suo mox gravata pondere, a divinis oraculis ad inanes et absurdas opiniones delaberentur. Quare vehementer gratulor vobis, priscae simplicitatis homines, qui, remotis quæstionibus, Deo obtemperantes loquenti, veram et solidam gloriam adepti estis.

II. Longum Noëmi silentium quis æstimet satis, satisve miretur? qui innatam homini sciendi cupiditatem per annos centum frenavit, ne ad importunas quæstiones descenderet; cumque per ludibrium a coætaneis, hominibus stultissimis, de futuro cataclysmo interpellaretur, fixum tempus ejusdem designare recusavit, sed nec institit ipse investigare curiosius, quo protervos percontatores pro-

priæ temeritatis admoneret : nec enim liquet Noëmo compertum fuisse diluvii tempus post centum annos secuturi. Vel quis Abrahami beatam taciturnitatem contemplatus, non studeat imitari? Gnatum ille optatissimum, sibi que post iteratas promissiones singulari Dei munere concessum ligavit, et altari statim mactandum imposuit. Quis non stupeat in hoc facto viri modestiam, qui nec talis sacrificii causam rogaverit, nec de hostiæ qualitate disceptaverit, nec Deo suum promissum ac receptum abjecerit? Sic præcluserit linguam, et gladium nudavit. Mirabile profecto senis silentium fuit, quando et loquendi causa instabat maxima, nec insoliti sacrificii rationem percontari volentî deerat locus, aut tempus. Quod si Pater non audet de Filio disquirere, quem credebat morti propinquum, ac, si quidem periculum evasisset, tandem moriturum, merito illum de salute desperasse dicam, qui disceptare non dubitat de Filio Dei, cujus Numen Isaaco vitam conservavit.

III. Falleris, si credis Abrahamum tacere voluisse, quia nec pulchre, nec apte loqui didicisset; disertissimum enim fuisse, disputandique prudentia excelluisse liquet ex oratione, quam pro Sodomitis habuit: cum enim illorum patronum se constituisset, eorum causam fortiter prudenterque peroravit, adeo ut Judicem quinquaginta justos petentem flexerit, ut de hoc numero acceptis decem, reos absolveret. Stat ergo Abrahamum loquendi tacendique tempora pro circumstantiarum differentia discrevisse, et loentum quidem, quando nec inanem, nec inutilem suam orationem fore intellexit; conticuisse vero, quando tacere magis expedire novit, quam inutiliter et frustra verba profundere. Perinde etiam erras, si sancti senis silentium ex ignavia profectum fuisse suspicaris, quasi vero jus suum tueri et vindicare metu prohibitus fuerit. Cogita susceptum ab eo contra fortissimos reges bellum: victi fugati-

que fuerant Chananæi reges quatuor, subita hostium irruptione oppressi : victores Abrahamus, coacta statim militum manu, persecutus, commissa pugna, profligavit, et exiit præda, captivumque fratris filium liberavit <sup>1</sup>. Constantia et consilio victoribus victoriam extorsit.

IV. Ex actis Veteris Testamenti disces non hoc esse novum sæculi nostri vitium : illi quippe, quibus amica fuit veritas, publicatam a Mose legem, pronis auribus, et secunda cum admurmuratione exceperunt; legem ferenti paruerunt, et promulganti porrexerunt manus, adeo persuasum habuere eam disciplinam suis fore rationibus tantum utilem, quantum nulla res præterea. Contradixere rebelles, quibus magis errare placebat, averterunt aures, linguas acuerunt, cum lege Legislatorem riserunt, abjecerunt : quamobrem etiam ipsi vicissim ab illo despecti abjectique fuerunt. Ambo testamenta satis demonstrant viris modestis, sanctæque disciplinæ tenacibus hujusmodi de rebus divinis disquisitiones minime placuisse; quippe qui Deo loquenti credere magis, quam ejus verba discutere assuevissent. Sæculi nostri sophistarum vulgare vitium istuc est, cuncta tricis, disceptationibus ac strophis permiscere, et nunquam quiescere. Divinæ Scripturæ, ut alias dixi, pacis plenæ sunt, isti contra bellum assidue coquunt; inveteratum malum usque durabit, dum ferreos homines sua ipsos rubigo consumat.

V. Horret factum quisquis cogitat Mosem ab ingressu terræ promissæ fuisse prohibitum eo, quod jussus aquas e rupe elicere, de effectu tantisper dubitasset, quod quidem gravis culpa non fuit. Filium Dei, qui talem esse negat, quomodo terram viventium intrabit? Ab opificum exemplo pulchre disces neutiquam imperitis licere de opere sibi ignoto iudicium ferre, nec enim omnis ignis omne metal-

<sup>1</sup> Gen. xi, 15, 16.

lum examinat. Quantovis nisu sese intendat indoctus, doctus illo major erit. Quid jam? Si hominis de homine iudicium nutat, supremi Iudicis sententiarum examen sibi quis arroget? sive suis admonitionibus summum credat indigere monitorem? Qui laborat oculis, collyriorum compositionem non examinat, simpliciter sibi profutura credit, ferro se lacerandum cæca expectatione committit, nec refugit caustica, quantumvis sentiat acerbissima. Mirum sane, quod cum nemo codici non credat, ex quo Medicus medicamenta petit et applicat, cumque ipsi Medico assentiamur omnes, suadenti ut de suis ordinationibus minime dubitemus, præscriptasque securi sumamus medicinas neque corpus depascente lue, ab hujus curatione animum ad vanas disceptationes avocemus; divinam e contra sacrarum Scripturarum auctoritatem necdum potuisse plerisque veram de Filio Dei sententiam approbare.

## SERMO LVII.

I. Nullum esse puto, qui ipse se penitus noscat, et quasi manu tangens, sua plane percipiat: alioquin exponat nobis primum, quomodo, et ubi tanquam in thesauro longo collectas studio disciplinas ipse recondat? deinde quomodo ex eodem ærario, quas ante legit Scripturas reddat nusquam prope insistens, nunquam hæsitans? unde ipsi vis tanta, ut quæ sunt dispersa recordatione cogat, amplificet commentatione? Postremum quid istuc, quod otio desidique deteritur, et hebescit? Quidquid hic audis, miraculum est. Supremæ potestatis tuæ, Domine, insigne istuc opus est, tuæque sapientiæ testis.

II. Adytum istud intrare ejusque thalamos introspicere nemini hactenus licuit; nemo huc usque explicuit, quomodo pateat in animo capacitas tanta, quam immensa rerum congeries non exæquat, imo vero dilatat etiam ac amplius fundit. Memoria hæc est, qua quid admirabilius excogitari possit non video! Infinita percipit et reddit, nec tamen acceptorum copia redundat, nec ubi ea regesserit, minus opulenta manet. Cum in ea nihil sit, omnia continet. Ipsam nemo comprehendit, cum incomprehensa sit qualis ille, cujus est imago, Deus ipsius auctor. Rerum verborumque multitudinem forma sensuque discrepantem, et numero infinitam concipit, et conservat sine labore, et optima fide reddit. Nullus in ea vacat locus, nec enim est; in ipsa tamen omnia locantur suis contenta vocabulis. Nec inde ejus spatia contrahuntur, nec deteruntur vires. Nemini huc patuit aditus, nec ullus penetravit ad illa, quæ dixi, rerum verborumque receptacula: hæc nimirum non sensu, sed mente cernuntur, quare extra intellectum, et illam summam essentiam omnia complectentem, frustra petuntur. Haud aliter in sinu veri Patris Filius verus concipitur, et est, adeo ut nec istum, nec illa sensus assequatur, aut locum discernat.

III. Somnus animam a corpore non separat, id omnes norunt, qui somnum a morte distinguunt. Corpore sopito illa simulacrorum artifex imaginatio in omnes se versat partes, vagatur et errat: diversoria perpetuo mutat, ut quo diverterit, aut ubi modo versetur, designare non possis: et quamvis corpore claudatur, eam mundus non capit, adeo tota ubique interest, et superest. Aspice dormientem, ubi somnus oppressit, conquiescit, vagatur tamen, ac omnia ubique loca discurrit. At si animam sua somnia huc illuc volitare compellunt, quis mentem insomnem cum illa simul errare cogit? Præterea quis, discusso jam somno,

sua somnia recogitans, explicet quomodo oculus clausus objecta per somnium vidit? vel quomodo suos non videt errores mens experrecta et vigilans? Multa sunt hic, quæ jure mireris.

IV. Cum rationis usum somnus ademerit, quomodo anima per se, et in se, et contra se somnia fingit, et quid est, quod fictis imaginibus illudi se minus advertit. Sed et qua facultate sua somnia retinet et reminiscitur, dum evigilet pars sui altera, ratio videlicet, et mens omnium sensuum magistra. Postremum quomodo pars parti visa insomnia referat, cum utramque simul somnus oppresserit? Quod in anima supra notavi, in sole miraculum simile observa, constitutam suis meatibus semitam supra se habet; non pedes, non pennas natura dedit, nec motrices facultates. Suo libratus pondere se sustinet, nec labascit, nec quadrupedum incessum imitatur, nec volucrum, nec nantantum ludos, sed certo et uniusmodi motu perpetuo fertur. Nihil hic cernis, quod non omnem vincat admirationem.

V. At tu sole longe admirabilior mens corpori inclusa mortali, agesis indica locum, ubi tuas recondis opes, quave animæ in parte sedes? Quid? num tu animæ inextinctus fulgor, aut rivus es perpetuo emicantis scatebræ? Rursus edissere, quonam aditu ad intimos cordis recessus tui propagantur motus? Tuque animus ex tua ratione deducito, quam admiranda, et augusta sit Dei ratio, seu Verbum divinum. Etenim si tuam rationem rem utique ignobilem, et obscuram adumbrare nescis, quid restat, quam, ut silentio in posterum venerari statuas Creatoris tui Verbum, plane persuasus ejus majestatem a tuo sensu, cogitatione, intelligentiaque esse remotissimam.

## SERMO LVIII.

I. Alterum ecce tibi spectaculum præbent, quas arbores bibunt, aquæ : observa quot illæ induunt formas, quoties supremi Rectoris jussu statum et ordinem variant, seu cum ad ædificiorum firmitatem et ornatum dolantur in trabes, ac tigna ; sive cum construendis pontibus, ac navibus tabulas et asseres ministrant : sic aquas, ipsismet auxilia suppeditantibus, subjugamus. Tuæ, Domine, istud sapientiæ munus acceptum referimus ac testamur. Tactum igne lignum fundit fumum, quis hunc dissipatum et per aëra vagantem assequatur ? Lignum siquidem ignis ardore solutum, etiam sensum fugit, ut nec manu teneri, aut oculo discerni possit. Initium huic surculus dedit, finem ignis, sepulturam mens nostra sola talium transformationum admiratrix. Profecto qui locum indicet, ubi tandem desederint exhalationes specierum odoratarum, nullus est, vel hostiarum crematarum nidor, aut vapor materiarum, quibus domesticus alitur focus, quis tandem hujus negotiationis exitus ? num fumus alio corpore excipitur, ut, ipso corrupto, aliud generetur corpus, aut in nihilum recidit, ut rebus in omnibus rerum omnium Dominum admiremur ?

II. Servus si conservum diligenter quærit, vix unquam non invenit, nimirum qui creaturam persequitur, facile assequitur ; rem quippe petit sibi cognatam, rerum autem Dominum, ipse modo latere velit, quis, quibus indiciis invenire speret ? Compara Dei latique vocabula, quid luto despiciatius ? quid Deo augustius ? Contemnendus adhuc magis est, dum scrutari conatur sui Opificis naturam homo



cum sua nomenclatione, tum vero conditione despiciendus. Insanit profecto, qui disputat utrum creaturæ vocabulum Creatoris nomini comparandum sit; at nec sanus ille sit, qui trutinam commentus, cum Creatore creaturam compensat, nec discernit quantum conditis rebus præponderet adorandus Conditor rerum.

III. Rupto saepe jacebit corpore, quisquis viribus majore nisu se ad altiora intendit. Altissimus cum vellet ad immensam suam altitudinem nos attollere, Zachæo se submisit. Cum statura pusillus ille in alta consedisset arbore, benignissimus illac Dominus transiturus, sua majestate indignum non credidit ejus sub pedibus incedere. Tu vero isthæc meditare exempla, tuisque referre moribus satagito. Loquere, ut prosis; materias tracta, ut doceas; Scripturas interpretare, ut juves; disputa, ut corrigas; ethnicis insistito, ut vanos cultus abjiciant. Judæos redargue, scripturas ipsorum scrutare, et objecta diluito, sancta pueros imbue disciplina, simplices instrue, et crudito rudes, testare Dei beneficentiam, qui te tuosque liberaliter alit, tuetur et conservat, agnosce justitiam, amplissima mercede tuos remuneraturam labores: prædica ipsius æternitatem, qui cum non existeres, e nihilo eduxit te: amplifica ejusdem fecunditatem, qui te in filiorum suorum numerum cooptavit; ejus opperire regnum, ad quod nunc etiam te invitat, et ad mensam, quam tibi offert, aspira.

IV. At te, temerarie disceptator, quis interim absolvat convictum reum, dum tam bene de te merentem tuis incessere disputationibus non cessas? Prostat in libris veritas, quæ delectat; maria condunt opes, quæ alliciunt; sua te suavitate prolectant esculenta et poculenta, nec ipsa ciborum abstinentia sua voluptate caret; his et hujusmodi incumbito vilis homo, quid inepte te ipse crucias, studioque

molestissimarum quæstionum te ipse fatigas? Interim dum Filius regis operariis suis regium ærarium clausum manere jubet, perniciosus componitur error, temerarii et perversi quidam homines hunc Filium regis esse negant, regis potius servum, suumque proinde conservum appellare malunt : unde deducunt coronam ei precario datam fuisse, nec porro illum natura, sed gratia cæteris præcellere. Rex noster regisque nostri Filius suos nobis aperuit thesauros, regiasque profudit opes ; geminos obtulit mundos, alterum transeuntem, alterum manentem : attamen quia donum quantumlibet exaggeratum regis amorem minime æquabat, suum idem Filium quæsivit, nobisque dedit, dedit, inquam, ut ipse se morti dederet, et moriendo nobis vitam acquireret.

V. At quænam (malum) ista fuit amentia, quæ nos in hasce difficultates conjecit? quisve nobis invexit disceptationes molestissimas, damnosas curas, errorum colluviem, extremum malorum? Quis pro charitate obtrusit invidiam, pro bonæ mentis ingenuitate mali animi vitiosam æmulationem? quem reris alium præter diabolum, qui cum videret bonum Deum bonitatem suam nobis nullo nostro merito profundere, illum de nobis gratis bene merentem sic æmulatus est, ut itidem gratis odio nos haberet, et perderet. Quod si posthac diabolus nos instigare pergat, ut in Salvatorem nostrum inquiramus, repellito : apage hinc, dices, nequissime, quin illuc abis, ubi, quæ disquiras, habes non pauca : perduelles prius, cæloque ejectos Angelos reposito, socios nempe tuos, damnatos deinceps examina spiritus, tuos videlicet affines. Gehennam revisito, metire rogam tibi succensum, tenebrarum etiam procellam inibi tibi tuisque præparatam diligenter explora.

## SERMO LIX.

I. Consecratos ad nostram expiationem fontes, nostræque reconciliationis fluentia in aquas « Contentionis et inimicitie » convertit in duas divisa acies disceptantium turba, amplam inde nacta rixarum et contentionum materiam. Judæus in deserto litigavit, litigant in Ecclesia gentiles. Hebræi ad aquas juxta mare Rubrum contenderunt olim <sup>2</sup>, nunc ethnici ad Christum conversi intra sanctuarii adyta simili furore rixantur. Hoc habeant illi, nos vero ob provisam nobis expiationis sacramenta tuam, Domine, charitatem prædicare nunquam desinemus. Rari jam sunt, qui sociis litem non moveant, nec insistant, ut prodant baptismi sui ministrum, et locum; quotus quisque prudens ac modestus est, qui amicum non moneat, et obtestetur, ne a tali sacerdote talis communionis baptismum suscipiat? sic reconciliationis nostræ mysteria in jurgiorum argumenta vitilitigatores isti transtulerunt.

II. Spiritum sanctum in baptismo invocamus: contradixere novatores: rixantur, et delirant, hunc reliquis divinis Personis æqualem esse negant, aut rebus corporcis majorem. Quis isthic homo lutum, qui Spiritui sancto obtretrat, et humilem corporum conditionem affingit. Hic certe corpus nunquam assumpsit; nec in ipso vitium aliquando Prophetæ notarunt, aut Apostoli defectum, nec servum hunc subjectumve prædicarunt, aut creatum ordinatumve, uti Filium, dixerunt; sanctus quippe Spiritus cuncta transcendit corpora, et infinito excessu rebus omnibus excellit. Et sane si decebat, ut Prophetæ et

<sup>1</sup> Gen. xxvi, 21. — <sup>2</sup> Num. xx, 3, 4.

Apostoli Patris et Filii et Spiritus sancti naturam nobis scripto traderent, sique Patris naturam indicarunt, hoc ipso, quod omnia ab eo condita fuisse prodiderunt, ipsumque proinde a nemine fuisse productum : rursus si, uti ipsi novatores effutiunt, Filium ab ipso procreatum fuisse scripserunt, nec esse proinde natura Deum : mirum si tertiæ Personæ notitiam nobis invidere voluerunt, ut quæ, qualisve sit ejusdem natura, nobis occultam manere statuerint.

III. Suetus Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti nomina recitare, nulloque errore memoriter reddere et numerare est -ne possibile ista ignorare? atqui oporteret, ut isti disceptatores, qui vocabula referunt, res vocabulis designatas exponerent. Quæcumque ergo de divina natura scripta sunt, legant, ac teneant; quæ autem scripta non sunt, non requirant, sed ingenue fateantur divinarum Personarum naturam arcanum esse inexplicabile. Eo autem, quod Trinitatis arcanum Spiritus nobis obscurum manere voluit, plane ostendit non oportere naturam Patris et Filii et Spiritus sancti pervestigare, cum id scire parum nostra intersit, plurimum vero considerare divinæ bonitatis erga nos profusam liberalitatem; quomodo videlicet omnibus argumentis, perque omnes occasiones de nobis bene mereri cupiat.

IV. Hoc ergo tibi non ex opinione, sed ex veritate persuasum habeto; quidquid vel scripto, vel verbo traditum est, divinaque proinde nomina et nuncupationes in eum collimare scopum, « Ut vitam habeamus et abundantius » habeamus <sup>1</sup>; » quare nec ad inutilem disceptationem esse detorquenda, neque iis abutendum ad excitandas futes de divinarum Personarum proprietatibus et natura quæstiones : sed ut perspiciamus oppido quam eximia et singu-

<sup>1</sup> Joan. x, 10.

laris sit illarum in nos charitas et amor. Testare proinde Spiritum sanctum incorporeum corpoream substantiam nunquam assumpsisse, incomprehensum esse, nec nostris explicabilem verbis, nedum absurdis fabulis, quæ de illo a novatoribus dissipatæ, in vulgus manarunt. Domini nostri loquere divinitatem, atque humanitatem. Hæc nimirum vocabula divinæ Scripturæ in aures hominum loquuntur, et inculcant.

V. Verbum Dei auctor est pacis, omniaque pacificat, nostro nos vitio nobis inde conflamus bella et pericula accersimus. Dei verbo inhærere piget, fugimus nimirum ejus conspectum, in quem peccavimus. Dum autem ejus auctoritate abutimur, fratrum pacem turbamus, idiotas et simplices corrumpimus, perdimus. Sic, capta ex Dei verbo occasione, in mutua odia exarsimus, nobisque ipsi exitium paramus. Limpidum rivum ab illo defluentem fonte, quem extraneus nunquam infecit humor, turbarunt suis novatores disceptationibus. Turbatas aquas bibit grex pacificus, continuo turbavit pacem, lutulentæ profluentis sordes rivus illimis scatebræ inquinaverunt : inde turbulentum hausere liquorem pastores primi, deinceps oves, hinc nata statim dissidia greges a rectoribus diviserunt. Nec jam oves a pastoribus pascebantur, qui potius seipsos pascere volebant : idcirco quod crassum erat occidebant; quod infirmum erat non consolidabant, et quod ægrotum erat non alligabant, et quod abjectum erat non reducebant, et quod perierat non quærebant. Ezechiel malum, quod præsens vidit <sup>1</sup>, scripsit; quod futurum præsignabat, adumbravit : non est cur dubites, non dubitabilis facti plures habebis testes. Obstrue, Domine, ora loquentium iniqua : « Et pone » custodiam ori meo, ne declinet cor meum in verbum » malitiæ <sup>2</sup>. »

<sup>1</sup> Ezech. xxxiv, 4. — <sup>2</sup> Psal. cxl, 4.

## SERMO LX.

I. Quid? quæ causa impulit illum, qui vere Pater est, et cuncta creavit, ut genitoris et geniti, parentis et gnati vocabula usurparet? Quid? num nobis imponere voluit, aut sibi decus inde quæsivit? istud profecto suspicari impium et nefarium est; nec unquam per ora feratur, oro, illorum, quibus est amica veritas. At tu, qui talia blateras, tua te falsum dicta redarguunt; etenim si ille, cum in veritate Pater non esset, talem se finxit, quis, cedo, arcanum hujusmodi nulli intelligentiæ non occultum detexit? Quis omni ævo antiquior illud propalavit, ut vulgata per orbem ejus notitia, jam a pueris per vicos et fora celebretur? Quisquis scrutatorum causam defendis, loquere, si quid habes. Quid tandem dices? Num forte Creatorem nunquam seipsum negasse, ut Patrem se esse fateretur? Satis-ne tibi hoc certum est? effare ergo, in qua lance suspensa voluntur sæcula, si in ejus appensa non sunt statera? et quis istud crederet, nisi sæculorum auctor diceret se sæcula fecisse per Filium<sup>1</sup>? Jam si Filium ab ec proprie, vereque genitum inde discimus, quod talem hunc ipse Pater appellavit, asseruitque ipsum ab se progeneratum, merito, quem tu precarium, nec verum parentem dicis, nos verum et naturalem genitorem, ipsomet docente, profiteamur.

II. Et quoniam quod novatores negant, Prophetæ et Apostoli diserte affirmant, talem videlicet hunc esse, qualem dicimus Dei Filium, alterutrum tenere cogimur, vel temerarios istos disceptatores vera fuisse locutos, proinde

<sup>1</sup> Hebr. 1, 2.

Prophetas et Apostolos errasse, vel si credimus homines a Deo vero missos vera nuntiasse, protervos hosce sophistas repellere debemus, velut homines falsos et falsarum opinionum satores. Prodant ergo novatores disciplinæ suæ principes; nec enim ea concordat cum regula fidei, quam tradidere nobis Interpretes veritatis, per quos locutus est Spiritus; hujus afflatu concitati, nec in suis scriptis ab invicem discordant, nec secum in suis dictis pugnant. Ita-ne vero silentium indicitur veritatis patronis, ut interim temerarii quidam nugatores insanire pergant? Sed etsi isti furere non desinunt, nos certe illum semper laudabimus, qui talium hominum impudentiam confudit.

III. Revereamur, obsecro, veritatis interpretum auctoritatem, ut nefas esse putemus nomina refigere, quæ Deus Filii sui propria esse sancivit: ipse quippe testatur se illum « Ex utero genuisse <sup>1</sup>, » adjecitque hujus partus rationem non esse vulgarem, non usitatam, sed insolitam, singularem et admirabilem, adeo ut quamvis nostra proles ex nostra generetur substantia, illius tamen adorandæ generationis vix umbram referat. Hoc itaque ratum ac certum de Filio Dei statuamus, hunc ex Patris utero seu substantia esse progenitum, et ex ipso manare velut ex arbore fructum.

IV. Rerum Dominus immundum spiritum nomen prodere suum jussit, nec ille tamen se esse negavit, qualis in veritate erat, quemadmodum nec ipsi perduelles spiritus Domini nomen reticuerunt, ut Scribas suæ perfidiæ tandem puderet, qui Salvatorem mundi cum creaturis confunderent, quem ipsi cacodæmones Dei Filium prædicabant. Scilicet ex vocabulo legionis quod sibi fecerant proprium intelligebant, quod etiam testati sunt, rebus convenire nomina suis: cum ergo Salvatoris nomen ipsius Patrem præsentaret, quod inde conjectabant, proclamarunt Do-

<sup>1</sup> Psal. cx, 4.

minum nostrum esse Filium Dei. Cæterum si vocabulum mortali ejus naturæ inditum afflicto recreabat, quanta nos consolatione permulcebit Dei nostri nomen?

V. Quæ audis Sancto attributa nomina cum re significata compara, statim animadvertes huic illa ad amussim congruere, ut puta, vocabulum æterni ejus æternitati optime convenire, justi justitiæ, et bonitati boni. Ubique nomen res ipsa sequitur; cedo, cur fœcunditatem a proprio vocabulo discedere dicis, et illam ex se genitam prolem habere negas? Nemo profecto non videat, quam bene conveniant nomina rebus, modo Scripturas evolvat; illic nimirum occurrunt imprimis primi hominis vocabulum Adam « Terrenus, » nomen videlicet ab humo, ex qua deceptus fuerat, derivatum: Heva « Vivens, » ex eo sic dicta, quod mater viventium futura esset: Phaleg « Divisit, » ex divisione gentium linguarum confusionem mox secutura. Ist hæc pariter confusio Babylonæ, ubi accidit, nomen dedit. Et quoniam huc appulimus, ubi nobis occurrit vocabulorum confusio, hanc, oro, ab animo simul et ore removeamus, nominaque tria triplici voce ex proprio ordine distinguamus. Et quidem ex iis, quæ apud Babylonem acta narrantur, liquet ad confundendas artificum in eo ædificio tres convenisse Personas, sic enim loquitur Deus: « Venite, descendamus<sup>1</sup>, etc. » Ad unam singularem personam id nemo dicere potuit, dicendum enim fuit: « Veni, descendamus. » Simul hic diaboli astum observa, qui hominum linguas olim confudit, simili post arte, non dissimili exitu turbavit Ecclesiam, susquedeque omnia permiscuit.

VI. Enimvero quis non stupeat factum, ut error ex nostra mala valetudine tantopere invalescet? et nunc quidem exasperatur, gliscitque morbus in dies: verumtamen, si converso rerum statu, concordia redintegraretur, et mutua

<sup>1</sup> Gen. xi, 7.



charitas refloresceret, quis sibi nos parere cogeret invitos, quandoquidem fides nostra cælum terramque ligat et solvit?

## SERMO LXI.

I. Stupuit, qui Domini non horret minas, molarem comminantis lapidem hominis cervici, qui causam offensionis cuiquam filiorum lucis præbuisset. Enimvero quicumque obscuris involutisque disceptationibus simplicium mentes implicant, ipso, quo, feruntur furore, velut molari lapide gravantur, cujus immani pondere pressi, in eos tandem quæstionum fluctus mergantur, unde nunquam emergant. Hunc scilicet commeruere exitum, qui pium odere silentium, vitiosamque curiositatem cæcam ducem secuti sunt. Quisquis proprio spiritu ducitur ad disputandum de Patre et Filio, cum ambo inter se naturali nexu cohæreant, cogitur vel Patrem ad rerum creaturarum conditionem deprimere, si Filium creatura majorem esse negat; vel hunc sustollere, Patrique dicere æqualem, ut ambos extra creaturarum ordinem locandos esse fateatur; alioquin Filium esse similem Patri etiam negare tenetur.

II. Præterea cui vocabulorum potestas prorsus ignota non est, placetque vera loqui, ac certa rataque negare, aut contradicere nefas esse putat, cogitet contrariorum contraria esse consequentia, adeo ut si ex eo, quod divini Verbi nomen creaturis commune facimus, consequatur, creaturarum nomen Creatori commune fore; ita ex eo quod creaturarum nomen Creatori commune esse negamus, consequens sit, ut fateamur naturalem Creatoris Filium creaturam dici

non posse ; ejusdem quippe naturæ sunt Pater, et Filius ; ergo, quod Genitoris naturæ convenit, ejusdem proli convenire necesse est ; radius, puta, lucidus est ; corpus namque, unde propagatur, luminosum est, nec radius in partes sectilis est, quia suo principio congener est, neque tenetur, quia nectitur ex sui nominis origine, eamdemque perfecte assimilatur. Ex Patre disce prolem, ut si genitorem creaturis comparem videas, genitum ab illis minime discrepare credas ; sin autem aliud Patri natura est, aliud rebus ab illo conditis, ineptus, stultus est, qui sibi persuadeat Filium aliqua affinitate, aut cognatione ipsis esse conjunctum : vel ergo Filium a parente distrahat, ejusque neget esse prolem, aut si asseverat eum ab illo progenitum, lite finita a foro discedat.

III. Vide et mirare monstrum duabus compactum stirpibus, ambæ suas destituere naturas, propriaque nomina mutarunt, ambæ proinde carent fructu congeneri. Stirps altera imperat, fructus ejus servit : servit altera, et fructus ejus imperat. Vere novo quos dabunt illæ flores ? Ænigmati interpretationem ex ipso ænigmate sic accipe. Si Filium dicis esse verum, veram ejus generationem negare non debes, servis accenses, quem genitum non credis : restat, alterutrum tibi esse statuendum ; vel enim utrumque, genitum videlicet et generantem, in sue perseverare gradu dicere debes ; vel utrumque ab eo excidisse, nomenque cum natura mutasse. Rursus si tibi Filii vocabulum creaturam sonat, consequens est, ut Filius et creatura, voces esto diversæ, tibi idem significant. Atqui creaturæ nomen natura Filii certe non recipit, eoque proinde rejecto, suæ nomenclationis notionem a generatione repelit. Secus, quæ creatura dicitur, talis non esset, et eum, quem genitum credis Filium esse negabis. At quanta hinc vocum rerumque confusio sequetur ! Si quidem adversarius modo sibi

constare velit, cogitur Filium dicere a Deo simul genitum, simul e nihilo eductum; et sic eo tandem delabi, ut adorandum Filii Dei nomen ac religionem velut vocabulum fictum, et inane figmentum refingat et rescindat, quod avertat Deus malum. Scilicet medium tenere nequit, qui semel ab officio descivit.

IV. Quis alius Mosi animus? quis sensus fuit? cum suum licet illi Deus accommodasset nomen, cœlestique lumine collustrasset, Divinitatem tamen sibi nec arrogavit, neque passus est populares suos falsa aliqua religione seduci; cumque in solitudine a Dei cultu declinassent, idololatrias acerrime objurgavit, et severe punivit, nec ullam posthac occasionem eos a simili errore avocandi prætermisit. Postremum e vita decessurus, adversus refractarios cœlum, ac terram citavit, statuitque sanctæ religionis testes. Quæ rursus mens alia fuit, quisve scopus Apostoli, ejusque collegæ, tum quando quidam admiranda ipsorum opera æstimantes, illos credebant esse Deos, eisque thura parabant, et victimas? ambo enimvero impiam religionem execrati, conceptum ex eo facto dolorem et iram, scissis etiam vestibus, declararunt, ut qui mallent obteri lapidibus, quam divinis honoribus coli. Nec alia sane Joannem impulit causa, ut Judæorum legatos Messie nomen, et honorem ultro deferentes, repelleret. At enim si Joannes conditione servus Dominum sibi congenerem credebat, idem tantus vir, sanctissimus et veracissimus, a suis utique moribus discessisse dicendus foret, et pro veritate grande mendacium obtrussisse, quando palam et publice protestatus est Jesum suum Dominum esse, Deique Filium, quod quidem magni Joannis de Domino testimonium hodie quoque orbis recinit univversus.

V. Quid adhuc quæris? cur Gabriel Danielem divinos sibi honores exhibentem rejecerit? cur Esaias nunquam

audiverit quempiam ex ordine Seraphim Filii Dei titulos nominaque usurpantem? Scilicet non fallit Angelus, non mentiuntur Seraphim, veridicus est Apostolus, nec nobis imposuit, quando affirmavit, vulgavitque hunc esse super omnia Deum. Attende quod dico : si quod de Filio De credimus, fabula esset, deprehensum convictumque mendacium olim succubisset : sola veritas potuit quaquaver- sus se porrigere, latissimeque propagare, ut orientem per- vaderet, occuparet occasum, boream obtineret, et subigeret meridiem; hæc inferos penetravit ac vicit; ad Superos ascendit et sedit; ubique et super omnia regnavit.

## SERMO LXII.

I. Sub ipsa mundi primordia noster nos socius seduxit, adegitque nostris conservis divinum adhibere cultum. Afflic- tis succurrit communis omnium Dominus, exemit vincula plenamque restituit libertatem. Sic ejus munere nos servi esse desivimus, unde cœpit ille noster esse socius; sed et insuper reliquas creaturas velut usurarium fundum nobis attribuit, postquam inventa nostra rejecimus. Inde cœpi- mus adorandum Patrem per adorabilem Filium sancte venerari et colere. Hanc tu, Domine, lucem nobis impar- tiisti, beneficium agnoscimus ac testamur. Adamus cunctis animantibus imposuit nomina (res nota est), approbavit Do- minus, quæ servus invenerat, vocabula, scripsit, et in com- munem sermonem induxit posteritas. Nunc vero quidam Adæ nepotes contentionis cupidiores, quam veritatis, rata Filii Dei nomina in dubium et controversiam vocare au- dent, nec verentur refigere titulos, quos et Deus ipse fixit, et eorum auribus intinavit.

II. Viam se Dominus dixit, quia nos ad Patrem reduxit; et ostiū, quia suum nobis inire regnum concessit. Agnus item appellatus est, quia pro nobis occisus, peccata nostra expiavit. Res, ut vides, nominibus respondent. Quemadmodum ergo sua nece nobis salutem asseruit, ne nudum sine re nomen assumpsisse diceretur; sic nunquam se ille Filium Dei appellasset, si a Deo genitus non esset. Ea quippe nominum ratio est, ut res, quibus imponuntur, representent, seque ipsa quodammodo interpretentur; sic citra controversiam opus opificem prædicat, Creatorem creatura, fictile figulum indicat, genitus genitorem. Qui hujas ratiocinationis vim possit infringere, nullus erit.

II. Vocabulorum confusio ipsa se rerum perturbatricem accusat; cum omne nomen suæ origini aptissime congruat, eamque sequatur, ut puta artificem arte factum refert, renuntiant conditorem conditæ quæque res, et parentem proles indicat. Eho an tute intellexisti nominum hanc esse naturam? Quid ergo? num vocabula cæterarum rerum certa rataque manserint, et unum Filii nomen interciderit? Certe nunc hic te ipse fallis. Non nobis illius nomen periit, qui nos pereuntes requisivit, et inventos eo reduxit, ubi non perire possemus. Iterum ex hoc capite premendus est adversarius. Tu qui nostra distringis dicta, edicito, utrum sicuti nemo disputat, num creatura talis sit, qualem ipsa suo se prodit nomine; sic tute credas consentaneum esse, ut Dominus noster, quem Dei Filium nemo non prædicat, uti nomine, sic re talis sit, qualis suo præfertur nomine. Enimvero si negas, perge porro, et mentire nihil esse in rebus præter nomina inania et nudas voces.

IV. Si quis dictus est genitus, cum nullum haberet genitorem, ficta dices amborum nomina; ambo quippe suis a vocabulis dissident: non sic fructus a propria arbore discrepat, ambo reapse tenent, quod sua præferunt nomina.

Nemo geniti vocabulo servum intelligit, nec Filii Dei nomen creaturam sonare potest, fructus ex suo sapore distinguitur, ac si dulce cum amaro confuderis, ut synonyma dicas, rerum omnium vocabula pervertes. Sed enimvero quis adeo insanus sit, ut rata supremi rerum Domini nomina retractet? in contrariam sententiam retorquenda putet? Cæterum non eo, quod homines quidam divinas aliquando appellationes adepti sunt, suas exuisse naturas dicendum est, ut totam attributi nominis potestatem induerent; propria siquidem suæque naturæ insita nomina revelere ipsorum nullus potuit; hæc autem, sicut ignis metalla discernit; sic veram eorum conditionem declarant. Tu vero, qui Filium absolute appellas servum, dum nobis congenerem facis, te ipse fallis; si enim Filius est, idem et Dominus est, et noster verus Deus.

V. Sed est adhuc, quod mireris. Profecto si qui summi dicitur parentis Filius, idem etiam est servus, talem fecit genitor, hoc ipse dicis, vide jam quam sint præclara iis, quæ posuisti, consequentia! Restat ergo, ut dicas Filii Dei ex Maria originem illa fuisse illustriorem, quam ex Patre trahit: verum siquidem hominis fratrem origo materna fecit, paterna nec hominem, nec Angelum, ergo serpentibus et jumentis congenerem fecit. Uti nemo ficta dicat supremi veri nomina, quandoquidem ejus potestatem suspiciendam, et admirandam, ipsa, quæ audit, vocabula, manifeste declarant; sic nullus erit, qui geniti ac Filii nomina commentitia non credat, si a vera et propria notione defecisse reperiatur; item quia creaturæ vocabulum veram ejus conditionem explicat, convenienter ponimus istud vanum non esse, et recte arguimus inde fluentes appellationes esse veras. Sic unummodo Filii nomen suam proprietatem conservare non potuit? Non istuc, crede, propriam significationem amisit, nos, qui id fingimus, sensum amisimus.

VI. Quis istic homo, cui non sapiunt rata Patris et Filii, ac Spiritus nomina, a quibus fatui sapere cœperunt, et apte loqui? si qua vox a propria excidit notione, id ex adjuncto patitur: nomina duntaxat Patris, Filii, ac Spiritus propriam significationem non variant, cum nihil ipsis affline sit, ut cum iis componatur et constet. Quod si eadem divides, quis nostræ expiationis lavacrum suscipiat, hisce dedicatum nominibus, si nimirum audiat ab invicem distracta? aut quis nudis sine re vocabulis fidem auctorabit suam? Apage nugas: Divinæ hypostases ab invicem non dissident, nos enimvero a veritate dissidemus, qui ejusmodi dissidium induximus. Nec enim Pater esse sine Filio potest, nec Filius a Patre secerni; siquidem nec Pater nuncupari potest sine Filio, nec Filius potest sine Patre generari. Insanit quisquis vocabula societatis et unionis scindere ac distrahere molitur. Postremum quis non rideat inepte garrientem suis se Creatorem post habuisse creaturis, adeo ut istarum quidem naturas propriis nomenclationibus cœquaret et conjungeret, suum contra nomen a sua notione omnimode distraxerit? adeo sua rebus omnibus aptantur, et congruunt vocabula, easque quodammodo convestiunt et ornant, unus duntaxat Pater, et unus Filius proprio nomine nudantur. Novatores enimvero omnium nomina rerum per omnem modum falsa fecerunt.

---

### SERMO LXIII.

I. Sensu carere dices, fili, eum, qui nec dum advertit cognomenta ex aliquo eventu contracta, in negotiis alicujus momenti usurpari non solere; testamenta scilicet, con-

tractus, quæstiones, et cætera hujusmodi voces translatas, et a propria notione deflexas non admittunt : quæcumque ponunt vocabula in proprio et usitato sensu intelligenda proponunt ; ea quippe in actis hujusmodi intersunt circumstantia et consequentia, ut verba velut sigilla ad ob-signandam veritatem apposita videantur. Hinc facile quisque perspiciet non esse distrahendas a propria notione voces, quas Dominus postera die cruci suffigendus usurpavit, quando suum diserte Patrem dixit, eique suos Discipulos orphanos, mox ipso decedente, remansuros commendavit. « Pater, inquit, conserva eos <sup>1</sup>, » quam nuncupationem divinæ originis indicem rursus mirabili extincti corporis sui ad vitam reditu testatus est, ac velut apposito sigillo firmavit. Sic enimvero propriam sui nominis notionem, quasi aurum igne probatum per universum orbem Apostolorum opera vulgavit, suorum credentium mentibus inserendam. Hanc ipsam vocum proprietatem perinde fateri cogimur in iis, quæ in cruce pendens locutus est ; Deum siquidem tum quoque suum appellavit Patrem, eique carnem et spiritum suum commendavit, ea vocis contentione et efficacitate, quæ sola ejus a Deo Patre processionem faceret testatissimam ; nam et sepulcra penetravit, et interiora templi adyta patefecit, auctorem necis suæ populum dispersit, congregavit gentes, eisque suam Divinitatem sic approbavit, persuasitque, ut Deum faterentur verum a Deo vero genitum. Testis vox illa fuit, clamavit, testimonium dixit, se vindicem stitit, scripsit, et obsignavit illum non esse servum, qui ad Patrem suum profugiebat.

II. Cum centurio vir cætera prudens Domini in cruce pendentis custos designatus, cuncta diligenter observaret, ubi animadvertit ad supremum ejus cum Patre colloquium, terram, velut deficiente natura, contremuisse, et contene-

<sup>1</sup> Jos. XVII, 11.



brasse solem, divinitati Domini testimonium inferis superisque perhibentibus, suum ipse adjunxit, conclusitque illis verbis : « Filius Dei erat iste <sup>1</sup>. » Et ista quidem nobis Dominus suspicienda et admiranda dedit, quo tamen ab ipso mitissimum ejus ingenium disceremus ; nullam ab illo nomine « Qui sum <sup>1</sup> » nuncupationem sibi composuit, posthabuitque illud cognomentis, quæ ex operibus gratiæ contraxerat ; hujusmodi quippe vocabulum eo, quo sempiternam et præcellentem majestatem connotat, grande aliquid et sublime sonabat ; quare nec unquam creaturis illud usurpare licuit ; natura siquidem ex omni æternitate per se existens, proprium nomen est Divinitatis singulare et incommunicabile.

III. At vero quis istud non admiretur nomen, aut quis non magis hanc obstupescat charitatem ? et illud quidem præcellit, et supereminet omnibus, ista vero ad omnia deducitur. Quoniam vero alia ei occurrebant nomina suavissima suisque creaturis congruentia, quæ si ipsis communicarentur, splendidis eas appellationibus decorarent, istas assumpsit, suisque ovibus bonus Pastor aptavit. Suos itaque servos superum, inferumque rex regali nomine ornavit, et cum idem sit Deus, Deos dixit, Judex judices instituit, et cum iidem viatores sint, ipse fatigatus ab itinere credi voluit ; sustinuitque jumento vehi, quod eos carpentis rhedisque delectari conspexisset, ut nimirum per omnia similem nobis se daret.

IV. At enimvero desipuisse oportet eum, qui vel levi suspicione duci se sinat, ut ex eo, quod homines nominibus Dei decorati fuerunt, unam esse deducat hominis, ac Dei naturam ; tum ex eo, quod Dominus servorum suorum appellationes sibi accommodavit, arguat fas esse creaturas Creatori componere. Cum enim nos reges suo nomine nun-

<sup>1</sup> Matth. xxvii, 54. — <sup>2</sup> Exod. iii, 14.

cupavit, rem ipsam sibi retinuit, speciem nobis allevit, cumque rerum factarum effector ipsarum assumpsit nomina, naturam ipsis reliquit. Sic a propriis translatas discrevit voces, quas sibi ascivit, vel nobis accommodavit. Appellationes itaque, quibus per ineffabilem charitatem sapientissimus Nomenclator suos servos ornavit, non eo consilio sibi cum illis communes esse decrevit, ut futilium quæstionum inde argumenta desumerent, sed ut ab ipso exercitam erga suos liberalitatem, suavissime sibi gratularentur. Obstruamus, fratres, oro vos, disceptationum scatebras, et ad referendas Deo gratias otia nostra traducamus, qui cum præsentem se nobis exhibet, tali studio nos complectitur, ut nobis compar et congener esse videatur, cumque a rebus omnibus per omnia secretus et remotus sit, adest universis et cuncta permeat, et implet.

V. Cæterum si, facto divortio, se ille nobis subduceret, sua jam nomina suis ovibus communicare non posset, ac si nos tanquam protervos a se procul abigeret, libri divinitus inspirati, laquei nobis, (quod nusquam factum) fierent, quos tamen idem ipse velut instrumenta ad extirpandas perniciosarum quæstionum radices, et impiarum disceptationum ulcera resecauda providit. Jam nunc quis satis mirari queat servos vecordes, perfidos de Domino optimo tam male mereri potuisse, postquam ille per Filium suum ad nos descendit, sua nobiscum arcana communicavit, suorum consiliorum nos conscios habere voluit, atque adeo liberaliter et humaniter nobiscum egit, ut nihil liberalius, nihil humanius, insuper ut suavissimos ejus mores degustaremus, degustavit ipse nostræ consuetudinis acerbitatem?

## SERMO LXIV.

I. Sentes, Domine, precor evellito : hæc diabolus semina sparsit, hujus agricolæ cultu crevere zizania. Interea ejus excursiones, dum vanis disquisitionibus nos vacare vident, gaudio exultant : nostris siquidem dissensionibus illorum conyalescit in dies conspiratio, cumque non insideat domesticis concordia et societas, extraneis conciliatur, dissipatique coëunt, et in unum conglobantur, nobis quippe ab invicem mutuo odio discordiaque divulsis, vident domestico bello implicitis nullum jam vacare locum ad examinandas nostra fornace ipsorum fallacias, aut nostræ disciplinæ luce detegenda eorum vitia, vel testimonio veritatis reclamandum eorum decretis. Atqui hostibus nostra ruina exultantibus, quantus dolor, qualis luctus incumbit nobis, qui talia patimur ! Sic ab officio in contrarium defleximus ! Nimirum in otio tumultuamur, in tumultu otiosi sumus, ubi tacere deberemus, præpostere clamitamus, et vociferamur ; pisces sumus ubi aperte loqui, et peccantes libere reprehendere jubemur. A vitiis nostris mentem cogitationemque abduximus, et traducta ad Altissimum cura, de ejus arcanis disceptamus. At qui disceptatores ? homines nempe, qui nec hostem nostrum satis novimus, premit tamen, et assidue nos vexat. Alioquin si huic sensus natura dedit, explica, cedo, quo ejusmodi facultates ordine illa disposuit, quem designavit oculis auri- busve locum, quod si os etiam eidem finxit, qui id factum dicis, si corpus negavit ? Ac si formavit membra, horum compagem cur infectam reliquit ?

II. Video, tibi hæret oratio in salebra, nec tamen alium

reperies, qui maledictum diabolus nos arcana scrutari docentem, quis, quidve sit, didicerit; utrum videlicet totus totum hominem occupet, et quomodo propriæ mentis conceptus nostris sensibus insinuet, nostrisque voces suas interserat, vel in nostram voluntatem inserpat, ejusque affectus sollicitet. Vaferrimi hostis artes execramur, miramur tamen, simulque erubescimus, ab illo animam, cujus corpus invaserit, impune ludificari, adeo ut nec ejus illa adventum, nec moram sentiat, nec sui contubernalis tactum, noxium-ne, an innoxium? mollem-ne, an asperum explorare queat? Quin ergo prius suum carnificem cognoscere studet disceptator ineptus, qui Domini sui arcana scitatur?

III. Quid? quod nec terram ille suis licet sensibus subjectam discernit, cum tamen ordinatissime disposita sit velut ad amussim. Unde enim extundet, quomodo aristæ impleantur, indeque impleant areas, unde palmulæ liquorem hauriant suavissimum, uvæ vina diversa, et oleum oleæ, proferantque arbores ramos, frondes, flores, poma et opobalsama fundant et aromata? Quomodo semina alantur, augescant, et pubescant aquis? percontare simul, quis harum scatebris humorem ministret, ut perenni fluxu semper decurrant? Scilicet bonus, qui fontium conceptacula implet, idem ipse se toti naturæ profundit, ut cuncta sustentet et vegetet.

IV. Narra, si forte vidisti terrestrem bestiam, Behemut appellant, aut marinum cetum nomine vulgato Leviathan, undenam corporis moles ista crevit utrique? quave sagina pinguedo tanta coaluit, non enim liquet quo vescantur cibo, quisve aliquando ad eorum cubilia pervenerit. Cum ergo supremi rerum Domini origo secretum sit omnium abstrusissimum, et a nostra intelligentia penitus abstractum, quis fuit ille, cedo, qui in sinum summi Genitoris intulit manum magni partus indagator audacissimus? Cons-

tal præterea extare plurimas adhuc rerum species intra terræ, marisque sinus retrusas, quarum formas nemo perspexit, aut exprimere sufficiat; scilicet res omnes, objecta naturalis scientiæ difficultate, clamant: « Discite filii Adæ in vestro subsistere luto, et cælum non appetere, ut divina scrutari aliquando desinatis. »

V. Ego sane a sententia non discedam, nec unquam eo inducam animum, ut vulgi sequar opiniones, consentiamque novas inducentibus voces; vocabula siquidem audivi, nec in Scripturis divinitus inspiratis usurpata, nec nostri digna Salvatoris majestate; examinavi, tandem laudavi, quæ sacris consignata Litteris reperi, reliqua rejeci; ne scilicet, non scripta quærens, quæ scripta sunt amitterem. Aquas rerum Conditor reperit, piscibusque dedit, aptum ipsis et commodum domicilium; fidei regulam et normam morum dictavit ad hominum salutem, Scripturas. Quod antenus se mutuo respectant hæc duo, uti enim si pisces proprii elementi terminos transilierint, saltum propriæ naturæ negatum, nunquam impune ferunt; sic si quispiam homo sibi in divinis Scripturis fixos limites refixit, præposteræ curiositatis ausum nunquam non propria ruina luit.

---

## SERMO LXV.

I. Satis jam satis, causam nunc perora tuam: habes præ manibus naturam, Scripturam præ oculis: et naturam quidem comprehendere difficile est, non item Scripturam legere. Atqui a natura non didicimus Christum; restat igitur, ut unde humana Christi didicimus, ejus inde divina

discamus; tum unde ejus ex Maria nativitatem hausimus, inde ejusdem originem deducamus primam et novissimam. Natura quippe suis involuta tegumentis latet, sola modo Scriptura nos docere potest, qui, quidve sunt Pater, Filius, et Spiritus; tum certos reddere non aliunde nobis præ illis aquas baptismi manare, vel beatæ vitæ usuram. Suis profecto revincitur dictis heterodoxus; vel enim negare debet verum esse suorum gregalium baptismum; vel si ipse illo initiatus, ratum esse non dubitat, Marcionis fabulas ferme repræsentat, qui datos a Creatore cibos sumebat, simul ipsum Creatorem execrabatur; damnabat nuptias, quando fatebatur se communi generationis periodo et usitato more satum, conceptum, et natum. Animadvertis-ne fructum originem inficiantem suam? Quis enim cum baptismum neophytis ministrat, definitam verborum formulam simul recitet, simul ejuret? nec porro ratum habere potest baptismum, quem, resectis nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, interlevit et corruptit. Cum ergo illa formula absolute vera ac definita sit, ab hoc uno disce quanta sit istorum hominum impudentia et perversitas.

II. Nunc ad caput redeo. Hominem reposco, qui naturæ involucra evolvat, indeque nobis proferat arcana, quæ ad cibatum et potum pertinent plurima: multiplices rursus animalium species et differentias, quorum alia solitaria, gregalia pleraque: mirabilem item plantarum varietatem, et per certa incrementa processum, quomodo gemmascant, mox frondescant, explicent ramos, et frugem proferant. Hac enimvero provector, quantolibet conatu evadere tentaveris, ludes operam. Quin ergo talium mirabilium artificem miraris et siles? sed agesis experire ingenii tui perspicacitatem in olea, nihil oculis non geminum offert nuda arboris species; ubi tamen folia emiserit, quantum eadem a suis virgis differant intelliges, quantumve colore discre-

pent a radicibus, et a fructibus etiam sapore : rursus animadvertes in singulis ejus baccis contineri tria, quæ, si olivam distinxeris, statim fluere cernes, aquam videlicet, ignem et oleum. Perge porro contemplare ignem, quid id est, quod intra silices flamma concipitur, lapidumque conflictu atque tritu elicitur, quodve aptam naeta materiam momento sobolescit et propagatur?

III. Solem pro modulo suo speculatur cæcus; nec enim ejus orbem et lumen mente concipere potest, vel ejus imaginem phantasiæ opera sibi effingere. At si istuc velat oculorum vitium; quis cæco dabit solis periodos erroresque cognoscere? restat igitur, ut aliis narrantibus adhibeat fidem; secus si monenti parere recuset, et ducem sequi, ipsum suæ pertinaciæ sæpe pœnitebit, sexcentis mox obsidendum periculis : eo quod disceptare maluit, quam traditæ sibi disciplinæ simpliciter acquiescere, ut ipse sibi geminaret quod sustinebat malum, adjuncta oculorum hebetudini misera mentis cæcitate. Quod si contra testibus vera narrantibus credere voluisset, offusam oculis caliginem justî Remuneratoris sententia dissipasset.

IV. Quid ergo ipsi nos stulto labore maceramus? quorsum ingenium inutili studio fatigamus? cæcutit nempe ad illam incomprehensam generationem humana ratio, nec potis est assequi, quid, et quæ illa sit, nec eo perveniendi alius patet aditus, nisi per fidem, si nimirum Deo testanti tandem credere statuamus. Cæterum si quisque cæcum merito damnat, qui duci suo de natura lucis disserenti temere resistit, cuinam simile judicium timendum non sit, si Deo testimonium dicenti impie refragetur? Tum enim vero dixit, cum Genitor de Unigenito suo illa profatus est : « Hic est Filius meus. »

*Finis septemdecim sermonum ad modos Odarum Bardesanis.*

## SERMO LXVI.

I. Quid hoc morbi est? adeo-ne insanire homines, ut propriæ conditionis oblitī, Conditozem adoriantur, et incomprehensum comprehendere obstinet pulvis et umbra? Quam oppido magis consentaneum foret, ut terrenæ concretionis conscii, divino Archetypo, ad cujus imaginem formati fuerunt, se modeste submitterent! Vaferrimus ille fraudum architectus Adæ posteros a recta seductos, in istas compegit tenebras, concitavitque, ut solem ab ipsorum sensibus abstractum appeterent, non ut cernerent, sed ut curiose indagarent; ut his videlicet capti dolis homines, trium personarum gratia eluti, sordes, quas sacro expiati lavacro deposuerant, iterum resumerent, dum circa illarum nomina dimicant.

II. In Ecclesia congregati disceptant, et præsentē veritate, ad futes quæstiones delabuntur; æmulatio et invidia homines in Ecclesia efferavit, rabidi se invicem mordent: atqui servavere pacem in arca feræ. Obtentu tuendæ veritatis expediunt arcus et jacula vibrant: disceptandi rixandique libido pharetra est, quæ dimicantibus affatim tela ministrat. Simplicibus et imperitis veterator versutissimus illusit, et a vera disciplina seductos insolubilibus et desperatis quæstionibus implicuit trivitque; ad appetendam negatam homini scientiam incitavit, ut a permissio utilis doctrinæ studio eos avocaret. Isto temulentos mero cepit illico vesana disputandi cupido, cæcus contradicendi ardor armavit, veritatem vestem esse arbitrati, conscindere tentarunt, sed frustra: ea quippe una et individua est, quare contra accidit, ut ipsi, cum illam dividere molirentur, ab



invicem divisi, simul etiam a regno Dei rejicerentur? Nec idcirco arma ponunt, bellum parant, victoriam sperant; at quam? quæ videlicet, ficta speciè, veram cladem mentitur. Scripturam terunt, non ut pia lectione proficiant, sed ut liberius errent, indeque redeant ad disceptandum rixandumque paratiores. Venenum condunt occultum, hoc serpens per ipsorum ora sibilans convincit. Quis rixantes comescat, quos credit veritatis amore trahi? Stultissimi homines fixos in via regia indices deseruere lapides, quove liberius errarent, avia et deserta invaserunt. At enimvero illi uni dabitur regis conspectu donisque potiri, qui institit regis tenere viam.

---

## SERMO LXVII.

I. Veritas in Scripturis proponitur, uti jaculantibus metæ centrum, quo cum collineare non liceret iis, quibus caligabant oculi, jacula in Dominum Angelorum direxerunt. Disce itaque propositum tibi scopum hunc esse, Patrem ut fatearis unum et individuum esse, unum Filium et incomprehensum. Meta conspicua est et in bono lumine collocata: qui autem a mente decessit, quodam impetu ac temeritate ductus, sine judicio jacula mittit, densa nimirum caligine septus, scopum collimare nequit. Sicubi ergo de divinis arcanis inciderit sermo, taceant rhetores, naturæ indagatores absistant: verba prius cor examinet, fanda ori tradat, ne post pœniteat nefanda fatum. Quisquis doctoris locum obtinet, quæ docturus est, discat ipse prius: doctor indoctus cymba est, merces vehit nullum habituras usum.

II. Codices Deo dictante perscripti, quasi speculum nobis suppositi fuerunt; quibus acies obtusa non est, veritatis imaginem in iis pictam vident. Patrem illæ repræsentant tanquam Archetypum, et ex ipso expressos Filii et Spiritus sancti vultus. Horum trium nomina originis serie disposita, pura fide suscipimus, et ad baptismum usurpamus; nunc vero nova mentes hominum incessit cura perturbavitque. Examinanda esse clamant divina, quæ didicimus, nomina, conquisitisque rationibus eorum ratam certamque notionem esse demonstrandam; qua data porta, erupere statim concertationes, discordiæ et lites, fugitque veritas. Atqui non istuc profecto rerum nostrarum ratio postulabat, quibus multo magis expediebat quantulamcumque veritatis particulam tenere, simpliciter credendo, quam disceptando, eandem ex toto destitui; beatam vitam cum inscientia adipisci, quam cum ista scientia in æternam mortem incidere. Enimvero magis tua refert aquam, si sitis, bibere, quam fontem metiri; quid enim? num non magis intersit pueri ex vultu patrem cognoscere, quam aliunde ignotum et incertum, captatis undecumque argumentis, investigare? Hoc ergo statue, veritatem moribus sanctæ fidei consonis, non absonis absurdisque disceptationibus esse addiscendam. Tuque beatus piorum cœtus vide, ut intra hos limites te contineas: contentiones facessito, amplectere charitatem, prædica veritatem.

III. Ille repertor et constitutor omnium, cum ab initio mundum moliretur, beneficentiæ suæ thesauros aperuit, profuditque imprimis Adamo, quem ex limo formaverat, cujusque postmodum extincti cadaver in cinerem jam reductum, diffractis inferni claustris, restituit et crexit. Paradisi fores patefecit, facta exuli spe reditus, et promissa ligni vitæ usura. Jam illum laudare discito, qui hujusmodi fabricavit clavem, quæ quidem una est et omnes aperit

thesauros. Prædica item Patrem, ejusque personam reverere arcanam et abstrusam : prædica Filium, ejusque originem silentio obsignatam adora : lauda Patrem incomprehensum, et inscrutabilem Filium cum Spîritu sancto magna. Nunc oro te, Domine, silentium et vocem largire mihi ; vitæ nempe præsidia meæ, tum ut absistam investigare te, tum ut te laudare non desinam.

---

## SERMO LXVIII.

I. Divinæ Scripturæ sibi mirifice cohærent; homines secum perfracte dissident, ab una veritate in plures distracti sententias : dissidium peperit nata ex arbitrii libertate opinandi licentia. Viles animæ veritatis studium prætendunt ad speciem, primatum revera affectant : ficta veri larva, illectos plures sibi adjunxere socios, sic aucto gregalium numero, sectæ principes audire cœperunt; additi post alii in errore duces, tribuni, centuriones, et decuriones. Pax et otium seditiosorum numerum auxit, divisitque in turmas, plagiarii jam omnes sunt, sociorum alumnos abducunt sibi que tenent. Quæstiones exercent quasi arma, fratres in fratres incursant, et jacula mittunt. Heu triste spectaculum ! lingua sica est, hoc ferro dimicant, cæduntur, cæduntque vicissim : incruentam pugnam haudquaquam horrent : hujusmodi gladium stringit ignavus quisque, et quilibet cæcus lingua ferire novit, contemnitque hujusmodi cædem.

II. Inanis et fucatæ gloriæ cupido disceptatores accendit, et athletas fecit, qui alios ferirent, ipsique haudquaquam incruenti ex arena discederent. Victoriâ vides

oppido quantum luctuosam, hanc sibi gratantur victi, cum sibi vicisse videntur; causa siquidem pugnae sola impudentia fuit, malum, quo vix aliud majus homines patiuntur. Tu-ne athletam vicisse dices, qui vincendo magis ipse victus est, quem ex pugna reducem superbia invasit, et oppressit? Quantum proinde profuisse putas victo ingenue fatenti arcani, de quo disceptabatur, difficultate se fuisse superatum: hujusmodi profecto damnum quisque sapiens lucrum deputat, et magnum quæstum; enimvero si disputando quantavis cum gloria adversarium viceris, si tamen victoriam superbia sequatur, victor ipse velut in barathrum prolapsus, versam vicem dolebis, teque turpissime profligatum intelliges.

III. Hujus ingenii homines alii odia coquunt, alii contentiones et lites quærent, sexcentorum malorum causas. Quæ autem superest spes desperatorum hominum more agentibus? Lamentabilis profecto est istorum casus; quippe qui adversus Deum et homines dimicant, ut eorum gloriam obscurent. Obtrectationes humi jactatæ in sublime feruntur, et Cœlites feriunt; imitantur fumum, terram conturbant, cœlo velum obtendunt. Cœlum, coque superiores orbis profanas disquisitiones non ferunt, ecce autem cœnosæ scrobes altercationibus convitiisque divina temerantibus fartæ sunt. Rorem et pluviam, quibus vix aliud quidpiam utilius profundit aër infimum hunc orbem tenentibus; rependunt isti, quas componunt, contumeliosissimas quæstiones et impios tractatus: lutea simulacra temere disceptando et perverse agendo confingunt, quæ tamen eo, unde decerpta fuere, mox resoluta, recidunt.

IV. Et sane cum decies centena millia Angelorum tacere, quam disceptare malint, mirum est videre vermiculos duos, corpus et animam tumultus concitare et ciere turbas. Conticuere Michaël, et Gabriel, ecce autem lutum cum

pulvere litigat. Tanta est nostris inducta rebus confusio! percrebuerunt morbi, conticuere nugatores, quod si disceptare pergant, mors certe quæstionibus litibusque finem afferet. Tibi, Domine, meum grator otium, qui me ab omnium heterodoxorum disputationibus continueris, mandans. ut solitarius tecum agerem.

---

## SERMO LXIX.

I. Vada cæca subis homo lutum, si essentiam sese existentem indagare velis, ignarus unde ratem solvas, quove tandem appellas. Quin ergo viam regiam ingrederis; hanc quippe tenentibus tum introitus, tum exitus accidit lætissimus. Ingenitam substantiam nullus definit ortus, aut interitus, omnem proinde sua immensitate prævertit indagationem. Cave igitur ne circa eam, qua imbutus fuisti, veram disciplinam, anceps dubiusque hæreas; hæsitantem quippe et incertum protinus corripiet, et absorbebit error, velut aridam solum cadentis pluvie guttam. Iterum cave ne in ejus arcana temere incurses, vadum tentanti occurret mare ingens, et frustra reluctantem rapiet et merget. Sit tibi cymba fides, et doctrina divinitus tradita, sacris consignata Litteris, hoc vectus navigio, velut in portu tutus navigabis. Supremæ illius veritatis codicibus destitutus, vide ne te ejus pelago committas, plures illa munivit portus sua freta navigantibus; beneficium agnosce et auctori habeto gratiam.

II. Descendit ad ima Altissimus, et minimum se fecit maximus, id jussit amor, suasitque, ut passus suos infirmioribus necdum gressum explicare potentibus commeti

retur; quin et eodem suasore annuit fieri mare pauperiem fugientibus, et huic potentibus ex negotiatione remedium. Nec tamen inde sibi licere putet lutum rem tantam propriæ naturæ viribus committere; nec enim summis nedum infimis huc veniendi conceditur aditus. Ad investigandam Divinitatem nullam creâti mentibus reliquit viam intercapedo immensa, illas ab invicem dispescens, nec tamen ulla creatura a Deo disjuncta est; facit hoc charitas. Incredulo scrutatori omnis ad Deum negatur accessus, nec tamen difficilis esse potest, qui cunctis patet a divinis et summis, humana et infima secernere et internoscere assuetis. Ei, qui impurus est, quid commune sit cum Sancto, qui totus in sanctis habitat? Ad eum, cui nihil tectum, nihil occultum latet, nullus patet aditus simulatoribus et malitiosis; scilicet ingenuos et apertos ille diligit, odit supurbos Altissimus, ac temere accedentes rejectat; ejus nempe voluntas ad humiles tota sua inclinatione propendet. Deum homo non sentit, quanquam hominis amantissimus Deus, et in ipsum se totum effundat. Summus ille rerum repertor a rebus ab ipso factis non capitur, esto suam ob magnitudinem nec ipsæ capiantur. Illum, qui solus habet immortalitatem, a mortalibus explicabilem dicere, ineptum est, aut ipsius Unigeniti ab eo processum, a disceptantibus aliquando compertum. Et sane cuiam dabitur illam comprehendere majestatem? spiritui-ne? atqui infirmus est; num animæ? atqui perfecta non est, nec omnes suos habet numeros; quid? corpori-ne? atqui lutum est. Quisquis ergo superbus jactat se potuisse Deum investigare, imo etiam nunc compertum habere, huic lingua non constat, vagatur cor, totum deseruit pudor et modestia.

## SERMO LXX.

I. Ita-ne credis oculos, qui e nihilo crevere, suum posse speculari effectorem, opus opificem? Spiritum, qui nostrum animat corpus, nec sensu, nec intelligentia percipimus : etenimvero si hoc negotium ratiocinationibus transigendum putas, habebis quidem multos assentientes meliorem nostri partem esse animam, negant tamen alii, et fabulam esse aiunt. Vides nascituram hinc simplici populo offensionem? omne licet ad hanc curam conferamus studium, is qui, quo se ipse videat, lumine caret, quosnam, cedo, oculos in Divinitatem intendat? quave facultate suum Artificem comprehendat, qui nec ipse se tenet. Littora rade levis cymba, ut, exorta tempestate, tibi tutum in fida statione perfugium procul quærendum non sit. Scrutator tuas metire vires, sique tibi mens labat, et incertus erras, sileto; nec porro silentium a te procul abest, aut magno stabit tibi pretio, multo majoris veneunt quæstiones et lites. Sed nec petulantem scrutatorem vis ulla cogit, quando nec lex libertati necessitatem inducit, esto simillima cogenti videatur. Jam si lex ad agendum quod præcipit, vim nullam affert, quodnam quæstionum genus ad perscrutanda divina invites impellat? Legislator condidit legem, disquisitionem seposuit, utrumque ejus Testamentum accurate revolve, nulla disputatio, nullave tibi quæstio occursabit legenti. Legem dedit, depostulavit ubique fidem, quæstiones nusquam, ut qui nostram imbecillitatem non ignoraret. Res, quas ipse fecit, nostræ intelligentiæ patere noluit, quanto magis propriam naturam per

se abditam nobis inscrutabilem, et incomprehensam manere volebat!

II. Filius ex ipso genitus, Genitorem sine ambiguitate novit, qui circa modum, quo ille quærendus est, non fallitur. Errant enimvero naturæ quæque creatæ, quæ illum se posse invenire sperant; consentaneum namque est res factas ad effectorem suum deficere. Ad summa licet ejus nos amor extulerit, homines tamen nos esse meminerimus, ut naturam e nihilo creatam, naturam ex se existentem indagare non posse ingenue fateamur. Quisquis enim nihil aliquando fuit, se ipse fallit, si eum, a quo accepit, ut esset, vestigando assequi se posse credit. Ne autem ipse tibi undecumque laqueum facias, ratum hoc habeto, longam etiam disceptationem tibi nil collaturam, quominus doleas infinito adhuc spatio a tuo te Creatore remotum.

## SERMO LXXI.

I. Enimvero fieri non potest, ut ex materia creata fingatur vas immensæ capax magnitudinis, cum ad Divinitatis scientiam angusta sit creatæ mentis capacità, imo nec habeat ullum cum ipsa proportionis commensum. Non est sapientissimi Creatoris inepte disceptare secum, quomodo, quove usque suum ducat opus. Nam si suæ amplitudinis capax meditetur vas, effectum effectore majus erit; tale autem opus nec stultus imaginari potest, modo meminerit nec opus Opifice perfectius esse posse, nec isto Opifice quidpiam excogitari posse præstantius.

II. Jam si res conditas suus Conditor immenso superat excessu, quam dabis aptam ad ejus intelligentiam mentem,



ipsique proinde commensam? næ tu vehementer erras, et incredibilia narras, quanquam omnem admirationem vincunt cuncta, quæ fecit; scilicet, cum nihil Deo majus excogitari possit, consentaneum erat, ut ea, quæ ab ipso creabantur, nec diminuta, nec imperfecta prodirent. Nullam ergo creatam rem parvam députes, quia Creator ejus magnus est. Attamen, ut ea maximo excellat, Creatori collata nulla est; nihil tamen eorum, quæ fecit, ei pretiosum non est, ea est ejus charitas; nec item non exiguum, et vile, ea est ejus majestas: neque secum, ut dixi, Conditor pugnat, ut aliquod sibi commensum creet, nec artifex sibi contrarius est, ut arti limites figat. Nulla Creatorem a suis alienat invidia; oves namque suas immensa charitate complectitur, nec ideo fieri potest, ut res creata Creatorem intelligendo perfecte assimilet.

III. Scripturæ clamant quamlibet rem creatam, etiamsi in summam dignitatis et gloriæ altitudinem assurgat, Creatore nunquam non fore minorem. Hæc tamen et hujusmodi dicta de illo Unigenito ejusque genitore nemini credere fas esto; Prophetæ siquidem et Apostoli prædicant, testantur supremi et infimi illum esse Altissimi Filium: sed et ingentia ejus opera orbem universum circumspicienti obvia, vel oculis captos convincunt. Quis modo sonora talium præconum tonitrua surdis prætereant auribus? nemo sane extra scrutatores. Plurimi tamen ut sint ejus laudatores, nullus magis idoneus testis est, quam ipse sibi, suis ipse sibi operibus locupletissimum præ omnibus suarum laudum buccinatoribus testimonium dicit. Divinitatis vis oculos mentisque aciem hebetat; radius solummodo ex illa emissus ei parilis est, et quæ ab illa emanat, lux ipsam repræsentat, extra istam nemo.

## SERMO LXXII.

I. Quicumque audis quæ dico, limitem ipse tibi figito silentium. Multa sunt, quæ vehementer admireris : vide, ut vacuum ad eadem animum appellas. Aderit tibi Deus, ea, quæ dicit simpliciter, credenti, aberitque et sua dona negabit, si puræ fidei præposteram disquisitionem anteferas. Nequit, crede mihi, longa et operosa disputatio Deum consecrando assequi; procaces indagatores ille retrusus in se occultusque fugit : aditum una tibi patefaciet fides; ille introductus, cum ipso habita : etenim si tibi contingat sub ejus succedere umbram, inventum tibi gratulaberis, modo sequestratus a cæteris curis ad quietem et silentium te composueris. Verumtamen hoc habeto ratum, ad hanc attingendam metam, minime profuturum quemcumque illuc intenderis cursum; viribus namque tuis, si ille suas non adjunxerit, profecto nec an ille sit, ad veritatem persuasus redibis; sed nec si totam ætatem in disceptando teras, aliud tandem extundas, quam ut ex opinione scias Deum non esse nihil, proprioque experimento comperias, qualibus cum difficultatibus luctandum sit salebrosam hanc ingredienti viam, nullum cæteroquin inde fructum reportaturus, quam ut hanc ipsam difficultatem non ignores.

II. Ingenue quærenti manifestus occurrit Deus, idem callidum perscrutatorem fugit, facesse nugator. Abditus ille tibi ignotus atque retrusus in obscuro delitescit; nulla locorum regione circumscriptus rebus omnibus superest, interest et subest; cum absit a te, tibi præsens est, vide utram partem versus pergas, an ubi scrutanti ille se occultat, an ubi adoranti se offert? Sua idem se bonitate prodit, sua

etiam se natura celat. Occultam reverere majestatem, manifestam beneficentiam propitiato. Ipsius patent thesauri, persona latet, hanc indagare volenti objicitur profunda et ingens vorago. Age itaque et, remotis disceptationibus, ad conciliandam tibi ejus gratiam incumbito. Inexhausta ejus bonitas te lutum invitat, quo e propinquo cernas, qualem tibi thesaurum, omnium scilicet bonorum copia cumulatissimum, ejus in omnes homines beneficentia preparaverit.

III. Obstat ejus Numinis vis vehementissima, quominus in eum oculos defigas, et explores, quis ipse sit, et quantus? Quod si audax explorator præscriptos tibi limites transilire non dubites, qui res prætervolat omnes, quomodo hunc ipse prævertes? sique præverteris, quis te excipiet locus, cum extra ipsum nihil sit? Fatere igitur, nec tuarum virium esse illum prætervadere, sed nec attingere imo nec extra ipsum alicubi consistere, ut videlicet ipsum ubique mireris et stupeas.

IV. Sed finge tibi concessum ad omnia penetrare loca, occurret ille tibi ubique; nec tamen veniet, ubi non erat; nec abibit, unde recedet. Angustum et breve fretum esse oportet, quod tibi transmeabile est, cum autem immensa te ab illo dividant spatia, etsi nunquam tuo non assideat lateri, quam, cedo, viam illum pervestigaturus inibis? Non enim ille imitatur ignem, ut cum absens sit, quatenus corpori applicitus non est, simul eidem sit intime præsens, habet hoc ignis ab imbecillitate corporum, quibus cæteroquin ejus applicatio intolerabilis est: nec item ille soli similis est, qui si vim suam oculo non attemperet, officit. Quod quidem non tantum vim solis arguit, quantum oculorum vitium. Neuter igitur, seu sol, seu ignis Domino rerum comparandus est; quippe qui suis se subjectis immiscet, absens simul et præsens, quæritur, simul omnia

portat, hunc fingimus a nobis remotissimum, cujus pugillo continemur. Oceanum nec vasa amplissimæ magnitudinis capiunt, nec ejus immensa metiri spatia possunt. Hoc, quod orbem cingit, mare si Conditoris magnitudini componas, gutta est. Cave ne huic pelago te committas, ni velis incertus per cæca perpetuo errare vada.

### SERMO LXXIII.

I. Solem habes Patris symbolum, imaginem Filii lucem, Spiritus sancti typum ardorem, cum unus sit Deus, Unitas Trinitatem non excludit. Arcanum istud quis capiat, aut quis enarrabit? unus et multiplex, unus et trinus, personæ tres et unus Deus. Grande ænigma, quod intelligentium substantiarum omnem exhaustit admirationem. Radius splendor est a sole emicans, distinguuntur ista, inter se tamen cohærescunt, adeo ut etiam sol dicatur et ipse ab illo emicans splendor. Porro quemadmodum solis radius rebus sibi subjectis sol est, nec ideo duos dicimus soles; sic esto Dominus quoque noster suis per carnem affinis sit creaturis, Deus est, hic tamen personarum numerus nec duos affert Deos, nec Divinitatis ratio simplicissima Personarum numerum excludit. Hoc autem involucrum quis revolvat, nobisque explicet? nemo sane, uti nec calor ac lucis cum sole nexum, quo fit, ut splendor eidem alligatus, ab ipso nunquam decedat, calor contra, illo discedente, permaneat. Sol, radius, et calor nec separantur nec confunduntur, distincta copulantur, alligata nectuntur, soluta vagantur. Solem aspice et mirare.

II. Quinam dabitur ista attingere, nedum tractare, etsi

exposita et conspicua oculis cernantur. Seu tactu, seu visu a sua luce discerne solem, si potis es, calorem ab utroque dirimito. Sol summa tenet, infima ejus calor, et influxus etiam abditissimos terræ recessus penetrat. Res per se occultissima in omnium oculis transigitur. Quandoquidem missa a sole lux, undique terram collustret, eadem oculum ingreditur, ejusque in pupilla quodammodo corporatur; succedente mox somno lux oculum deserit mortuo similem, expergefatum revisura.

III. Cæterum quomodo lux oculum subeat, uti nemo satis percipit; sic nec tu intelliges, qua ratione Dominus nostrum negotium curaturus, Virginis uterum intraverit. Lux ubi oculi pupillam occupaverit, continuo decoram sibi faciem componit, indeque egressa, totum circumlustrat orbem. Sic nempe salutem reparaturus nostram Dominus, vile corpus induit, et natus universam rerum naturam expiavit. Splendor e sole manans, suum non fugit fontem, a sua scatebra nunquam divisus, suum rebus dispensat calorem; nec aliter Dominus immotus in se permanens venit in terras, suisque Discipulis suum infudit Spiritum.

IV. Parallela sunt hæc rebus impressa obviis, tuisque subjecta oculis, ut discas objecta menti de Deo trino dubia discutere, si qua salutis tuæ te tangit cura. Ut cætera non videas, vides utique quam difficile sit cognoscere, unde tuamet constet vita. Unus et ipse es, idemque trinus, trinitas es et una singularis substantia.

## SERMO LXXIV.

I. Quis mihi tribuat, te magnum diei lucisque parentem inspicere et mirari? magnopere namque delectat contemplari expressas in te tui Domini multiformes imagines. Quis enim mihi hujus sideris explicet calorem, nunquam a suo fonte divisum, nusquam non diffusum, conspicuum divini Spiritus symbolum: caloris ejus vis res afficit omnes, totus universas, et singulas totus; cognatæ luci semper cohærens, ab ea nunquam divellitur; soli immersus, ab eo nunquam dirimitur; panditur quaquaversus, atque a subjectis corporibus concipitur juxta uniuscujusque modum. Hoc scilicet homini a conditione sua nudo frigoris remedium provisum fuit, quo simul transmitteretur ad sobolem paterni criminis notitia, ob quod turpiter nudatus algere cœpit. Gratissimus est iis, qui ad opera destinantur; calore quippe depulsa, quam ex frigore contraxerant, segnitie, alacres ad opus quodlibet se accingunt.

II. Divinum hic recole Spiritum, qui Apostolos afflavit, distribuitque per quatuor mundi plagas, et ad perficiendum multiplex salutis humanæ opus incitavit. Uti calore solis omnes terræ proventus maturescunt, et perficiuntur; sic Spiritus sancti operatione optima quæque capiunt perfectionem et absolutionem. Clare vides ambo esse parallela; atqui clarius intelliges ex consequentibus. Algor hyemis calore veris frangitur: Spiritus sancti luce vitiorum caligo dissipatur. Uti calor corpora gelu astricta, solvit; sic vincula, quibus diabolus nos alligaverat, Spiritus sanctus diffringit. Vere novo aves calore solis hilaratæ lætitia triumphare videntur; sic nempe Discipuli Spiritus sancti ad-

ventu præsentiaque gestientes exultarunt. Calor injecta a sæviente hyeme prægnantibus surculis frugibusque frena dirumpit. Nec secus divini Spiritus illapsus objecta disjecit impedimenta, quibus diabolus omnem nobis commeatum intercipere moliebatur. Calor rigentis terræ viscera quatit, pigritiam increpat, et ad opera interrupta revocat; simili cura Spiritus sanctus Ecclesiam suam ad pios labores assidue sollicitat. Oppido quam incertus et palanti similis errabit, quosve impinget in scopulos homo lutum, dum immensum illum thesaurum invadere et explorare pertentat! vel quousque suus illum auferet error, dum obstinat suis æquare passibus eum, qui omnes mundi partes occupat et prætervolat!

Si frigore labia astringi contingat, facultas loquendi continuo adimitur, admotus illam restituit calor, soluto gelu sublatisque linguæ, orisque impedimentis. Sic olim Spiritus sanctus conformatam in figuras linguarum flammam Domini Discipulis applicuit, simul indecorum silentium rupit, abstulitque metum, quo velut inducto gelu obsessi, tacebant. Cum enim populus gelidæ ad instar brumæ, coitione facta in Discipulos incubuisset, Spiritus sanctus igneas linguas accendit, quibus frigoris vim fregit, metum a Discipulorum cordibus depulit, orationis expertes vocales fecit, linguis nimirum linguas medicari volebat. Victus diabolus fugit, velut hyems adventante vere: succubuitque populus ira ubique fremens, februario qualis torrente fremebundus gelu: tum vero nova carmina cœlestes sonuere alites, accipitrem ac hyemem æque contemnentem. Hæc solis calor nobis exhibet mysteria, primoribus velut descripta lineis, quæ postea Spiritus sanctus absolvit perfecitque. Sed enimvero quis ista capiat, aut enarrare sufficiat?

## SERMO LXXV.

I. Miraris solem homo rrgilla cretus? lucerna tamen est in tuos fabricata usus : nec porro reperis viam, quæ te ad perfectam ejus cognitionem perducatur, jactas tamen te ad solis Conditozem ocizs perventurum. Oh superbus es, qui tantum tibi arrogas! homo nosce te ipsum. Substantia solis etsi eam apprehendere cupientibus pateat, sua tamen subtilitate tactum eludit, nec minus visum ejusdem calor quantumvis defæcatus, et purus; adeoque nec oculis subjicitur ejus calor, nec manibus subtilissimum ejus corpus tangitur. Gustus, auditus, et odoratus tres nostri corporis sensus tria prorsus in sole ignorant; nec enim solem palatum gustavit unquam, nec orientem odorantur nares, aut aures audiunt rutilantem, perpetuo tamen circa terram sol volvitur : adeoque tres corporum nostrorum sensus ad captandam solis notitiam nobis inutiles sunt, quantumvis circa nos per vasta cœli spatia cursor assiduus vagetur. Sed etsi corpus tuum totidem sensus haberet, quot membra, ad Divinitatem ab omni sensu abstractam assequendam, nihil omnino juarent. Id nempe clamant tres memorati sensus, trium arcanorum ignari, quæ aliunde comperimus in sole recondi, sic ut simul fateantur se fore ineptos ad investigandum Patrem et Filium et Spiritum sanctum.


IV. Vas aqua oppletum adversum soli composito, continuo tibi imaginem dabit augustissimi illius partus. Solem videbis sine ulla sui diminutione et defluxu nitentem generare prolem suo genitori similem. Nil soli decedit; nil aquæ accedit, quod eorum integritati officiat. O præclarum magni arcani symbolum! Integris namque aqua et sole,



inuitata transigitur generatio, in qua homo quisque suis velut subjectum oculis, Filii Dei a Patre processum speculetur. Nostræ scilicet idem infirmitati indulgens, res a nostra intelligentia remotissimas in symbolis patentibus et conspicuis adumbravit, ex quibus levi opera intelligeremus eum esse Filium Dei : sic per omnes figuras ad nos accessit Suavissimus ille, nostras curaturus ægritudines.

V. Sed enimvero si optimus ille maximus et Deus comparationes et similitudines adhibuit, quibus nobis propior factus, intelligibilem se præberet; profecto consentaneum est, ut homo suamet conditione vilissimus, argumenta propriæ imbecillitati quærat, quibus ad majestatis cognitionem se provehat. Excute jam, anime, segnitiam tibi que mysticos pontes construito, qui viam ad tuum tibi Creatorem muniant. Herili domo ejectus verna, alas ex divinis Scripturis tibi composito, quibus subvectus, cura, ut ad Filium Domini tui te referas. Hæc tua, anime, cura prima sit, ut omnes posthac ad Spiritum sanctum captes aditus, et ad illum pervenire omni contentione decertes. Tu quoque, caro, tuam remis velisque eluctare pigritiam. Aquilam imitare, ad illud corpus advola, cujus contactu omnia reviviscunt corpora.

VI. Cæterum cum humani sensus infirmissimi sint, cave ne divina scrutando tuam perturbes mentem, et fluctuare incipias. Cogita Angelos quantumvis a materia sejunctos, summaque mentis perspicacitate præditos, impotentes tamen esse ad hujusmodi arcana pervestiganda. Cohibe igitur a temeraria et futili disquisitione claudicantes sensus corporis sanie ac tabe scatentis. Hactenus pulchra et pura, impuras jam immundorum spirituum operationes nobis edissere, et quoniam nostri corporis sensus velut parallela quædam spirituales sensus cacodæmonum referunt, expedi, quibus naribus legio illa Dæmonum odores corporum sen-




tiebat, aut quibus pedibus Satanus universam terram perambulare et circuire consuevit ?

## SERMO LXXVI.

I. Cum arbore sua fructus habet commune nomen, quantumvis ab invicem sapore seu dulci seu amaro vix unquam non discrepent ; sed ut commune vocabulum sit, differentiam tamen non excludit, magnumque arcanum adumbrat. Sic itaque differt fructus ab arbore, ut cum eadem etiam conveniat ; amborum quippe nomen unum est. Quid ? quod talem arborem dicimus, qualem gustamus fructum, ambo etiam in hac ratione consentiunt. Tu ergo vide, ut stirpis et fructus vocabula discernas, cave tamen ne dividas, sed fructum arboris suæ nomine voca : nam si fructus mitis est, arborem quantumlibet palato ingratham, feram non dicimus. Sic ergo vocabula cernes Patris, et Filii, ut minime distrahas : fatere Patrem esse Deum, Deum item esse Filium ; divinum namque Patris nomen est, divinum quoque Filii nomen, hoc divinæ Litteræ testantur ; nomine Filius discrepat, quia genitus est, nomine etiam convenit, quia etiam Deus est, ipsi honor et gloria.

II. Si ratæ sunt arborum et fructuum nomenclationes, tales esse oportet Patris et Filii notiones. Sic ille rebus patentibus et conspicuis arcana tuis negata oculis impressit, ut res a sensu abstractas in rebus sensui subjectis puta arboribus proponeret : perque symbola notissima oculisque exposita ignota mysteria et obscurissima declararet, ut ista nobis intelligere nec difficile, nec operosum esset : submotis offendiculis viam planissimam aperuit, monstravit iter,



quo illuc pervenerimus, ubi, conspecta ejus majestate, ipsum esse Dei Filium non dubitaremus. Christum esse nostrum Dominum, et Deum præsensere pii, impii nec ejus Parentem agnoverunt. Scripturæ divinitus inspiratæ prædicant Deum Patrem et Deum Filium; Deum non habent Judæi, nimirum negarunt.

## SERMO LXXVII.

I. « Horam illam nemo novit <sup>1</sup>, » Hanc pueri arripuerunt horam, de pondere consulere libram, in cujus alteram lancem imposuere Filium, ipsisque visa est in tantum propendere, ut præ se cuncta deprimeret. Si enim Patrem Unigenitus novit, Patre majus esse oportet, quod Filio ignotum dicunt. Sic enim illa interpretantur verba, « Horam » illam nemo novit præter Patrem, non ipsemet Filius. Jam si hoc placet, quia stultissimi homines cogitant Verbum esse creaturam, tandem animadvertant, in quales salebras eos compegerit disceptandi studium, ut cum inde se expedire aliter non possent, Filium Dei fecerint creaturam.

II. At vos, qui adestis sapientes, obstupescite hominum istorum vecordiam. Enimvero si ex eo, quod proposuerunt creaturam esse Filium Dei, consecarium esse ducunt illam horam ei notam esse non posse, ipsi, qui sunt hujus magni Artificis opera, quam spe ad suum Opificem pervestigandum ducuntur; ut qui horam illam scire desperant, proprio studio assequi se posse non dubitent eum, per quem facta sunt sæcula? Suis cur, cedo, non constant dictis, ut tandem fateantur, creatæ cuilibet intelligentiæ, cum de

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 16. — <sup>2</sup> Marc. xiii, 32.

Creatore sermo est, nil potius esse debere, quam pium silentium.

III. Sed age, quid? num scientia, quæ Patrem attingit, non eam etiam horam complectitur et repræsentat? Rursus si Pater Filio majestatis suæ notitiam communicat, et momentum temporis eidem occultat, consequens est istud momentum altiore indagine esse quærendum, ipsoque proinde Patre multo augustius esse. Perge porro et compara horam, quam Filio dicis ignotam, cum ipso Patre, quem ei notum credis, ambo simul lance gemina suspendito, et explora, utrum horum præponderet. Filius profecto, qui solus Patrem perfecte novit, illo minor esse non potest; nec enim diminutam ab eo accipit naturam. Stirps vera ex vero novit fructum ex se genitum, vere generatus fructus stirpem suam scientia non superat, æquat tamen, cum totus in totam immersus sit. Quod si fructum arbori prærogativa scientiæ parem negas, appellationem etiam ab utroque divellito; liquet enim verum non esse hujus arboris fœtum. Sin autem neutrum vocabulo dissentire concedis, næ tu tibi non constas, si alterum ab altero excedi sapientia credis. Unus inest utrique sapor, consentaneum est unam inesse sapientiam communem utrique, cum sibi mutua in sessione cohæreant.

IV. Fructus arbori intimus est, extrarius arbori fructus non est, vim inepte fingis, quæ alterum ab altero dividat: neuter a compare secernitur sapore, aut ab eodem omnis veri scientia separatur. Qualis stirpi erga suum fructum amor est, talis huic erga suam stirpem, innatus videlicet, non assumptus, non ascititius. Quem autem dabis, qui tales disjungat amantes? Individua Patris et Filii et Spiritus sancti nomina continua et æquali serie recitantur, ubi in nostro baptismo divinus in fontem postulatur illapsus: amica nomina concordissime concurrunt, et velut uno

subacta jugo : uti vero in consecratione baptismi in unum conspirant, sic mutua sibi habitudine copulantur.

V. Divinus tandem ille fructus descendit in terras, composuitque sibi corpus, unaque cum corpore congeneris naturæ vocabula ascivit defectus et infirmitatis indicativa, quo vero nostram assumpsit naturam, nostrum pariter pro nobis sciendi modum sibi accommodavit. Qui nihil non sciebat, ignorantis personam induit, hominum causa more humano interposuit interrogationes, et responsiones audivit.

VI. Cæterum si homines lutum obstinarunt animum ad indagandam naturam ingenitam, quam adhuc dubitant, an Filius comprehensam teneat; vel absistant, si quod ipsi scitantur, Filio occultum credunt, aut si istud investigando assequi se posse confidunt, fateantur Filio omnia esse perspecta, et cumulatissime nota. Enimvero si dicere volunt, quod indagare non licet, næ illi petulantes et protervi sunt; ac si id ex gratia sibi licere credunt, quid? num qui luto dedit divina scrutari, Filio unius horæ scientiam negavit? Quod ergo ille dixit eam se ignorare horam, hoc nimirum ut diceret, corpus ab ipso assumptum ei commo-  
davit.

---

## SERMO LXXVIII.

I. Verumtamen ne tibi posthac talis excidat sermo, proposito insistendum adhuc, dum persuasum habeas eam horam Dei Filio incompetam non fuisse. Enimvero qui omnes invenit calculos, ignorare non potuit horam, quam sine computatione intelligere non possis : fingito jam illam

esse unam ex multis, quibus constituitur annus. Quid censes? num qui annum ex mensibus composuit, velut corpus suis compactum membris, horam anni partem imprudens non adverterit? Sin autem eam mensibus insertam imaginaris, hanc utique discrevit, qui mensium dies numeravit: quod si ad diem pertinere ponas, quæ factum reris, ut eum hæc una fugerit, qui horas, hebdomadas, omnesque et singulas temporis vices disponit ac temperat. Horas sol conficit, atqui stipitem esse oportet, qui solem ei negat esse notum, qui ejusdem dirigit definitque motus, hisque naturam mutat, hyemisque et æstatis periodos moderatur. Si que horam hujus controversiæ subjectum ad lunam referas, cogita neomenias et plenilunia a Filio Dei inventa fuisse, nec solum ordine, sed momento disposita. Cuius ergo loco horam istam affigas sive humili, sive sublimi, næ tu somnias, si imagineris abesse ab illo, qui tribus digitis appendit orbem.

II. Sed perge, sique fas est, horam istam cum Spiritu sancto composito, hunc certe Filio esse notum non dubitas, affirmas tamen horam esse penitus ignotam. Oh plumbeus es, si utrum uiri præstet minime discernis. Præcidito ista, dum nobis expedias, cur, aut quorsum ignotam manere voluerit Filio sui triumpho horam summus Pater? Num ut Patre minorem se ille meminisset, neque parem cum Genitore locum ambiret? Mirum quam inepte ista componis! uno solvitur verbo, quem stringis, nodus. Cum venerit hora, tuba canet, ejusque cantum triumpho pompa sequetur, cujus finis idem erit et horæ. Jam si novatores sibi constare velint, Patri tum Filius æqualis fiet, et inæqualitas in æqualitatem transibit. Alterutrum ergo statuunt necesse est, aut si Filius quidem Patre minor est, quatenus illam ignorat horam, eidem æqualem factum iri, postquam ejus horæ scientiam fuerit adeptus;

ant contra si nullam dignitatis Filio accessionem inde proventuram dicunt, quonam suo emolumento illam noticiam sibi quæsiverit, siquidem doctior factus, non desiit esse minor? illam certe horam cognoscere nec diabolo prorsus interdictum est; qua nata ipse occidet; quorsum ergo eam usque adeo extollunt, ut ejus scientiam a Patre Filio negatam asserunt, quam nec diabolo ignotam usque manere decrevit.

III. Disce jam geminos fontes unde supremi Domini laudes fluunt, qui cum omniam dominetur, cunctis omni prærogativa præstat, et sustinet universum ex se pendentem. Fons alter homines versus exundat, estque ejus inexhausta et sempiterna bonitas; alter influit in Filium, qui est ejusdem sæcunditas, quæ et ipsa perenni fluxu exuberat, ac sine principioque caret: jam quales vos esse dicam, purissimi fontes? quorum alter, ut dixi, se toti naturæ profundissima quadam liberalitate profundit; alter ad Unigenitum totus transfluit; ambo nunquam nati, nunquam interituri? Quis igitur hic est homo, qui vobiscum componit horam, punctum temporis temporis affixum, et cum tempore desitutum? Magna res est divina vis rerum inventrix, nec opus Opificem æquabit unquam: admirabilis et singularis res est divina sæcunditas: sic ut genitus nunquam etiam genitor fiat.

IV. Reliquum est, ut adversarii aliam propositæ quæstionis solutionem aliunde petant, si nostram non probant; quæ enim cæteris utique præferenda fuit, jam expositam habent. Cæterum quibus hanc persuasimus, ingenue confessi sunt Salvatore nostro supremum mundi diem haudquadam occultum fuisse. Sed et hoc subjiciebant, submissa licet voce, et velut ad aurem, quæstionem istam ex contentione esse natam, eamque induxisse novatores, ne ex palæstra victi discedere viderentur; victa tamen est

contentionum mater discordia, vicit veritas, diremitque  
litem Victor ille solus corona dignus.

## SERMO LXXIX.

I. Satis-nescis, fili, utrum utri præstet, et præponderet in  
statera? quid expedis? horam-ne Dei Filio esse notam, an  
contra manere adhuc occultam? Is enimvero ex sese ipse  
docere volens haudquaquam licere parem summo cogi-  
tare Patri, præ se tulit supremi dici ignorationem, quod vi-  
delicet nollet hujusmodi arcanum curiose requiri: quod  
quidem magno consilio ab ipso provisum fuit, quo te ab  
ejusmodi curiositate removeret. Tibi proinde monitorem  
illud ipsum momentum constituit, quod omnium temporum  
Moderatoris naturam indagare volenti magnum exemplum  
objiceret, sique prave insisteres, tuam etiam impudentiam  
increparet; etiam hic sit tibi, Christe Fili Dei, scienti omnia  
laus et gratia.

II. Cæterum facile intelliges in Filium Dei ignorantiam  
non cadere, modo te ipse non ignores. Ergo temet explo-  
ra; vides-ne, ut ille tuam in vincula compegerit mentem,  
quove tuam voluntatem imperio regat? Ancilla hæc certe  
est plurimis inquinata vitiis, quæ hausto temulenta mero  
heriles depopulatur opes. Quid ille ageret? furiosæ catenas  
injecit, rebellantem constrinxit vinculis, objecto vallavit  
sepimento, cinxitque præstructis circum undique muris.  
Jam si bacchantem nec tantæ cohibere moles, liquet  
indomitum esse ejus ingenium, ipsamque velut furore  
quodam agitari. Quæ cum Filius Dei bene perspecta habe-  
ret quantum nullus alius præterea, præsciretque fore, ut  
excitæ undique terrarum gentes ac linguæ, et Græcorum



imprimis natio, nova et secreta sciendi audiendique cupidissima<sup>1</sup>, ad discutienda peregrinæ doctrinæ præcepta confluerent: sagena quippe futura erat, quæ genus omne natantum congregaret, et mirabile fermentum, quod agrestes etiam bestias e suis evocatas lustris, suo sapore imbueret; ne videlicet palabundas sineret sine lege vagari, uno veritatis vinculo conjugavit, docuitque cursum tenere parem: negavit celeri sociis post se relictis præcurrere, nec scrutatori concessit fidei imperium excutere; doctis et indoctis, callidis et simplicibus idem et unum imposuit jugum, jugum videlicet cherubici currus<sup>2</sup>, sub quo natura dissidentes jugales ipsi se concordæ amicitia et mutua charitate complecterentur.

III. Cibus, potus, somnus, et vigilia liberæ voluntatis imperio reguntur, subduntur arbitrio; quanquam sensibus quoque libertas quædam concessa est eo, quo libuit, modo et ratione, suos ut exerceant actus, libero tamen carent arbitrio, et subduntur jugo, quod compegit charitas, et vera imposuit disciplina, ut nec a recto tramite declinent, nec ab eadem alium quemquam avertant, sapientis namque rectoris ductum semper sequuntur. Cum ergo mutæ animantes, quibus arbitrii vis negata fuit, aliqua tamen potestate gaudeant faciendi, quod ipsarum naturæ magis consentaneum et commodum est, quam integram ac solutam censes, hanc in propria sede regnare potestatem? Scilicet inest homini facultas, priorum motuum arbitra, ut quanquam naturali quodam nexu cum vero et honesto cohæreat, expeditam tamen conservat eligendi potestatem, ac faciendi quod placeat; unde contingit, ut depravata voluntate, mutet mores, seque effundat in vitia, et si quidem a veræ fidei regula animum avertat, in magnos errores delabatur.

<sup>1</sup> Act, xvii, 21. — <sup>2</sup> Ezech. 1, 3.

IV. Sacris quispiam commentationibus pervigilat noctem : vigiliam mox somnus excipit, nec tamen pii operis mercedem deterit : jejunat alius, jejunium stata hora solvit, nec inde jejunanti perit laboris præmium. Cibus cibique abstinencia neminem reum faciunt, aut coinquant; veritas una est, huic assidet error, sique latum unguem ab illa secedas, hiatus exiguus immensa vorago est. Variantium opinionum dissidia si quem hominum cœtum distineant, nullus reprehendit, nemo contra in dissidentes non fremat, si discordia in hæresim eruptura videatur.

V. Omnes corporis sensus uno tenentur jugo, horum unice ductum sequitur ille, quem David jumentis insipientibus similem esse factum aiebat; at enimvero quis, dum causam ignorat, non miretur hominem nec intra jumentorum terminos se continere, quin in deteriora prolabatur, eisque pejor fiat? Hinc perturbato rerum statu tumultuantis multitudinis frequentes occursus et discursus, discissa in factiones cænobitarum asceteria, in Ecclesias seditiosæ invectæ quæstiones, et absonis absurdisque opinionibus violata ecclesiasticorum conventuum religio. Fare age : cuinam tanti crimen incumbet mali? Fremunt maria, terra succussa tremit, res vociferantur omnes adversus scrutatores, dum in ipsarum Conditorem tanta cum libertate incurrunt, adeo indigne ferunt sui Opificis majestatem impiis disquisitionibus violari.

VI. Hujusce porro notæ ingeniis velut improbis servis propositum est a Domino speculum modestiæ magister, mundus videlicet ejusque partium mirabilis descriptio. Satis enimvero ista persuadent eos plane delirare, qui tantum opus suomet Opifici incompertum fuisse nugantur. Ineptissimi homines, dum magni Artificis investigantes na-

turam omnia rimantur, in eam, quam dixi, impegere horam, quo nimirum humilem Filii Dei imaginem in ea representatam cernentes tantisper confunderentur, donec ejusdem comperta mirabili a Patre origine temere conceptum ex humili ejus specie judicium, increpiti damnant.

VII. At tu interim, dum ista novatores garrunt, advertito animum ad hujus universi præclarum ac magnificum ædificium, omnesque et singulas ejus partes accurate considera. Ingens dices esse corpus suis artificiosissime compactum membris, summi Artificis admirandum opus; indeque statim colliges fieri nunquam potuisse, ut suum lateret Auctorem. Quid enim, fratres? num simulacrum scalpentis aspectui seipsum negavit, sic ut quæ fingebat, membra statuarius non cerneret? uti ergo nemo id fieri potuisse credit, perinde incredibile est factum, ut hora sui Constitutoris fefellerit sapientiam. Deinde consulite, fratres, rationarium temporum descriptum ab eo, qui cuncta novit; simul animadvertetis totum ævum corporis itidem in modum coagmentatum fuisse; suæ istud componunt partes velut ossa nervis sibi invicem alligata, statæ sibi que succedentes conversiones ac tempestas; habitum et formam absolvunt horæ et anni.

VIII. Fingito, si placet, illam horam intra temporum anfractus retrusam, velut tuum intra tuam mentem conceptum, confertoque mensium, hebdomadarum ac dierum agmine circumseptam. Nihilominus mirari subit quemquam ad eam, seu stultitiam, seu arrogantiam devenisse, ut velut in insaniam lapsus atque temulentorum in modum mente alienatus, sibi persuadeat simulacrum ab illo vero Patre digito Dilecti sui fabricatum sui Artificis oculos, conspectumque fugisse, quasi vero augusta illa hora potuerit subtrahere se illius digitis, qui res non solum universas, sed etiam

singulas reperit et architectatus est. Profecto si ejus præscientiam non latuit, antequam fieret, ab ipso namque ei constituendus fuit in magna temporum periodo locus, tempusque designandum, quo e suis latebris in publicum ei tandem prodeundum foret, plane liquet eam, etiam quando non extat, suo nihilominus Domino præsentem esse, atque in ejus sapientiæ thesauro recondi; si autem conditur in arbore, hujus utique fructum latere nequit, qui ab eadem ad se receptus, in ejus sinu et armore conquiescit.

---

## SERMO LXXX.

I. Scitare sapientes, audita sagaciter et acute perpendito. Doctus ab illis disces alteram hominis animam esse fidem, corpus animatur a spiritu, hic ducit a fide vitam, separatus a fide cadaver est. Mortale corpus ab immortali anima pēdet, a fide anima, a Divinitate fides : a summo quippe Patre per Filium ad nos promanat veritas pie viventium vita. Hæc est illa vera disciplina, quæ humanum spiritum Superis cognatum efficit. Anima vivit homo, corpore cernit et audit, fide, charitate et rerum divinarum scientia etiam migrat ac transformatur in Deum. Cave dissolvas admirandum isthuc opus, ne te continuo fides destituat, ac vita oculis nunquam visa tuis, tuoque interitu gemines exemplum illorum, quos vitæ Auctor mortuos appellavit, mortuorum tamen funera curare dixit. Hujus aëris respiratio est vitalis spiritus, vitamque corpori impertit. Quisquis hunc aëris comheatum corpori intercludere cogitat, simul vitam auferre parat; huic similis est, qui vera loquentem interpellare nititur, necem imprudens animæ molitur suæ.

II. Nolo mortui mortem : hoc testatus est ille vivens cunctorum Suscitor mortuorum, pelagus omnem complectens veritatem, omnique perinde ab errore remotissimus, perennis origo vitæ, diserte suam declaravit voluntatem, ne scilicet de sua in nos charitate nobis dubium relinqueret, neve quisquam posthac de ejus incenso destruendæ mortis desiderio ambigeret. Litteris suo obsignatis annulo nos certiores fecit fore, ut justus quisque vitam inveniret in fide, cujus disciplinam sevit velut arborem, fructus inde sanctas operationes collegit, ramisque veritatis suspendit. Hic tibi arcana patent in imagine viva, tuis subjecta oculis. Corpus negotiatorem imitatur, qui partæ pecuniæ incubat, in omnem quæstus occasionem intentus; corporis solertiam imitetur anima, suasque merces in navim fidei, velut tutum salutis perflugium importare satagat.

III. Corpus vitam, quam ab anima trahit, cibo potuque sustentat, anima ipsa quantumvis bene valere videatur, si absint opera, non ægrotat, sed mortua est; operibus namque ex fide manantibus, ejus constat vita. Indubitabile dogma divinæ Scripturæ loquuntur. Fidelis Lazarus imperanti obsecutus prodiit e tumulo; divina vox, quæ illum evocavit de sepulcro, orbem suavissimo odore recreavit, eoque afflante revixere gentes in Lazaro adumbratæ; et gentilium quidem ad Dei cultum conversionem Lazarus nobis repræsentat; Judæorum vero excidium præagivit fur ille, qui laqueo se suspendit, et restim Scribis, quibus operam ante locaverat, reliquit.

## SERMO LXXXI.

*Alias* DE MARGARITA SERMO I.

I. Accidit aliquando, fratres, ad manus venire meas Margaritam. Apparebant in ea affabre elaborata regia insignia, imagines et symbola eximie illius singularis majestatis. Fontem esse intellexi, unde mihi haurire liceret latices secretorum Filii Dei. Illam itaque, porrecta statim manu, appetii, dumque tenco, et attente examino, animadverti non unam habere faciem; in ea nulla pars extra faciem, tota facies erat. Quare typum esse deprehendi Filii Dei, cujus Numen inscrutabile et incomprehensum usque manere mirum esse non debet, est totum quippe lumen. Eximius hujus Margaritæ nitor et claritas præcellentem illam naturam repræsentabat, cujus splendor nullis infusatur tenebris, nec ullo pax perturbatur bello. Ejus iterum singularis candor Domini sui corpus purissimum adumbrabat, ejus demum natura simplex et individua testabatur unam pariter esse veritatem. Videre erat in ea expressam Ecclesiam, immaculatum ejusdem Margaritæ partum, et huic insidentem Filium Dei, Filioque suo assidentem ipsius Genitricem olim in nube ac cælo significatam, unde lumen illud e lumine manans nobis illuxit. Similibus hieroglyphicis in ea impressæ viscebantur victoriarum ejus ac triumphorum imagines, indicabantur ejus utilitates et mirabiles effectus, sic ut omnia ejus ornamenta non modo meis subjecta oculis perspicerem, sed etiam occulta inde conjectarem.

II. Gratulabar ipse mihi inventam arcam noëtica potio-

rem, cujus contemplatus formam satis admirari non poteram; mirabar in ea thalamos clausos, nec ideo umbra opacatos. Solis quippe filia est, vocales typos, data, tacente oraculo, responsa, et surdam citharam sine voce sonantem: cum ex improvise meas pepulit aures tuba, ruptæque nubis horrificus fragor me perculit his vocibus: « Cave inconcessa procaciter appetas; vide ut arcana et occulta tacitus et admirabundus prætereas, atque iis, quæ tibi scire indultum est, modeste insistas. » Rursus stupebam sine nube pluviam; fons erat, imber cælo cadens videbatur, qui plurimum arcanorum interpretamentis meas implevit aures: quare melleum illum rorem Margarita referebat, et ille quidem se solo populum aluit, adeo ut eo pasti nullo alio indigerent alimento; ista mihi cujusvis alterius cibi appetitionem sustulit, ut jam nec libros requiram, nec horum mihi lectione, aut expositione sit opus. Et quanquam alia superant arcana, quæ scire delectet, os tamen illa non habet, ut eam audiam loquentem, nec aures, ut me sciscitantem exaudiat. Tandem intellexi nullis præditam esse sensibus, quæ mihi novas ad divina percipienda facultates subministrabat.

III. Tunc sic locuta est: « Maris immensi filia sum; arcanorum thesaurum ex eo, quod me genuit, pelago, mecum affero pectori inclusum meo. Tu vero tuis commensa viribus freta metire, horum Dominum reverere, hunc explorare ne audeas. Exercitatos in arte vidi urinatos, istud ingressos mare post me, illico retrocessisse, ejus altitudine perterritos, indeque trepidos in continentem se proripuisse, adeo nec ad breve tempus ejus sustinere fremitum. Etenimvero quis potis sit longiorem ibi ferre moram, ut Divinitatis profundum otiosus explorator perscrutetur. » Filius Dei pelagus est, navigantibus commoda et damna parat. Quid? num concitatos vestri maris fluctus nunquam spec-

tastis, utve obluctantem fregere ratem; obsequentem contra minimeque obnitentem servarunt? Universos obruit Ægyptios mare, etsi divinorum arcanorum religionem temere pervestigando nunquam violassent. Hebræos etsi hoc insontes crimine terra absorbit, videte, scrutatores, quale vobis immineat malum. Sodomitas item flamma consumpsit, similem vos exitum pertimescite. Intersectorum gemitibus pelago personante trepidarunt pisces et grandia cete; ferreum vos pectus habere credo, qui talia sontibus constituta supplicia, legis, et qualia illi perpetrarunt, scelera concipitis. Ego sane tremisco, tum maxime quod illa ab ultrice Dei justitia usque modo dissimulari conspicio.

IV. Concurrunt simul impia disceptatio et pia confessio, utram putas victricem fore? lingua suaves modulatur hymnos, eadem disceptando in sacra irrumpit adyta, utras voces dices ad aurem venturas? Supplex precatio et insolens quæstio uno funduntur ore, utram attendet Deus? Cum belluæ natantes a Deo fugientem Jonam suum cernerent factum contubernalem ad breve licet tridui spatium, facinus exhorruerunt, quis, aiebant, a Deo fugere potis erit? scilicet Jonas Deo se subducere quærit; vos contra, protervi scrutatores, hunc persequi adhuc pertinaciter obstinatis.

## SERMO LXXXII.

*Alias* DE MARGARITA SERMO II.

I. Cui similem te esse, Margarita, dicam? Hoc precor, tnum me ab ore tuo pendentem doceat silentium; tacendo loquere; mutas quicumque voces excoperit, intelliget is-



thuc, quod præfers, mysterium sine voce sonare salutis nostræ Reparatorem. Est mater tua sponsa maris innupta, pelagus illam non duxit, ipsa sponte sua in ejus sinum delapsa est. Virgo te concepit, Virgo mater judæas fœminas sugillat gemmata monilia gestantes, nulla præter te gemma suo conceptu refert divinum Verbum, quod cælebs generavit Altissimus. Quas natura fingit gemmas, ad repræsentandum cœlestium margaritarum nitorem formare videtur. Fœtus eximius oculis patet; qui hunc concepit, uterus adhuc lalet; tuus, Margarita, conceptus inde valde quam admirandus, quod sine semine et conjugali opere perfectus est, origo tua singularis est, nullam habitura parem. Dominus dicitur habuisse fratres, qui certe nullos habere potuit, cum natura unicus sit. O partum singularem et admirandum! qui tui similem extra Unigenitum nullum habes; esto tot dicaris habere fratres et sorores, quot regum diademata ostentant gemmas. Sint, si placet, tui fratres berylli et sodales pellucidi lapides, cognatum item aurum habeto. Constat tamen ratum extra tuos dilectos neminem in Regis regum diademate locum habiturum. E mari viventiam sepulcro emereras, cum amantes tui tibi obviam venere, quos intuita: « Vos, clamasti, Sanctorum cœtus cupiens habere propinquos cognatos et fratres, huc appuli. » Grana frumenti suis aristæ folliculis involuta ferunt, te autem regum diademata gestant aureo venuste cavo illigatam. Nec utique immerenti honor ille tibi reddebatur, ut ex eo, ubi jacebas, loco ad summum honoris gradum conscenderes: triticum arista gerit in agro, te autem velut insigne capitis ornamentum, rex sublimi vectus curru, gloriose circumfert. O beatam maris filiam, quæ de pelago, in quo genita fueras, in continentem migrasti, amatores quæsitura tuos, qui quidem venientem confestim rapuerunt, et ad proprium cultum ornatumque transtulere. Nec porro secus

gentes, quæcumque Unigenitum adamarunt, cum jam præsentem haberent, complexæ sunt, suoque unaquæque capiti velut splendidum diadema imposuerunt.

II. Occulta veritatis vi ab hominibus profligatus draco, pedibus etiam proculcatus est, tum vero victores sordidas abjecere vestes, mundis mox immergendi aquis, hinc per sacramentum chrismatis Christum induerunt, teque simul indidem extractam surripuere sibi; emersere nudi, rejectis, quæ ante exuerant, indumentis. Hac arte suas animas excussere e faucibus draconis amaro, vano tamen questu clamitantis. Ingenium nacta es mitissimum, quale fuit Agni illius mansueti, qui ad occisionem ductus, non aperuit os suum; si quis te infestus aliquando invasit, raptamque egit in crucem, id est, suis auribus suspendit, ut in Calvario colle Judæi Dominum, tuam spectatoribus lucem, adeo non subtrahis, ut inde liberalius etiam non merentibus profundas.

III. Pulcherrimam Filii Dei formam tuo in vultu expressam cernimus, sustinuit ille crucem, ligno trabalibus confixus clavis; quid? num te non similis pœna afflixit immerentem, nec tuæ terebratæ sunt manus? et illi quidem crux regnum comparavit, tibi vero ærumnæ et labores pulchritudinem et venustatem conciliarunt. Enimvero quo tibi persecutores minus pepercerunt, teque crudelius tractarunt, eo tibi profuere magis; unde enim te tantis afficere malis, regale tibi diadema fabricarunt. Simon Petrus petræ miseratus ærumnas, ex vero prædixit fore, ut collisa suos collideret offensores: adeo liquet persecutionibus ejus splendorem extinctum non fuisse, ut vel ex hoc ipso conflictu majorem adeptam venustatem Superis Inferisque novam lucem affuderit.

## SERMO LXXXIII.

*Alias DE MARGARITA SERMO III.*

I. Te merito, Margarita, miror, quæ nudata quæris lucem et latebras fugis. Negotiator quoque tuo incensus amore, suis se expoliavit vestibus, non quo vellet te operire nudam, nec enim talis eras; fulgor namque tuus te tegit et ornat, communibus carentem tegumentis. Heviam proinde refers, nunquam minus nudam, quam cum nuda fuit. Quare merito execrandus ille veterator, qui simplicem fœminam suis circumventam dolis expoliavit, nudamque reliquit. Non ita tuum, Margarita, tibi coluber auferet ornatum unquam, nec enim potest. Consimile tuo amiculum in horto deliciarum beatis fœminis nova retexet lux.

II. Margaritas Æthiopia profert candore insignes, uti nobis sacræ testantur Litteræ<sup>1</sup>; quis, cedo, Nigritarum regionibus te omnium gemmarum nobilissimam dedit? Ille videlicet, qui diem cunctis attulit gentibus, Æthiopas et Indos etiam illuminavit. Cum enim eunuchum Æthiopem curru vectum aliquando vidisset Philippus, nitidissimus agnus de lavacro veniens, atrum hominem convenit, et sacra prius lectione eruditum, sanctis mox aquis expiavit, inde nova accedente luce illustratus Æthiops, eadem ducente, interruptum resumpsit iter<sup>2</sup>. In patriam revectus, gentiles suos colorem mutare docuit, et atos Æthiopas in candidas Margaritas transformavit, quas cum Filius Dei accepisset, Patri suo æthiopicis gemmis illuminatum diadema obtulit.

<sup>1</sup> Job, xxviii, 19. — <sup>2</sup> Act. viii, 27-39.

III. Regina Saba Chananitidem venit <sup>1</sup>, ovis videlicet ad saltum ferarum, veritatis lucernam ei Salomon accendit, cumque jam ad vanas gentium religiones declinasset, femur etiam inclinavit. Et regina quidem, recepto lumine, læta discessit, Hebræos autem consueto gentis vitio oculis laborantes reliquit. Cæterum scintilla, quam illa beata in opacam regionem intulerat, lumen suum conservavit, donec, adjuncta nova luce, scintillula crevit in solem, qui, dissipata undique errorum caligine, universam provinciam collustravit.

IV. Magnos fert pisces mare, quorum bene multi ad decumanam magnitudinem proveniunt, attamen parvi revera sunt; tua, Margarita, moles quantumvis angusta sit, regale diadema splendide ac magnifice condecorat: scilicet Filii Dei symbolum es, cujus humilitas Adamum ad summam amplitudinem ac dignitatem evexit. Tu quoque diademati inserta caput coronas, pulcherrima specie oculos delectas, auribus splendorem accersis. Ohe satis in aquis jacuisti, cui terrestre domicilium natura dixit. Quin ergo ad propria remigras, nostris assuefacienda auribus: consentaneum namque est, ut istæ verbum salutis tecum pari amore complectantur. Intra aurem sedet verbum, extra illam Margarita: auris, cui te tuus Auctor commendavit, discat a te verbum veritatis commendatum habere, hujus speculum esto, atque verbi decorem in tua speculetur forma: in te intelligat ejus pretium. Ramum finge tibi esse aurem, corpus puta arborem, tequemet intra ea quasi divini fœtum luminis: forsan tua etiam symbola lucis genitricem respectant. Tibi Dominus simile dixit regnum cœlorum, quod alias comparaverat quinque virginibus, quibus solertia in conservanda suarum lampadum luce aditum illuc patefecit <sup>2</sup>:

<sup>1</sup> 5 Reg. xi. — <sup>2</sup> Matth. xxv, 1.

virginibus tu quoque similis es, simili, qua illæ nitent, luce coruscas.

V. Nemo sane pauperi fœminæ unionem afferat, nec enim huic ejusmodi cultus congruit: quin ergo illa fidem gratis comparare satagit, quæ omnibus plane hominis membris apta et habilis est; sed nec nobilis matrona suam auro distrahat Margaritam. Videsis, qui talia audis, qualem, quamve turpem notam laturus sis, si forte cogitas in lutum projicere tantæ auctoritatis gemmam. Ex fragilis porro lapilli pretio æviternæ unionis dignitatem æstimare debes, et ille quidem in pixide custoditur, aut annulo inclusus gestatur, aut conditur intra adyta, eique clausis ubique obse-ratisque ostiis studiose cavetur; tuam vero Margaritam Altissimus ille tuo repositam pectore obsignavit; uti enim rebus pretium ponere novit, sic datorum et acceptorum rationes exigere solet.

---

## SERMO LXXXIV.

### *Alias* DE MARGARITA SERMO IV.

I. Latronem capta cepit fides, ligno suffixum refixit sus-tulitque lignum, et in horto deliciarum sede locavit. Vidit esuriens lignum trabe suspensum immortalitatis antidotum, si fructus fuit, ipse certe illud comedendo Adami imaginem expressit. Fatuus quidam, cum a recta declinasset, fidem quæstionibus quasi prurientem oculum adortus est. Sed enim si scalpendi voluptas oculos tandem occæcat, longe magis disceptandi libido fidem. Sed enimvero nec urinator

<sup>1</sup> Matth. xxv, 1.

reperitam Margaritam anxius morose examinat; et omnes negotiatores gaudent illam ad suas venisse manus, nec unde venerit sciscitantur, sed nec id rescire curat rex, qui suo eam inseruit diademati.

II. Cum Balaamus mutæ animantis stoliditatem induisset, recte jumento monenti parere coactus est, ut qui Deum suo ipsum alloquio dignantem sprevisset; tu vero pro jumento unionem habes hic monitorem. Sic olim populum Deus cor habentem lapideum increpuit per lapidem sibi jubenti obsequentem, suaque rupes obedientia homines refractarios revicit. Vos autem, quicumque ad veritatis monita obsurduistis, hodie Margarita castigat. Deo citante testes affuere turtur et milvus suam hominibus stultitiam exprobraturi, hos item et asinus; accedit modo Margarita avibus, ac bestiis terrestribus ac marinis testimonium dicitur suffragatura.

III. Cæterum ne tu illam similem cogites lunæ crescenti semper et senescenti, modo immensæ orbe pleno, ac repente nulli; soli potius compara astrorum principi; nam parva licet sit, hac ipsa sua parvitate representat Filium Dei, illum scilicet luminis fontem, qui, quantulumcumque emiserit scintillam, solem occultat. Astrum est Margarita plenoque semper nitet orbe, nec vero quale est gemmarum vulgus, ut ei aliquid demere queat gemmarius; eam quippe sua forma munit integranque servat: neque deteri, aut minui potest, ubicumque est, tota est. Quamobrem si quis velit illam dividere, resectamque inde particulam sibi auferre, continuo à se ipsa excidit, degeneratque in eam, quam sanctæ religionis desertores commenti sunt, fabulam, dum quam hausere fidei regulam discerpere et dilaniare non dubitant. Ejusmodi porro fide potiozem vix duco illorum sectam, qui de sanæ fidei decretis disceptant. Natura fidei perfecta est, nec infringi potest, si quis hanc dilace-

rare tentat, ipse se, non illam lædit, quique ab ea discedit, nec sibi ipse constat : enimvero qui lumen fugit, nil huic officit, suis duntaxat oculis cernendi facultatem adimit. Aër et ignis interjectu corporum dividuntur, lux una individua est ; est lux suo similis Conditori, nec infœcunda est, citra sui detrimentum generat similem.

IV. Cæterum si quis te, Margarita, fingit compositam, quasi pluribus compactam partibus, vehementer errat, tua natura clamat te non esse opificis figmentum, nec esse dividuam, quale est omne lapidum genus ; illius scilicet Unigeniti imago es geniti non facti : nec ideo Filio Dei comparabilis es ; ab infimo siquidem loco originem ducis, tui autem Conditoris Filius ab illo genitus est Summo, infra quem cuncta summa jacent, et ipsum sibi dissimilem facit similitudo, quam ad Patrem habet perfectam et absolutam. Ex duplici utero diceris edita fuisse ; e cœlo namque labens fluidam solutamque naturam habebas, prodiisti post ex aquis velut crystallus concreta totaque in te compressa ; inde visa es hominum consuetudine delectari : tum vero quasi corpore assumpto, et artificis manu venuste cavis inclusa fuisti, atque ab iis, quibus te possidere obtigit, diademati inserta velut cruci suffixa, victrices frontes velut virtutis insigne exornas : auribus item ad ornatum accedis, velut earundem complementum et coronis ; sic ad omnia te pandis et explicas.

## SERMO LXXXV.

*Alias* DE MARGARITA SERMO V.

I. Nunc demirare donum, Margarita id est, quæ sui cupido occurrens urinatori sponte sua emersit ex aquis; hanc referens lucem, quæ nostris ultro se offert oculis, divinum adumbrans Solem, qui non rogatus, diem nobis aperit non sensui, sed menti aspectabilem. Vultum, Margarita, tuum simili arte suis coloribus expressit pictor, sic tamen, ut in te descriptam agnosceremus fidem, non pigmentis, sed arcanis figuris notisque depictam, tuique Auctoris vultum simul exhibuit, non quidem penicillo expressum, sed in te tuaque specie adumbratum. Nihil tu quidem sensibus subjectum oles, suavissime tamen divinorum arcanorum odore nos recreas, nec esculentum quid es, tuorum tamen auditorum palato jucundissime sapis. Certe liquor non es, nec proinde offerenda potum petenti, mysticum tamen fontem auribus, aliquid de te narranti auscultantibus aperis.

II. Tuæ profecto magnitudini nativa parvitas nil detrahit. Mensura, moles et pondus infra mediocritatem contracta sunt, eam tamen dignitatem diademati confers, cui parem fingere mens nulla potest; quare si quis sub angusta mole latentem amplitudinem tuam non cernit, teque proinde contemnit, nec curat amissam, suam tandem damnabit imprudentiam, cum te in diademate regis locatam aspiciet, simulque sibi suum a te exprobrari vitium audiet.

III. Immersi pelago urinatores nudi te, Margarita, nobis extulerunt; nec enim cuiquam reges te primi dederunt, sed suis expoliati vestibus ignobiles mercenarii, te e profundo maris extractam ad nostros transtulere usus; Domini vide-



licet Apostolos inopes, piscatores et Galilæos repræsentabant. Nec enimvero alius ad te patet aditus, nec aliis; incassum scilicet te capere tentant, qui suas non deposuere vestes: quicumque te sunt consecuti, infantium nuditatem affectarunt, aquis sua corpora sepelierunt; et ad te descenderunt, tu vero venientes effuso excepisti sinu, tantopere ab iis te amari gestiens. Tuam illi confestim renuntiarunt amplitudinem et dignitatem; quas vero homines cætera inopes ore prædicabant opes, aperto mox sinu protulerunt, spectantibus et mirantibus gemmariis novam, quam illi exposuerant, gemmam. Propositam populus laudavit mercem, teque sibi liberaliter donatam utraque strinxit manu velut oblatum incommodorum vitæ allevamentum.

IV. Quotquot in aquas descensuri suas detraxere vestes, tuum ex aquis, Margarita, ascensum adumbrarunt. Secus stagnum Apostoli futuri veritatis præcones, Conditoris sui Unigenitum ab inferis revectum spectarunt; tua tuique Domini præsentia stagnum, mox etiam mare decorata sunt. Quisquis emersit sanctis immersus aquis, suas resumpsit vestes: simili cura Simon Petrus, postquam stagnum nando transmisit, detracta requirebat indumenta: utrique scilicet tuum, tuique Domini amorem velut proprium ornatum induerant.

V. At quo me, Margarita, rapis? ad me ipse jam redeo, teque hactenus otiosus spectator contemplatus, tibi me ipse similem reddere conabor. Et quandoquidem tu tota in te compressa tibi perpetuo constas, unaque tibi semper similis perseveras, dabo operam, ut unus item ipse æqualis et constans in te permaneam. Gemmas collegi, coronam fabricare proposui, Filio Dei offerendam, sic hærentes meis membris maculas tergere studeo, suscipe, tu Domine, quæso, donum, non quod te meo dato egere credam, sed

quod ego meæ indigentiae succurrere velim, sic meas, oro, labes eluito. Corona siquidem Margaritis ratione cretis concerta est, nec auro, sed charitate constat, nec ligamentis, sed fide cohæret, quamque non manus, sed tantæ majestatis laudes persequens lingua ad Altissimi conspectum sublevat.

---

## SERMO LXXXVI.

### *Alias* DE MARGARITA SERMO VI.

I. Utinam frequenter Patrum e tumulis expirans odor filios afflaret. Enimvero cum in paucis sapientia florerent, parem huic simplicitatem et modestiam habere studuerunt : quare, resectis futilibus quæstionibus, acquieverunt fidei testimonio, monstratamque ab illa viam ingressi, hanc sibi perpetuo calcandam statuerunt. Legem promulgante Deo, tanto præsentem legislatore liquati defluxere montes, latam legem per summam vecordiam contempserunt homines. Eliæ secus torrentem in vasta solitudine moranti Deus per corvos providit annonam ; et Samsoni de sceleto expressit mel, neuter de hoc facto disceptavit, aut Deum ausus est interpellare, cur ista munda pro mundis habenda statuisset, illa contra tanquam immunda rejecisset.

II. Dominus sabbata solvit, et gentes prisca superstitione oppressas curavit : uxorem ab extraneo populo sibi Samson quæsivit, nec ulla ab exoticis nuptiis emersit quæstio inter justos. Propheta meretricem duxit, nec hujusmodi conjugium carpere ausus est quispiam vir probus. Idem Dominus quosdam volentes, se haberi justos, potius quam esse, severe redarguit, eorumque vitia detexit et publicavit : peccantium tamen casum doluit, lapsos miseri-

corditer relevavit, disjecitque prementem miseros criminum molem. Dei jura discrevit et sanxit nemine reclamare auso. Verus cum esset Dominus, habuit obsequentes sibi famulos, velut suam corpus opacum umbram, unus hero servisque fuit scopus, idem sensus et eadem voluntas. Cumque idem sol esset, offusas suis Discipulis tenebras sua luce profligavit.

III. Mirum in quantas se compegerunt lites heterodoxi in rebus cæteroqui patentibus et obviis! clarum utique est Novum, quod nos tenemus, Testamentum a Deo perspicue fuisse præsignatum in eo, quod Prophetis traditum fuit; isti nihilominus homuli, alto, quo modo premebantur, sopore necdum penitus discusso, utrumque legentes, affusa velut inde caligine oppressi, delirare cœperunt. Et viam quidem viri sanctissimi ante explanaverant ac triverant, veritati, quam hauserant insistentes, in planissimo tamen calle salebras isti confinxerunt; quid enim rite facerent homines mero pleni? rectam deseruere viam, et in anfractus se ultro conjecerunt. Nec id vero mirum, eos turpiter aberrasse, qui perversum disceptandi studium cæcum ducem sequi obstinarant. Lucem suis incurrentem oculis transformarunt in tenebras, quo liberius vagari liceret. Incidit in manus Margarita, fides, dum illam curiosi negotiatores circumspiciunt et examinant, imprudentibus excidit et periit; sic Margaritam in lapidem transformarunt, unde sibi offendiculum paratum invenirent.

IV. O donum mortis antidotum, quod fatui homines in venenum converterunt. Judæus, ut claram tuam a fonte scaturiginem intercideret, elaboravit, exitus conatum elusit. Simili astu hæreses, cum tuam pulchritudinem extinguere non possent, a suo principio distrahere tentarunt. Sed enimvero quicumque eo projecti sunt, ut a tuo te auctore avellere cogitarint, non te, sed ipsi se ab illo alienarunt,

tuaque virtute resecti exciderunt; en videmus, quos Sion produlerat surculos, avulsos ac dispersos, atque hæreticorum sectas exitu non admodum dissimili sublatas. Oro, fides, tuam nostræ parvitati admetire amplitudinem; quandiu enim te totam inspicere et dimetiri non licet, amor nec conquiescere, nec tacere potest. Te ipsa, quæso, contrahito, et parvam, quo potis es modo, minorem facito; cunctis, fateor, superemines, te tamen omnibus longe lateque superfundis.

V. Jam vel ex eo coarguendi veniunt nostræ Margaritæ scrutatores, quod, decedente charitate, discordia fratres incessit, mox etiam audacia, adeo ut visendæ tuæ formæ desiderio incensi, velum ori tuo obductum reducere perentarent; suspicabantur nimirum, hanc esse fuco quæsitam, cum tamen scirent ejus originem et ortum effari nemini licuisse. Quanquam vel incredulis aliquando te quadantenus conspiciendam dedisti, ut cujus archetypi typus esses cognoscerent, cum autem te totam oculum esse cornerent, hæserunt mente attoniti, et usque adeo perturbati, ut ipsi in contrarias sectas divisi, te pariter scindere molirentur; sed contra accidit, ut iidem a te discissi, jam nec sibi ipsi consentirent, cum tamen ipsa invariata perseveres, tibi semper similis et constans. Iis solummodo tuum cernere non licuit vultum, quibus suos veritas oculos negavit. Præterquam quod velum proprium Prophetarum insigne arcanis intextum notis, oris tui fulgorem tegebat, simul illorum oculis occultabat; aliam proinde te esse crediderunt, cum eadem ipsa sis datum nobis speculum veritatis proptereaque sectæ oculis laborantes infestam sibi lucem tuam obscurare conantur.

VI. Sed quoniam alii te supra tuum extulere modum, et infra depresserunt alii, ut partem utramque ad æqualitatem reducas, agesis, et ex eo fastigio, in quo pagani et

barbari te locarunt, descendito; rursus inde ascendito, quo a Judæis abjecta fuisti, cælum licet semper obtineas. Tu vero veritatis amicus imaginare Dominum nostrum medium inter homines, ac Deum tibi præsentem: fac accedant Prophetæ, palamque et publice, quem hunc esse credant, loquantur; illa nunc Genitor sua recinat verba, quorum vim Judæos et paganos frustra nituntur infringere.

VII. Hic jam adesto, fides, donum sanctæ Ecclesiæ divinitus concessum; in hujus, oro, sinu morare et conquiesce. Quod si te exagitavere circumcisi, id non mirum, fabulas isti et sua somnia consecretantur; cum ipsis conspirarunt heterodoxi, nec istuc novum, contentiones quippe amant et lites. Videdum, ut ei gratam te præstes, qui tibi condidit adjunxitque gentem tibi decoram, quæ te suis subvectam humeris, gloriose per orbem circumfert. In mosaïco Testamento primoribus velut lineis descripta fuisti, in novo deinde sædere perfecta, pleno velut orbe jam nites; sic a primis ad novissimos lux tua propagata est. Reliquum est, ut ei gratiæ agantur, qui nobis tuæ lucis crepundia primum ostendit, post etiam attulit meridiem.

---

## SERMO LXXXVII.

*Alias* DE MARGARITA SERMO VII.

I. Secessum quærebam, in palæstram incidi, conveniant huc ex parte heterodoxorum sophistæ, nova incesse-  
rat otiosos cupido explorandi saporem ignis, cernendique spirituum colores ac mollitudinem, et lenitatem lucis: in has nimirum lites egregios illos disceptatores splendor a sole emicans impegerat. Filium Dei nostris utique sensibus

minus obvium, quam nostræ mentis cogitatio, manibus etiam atrectare se posse nugabantur; nam Spiritum sanctum ab omni itidem nostra facultate abstractum jactabant se suis sibi speculationibus sensilem fecisse: Patrem vero, qui vulgo incomprehensus haberetur, ab ipsis proprio acumine fuisse investigatum, et comprehensum. Nos autem perfectum fidei exemplar accepimus ac tenemus Abrahamum: pœnitentiæ nostræ formam Ninivitas et Rahab domum; spei demum nostræ archetypum Prophetas, et Apostolos.

II. Invidiam primus intulit diabolus exitiale malum; ad impiam Ægyptii religionem vitulum, turpe simulacrum invenere. Finxerunt Hethæi horribile spectrum, idolum quadriforme. Græcorum fœtus est occulta tineæ, sophistarum dialectica. Jam vero cum hujus artis liberos legisset orthodoxæ fidei adversarius quidam, sana dicta corruptit, impias opiniones disseminavit, spei nostræ fundamenta subvertit. Hunc scilicet fructum felle draconum virulentiore attulit, quisquis disceptandi libidinem primus accendit.

III. Diabolus ut vidit acies suas ab adversa veritate infractas, eademque subolescente, sata ante zizania suffocata, publicæ luci se subduxit, adversus nostram disciplinam occultos dolos molitus est, tetenditque laqueos. Sacerdotes ante alios adortus ad ambiendum primatum concitavit. Continuo clerici cœperunt inter se certare, et ad ecclesiasticas præfecturas omnes pertentare aditus, fores perrumpere et perfringere claustra: et alii quidem ad dignitates per occultos tramites, quasi per cuniculos coniti; alii contra palam, et velut directa acie viam sibi aperire; plerique rem velut ex æquo et bono pecunia transigere, aut simulatione virtutis et probitatis; sic non unam omnes tenuere viam, etsi unus esset omnibus scopus. Ju-

venes suos non computavere annos, ut intelligerent ætati suæ locum, quem appetebant, minime convenire; senes spes suas et somnia ultra senium composuere. Hac fraude veterator vaferrimus suis conclusit retibus universos. Ecce jam senes et juvenes, quin et pueri ad summos in Ecclesia honores aspirant.

IV. Veteres ille nocendi artes dimisit, sibi que nova fabricavit arma. Antiquum Judæorum populum teredo et caries eroserunt et absumpserunt, si quid relictum, sceletus nimirum est, et nudata ossium compages. Ergo in novas vestes, novas videlicet gentes, novum linearum genus immittendum fuit. Et quoniam videbat Christi interfectores abjectos despectosque et velut extraneos a communi hominum consuetudine contubernioque exclusos, ex domesticorum et familiarium turba scrutatores sibi finxit, adoratores fecit disceptatores, ex ipso panno tineam protulit, eodemque involutam reliquit, dum similem frugibus procurat pestem. Postquam vero plena horrea vermibus scaterere vidit, sedit spectator otiosus. Extemplo annona multo labore coacervata, in teredinum retrimentum soluta est; simili astu vestes dignitatis insignia tincis abrodendas dedit et perdidit. Adeo nos ille illudit, et ipsi nos ipsos illudimus, postquam rationem mentemque vino mersimus. Zizania Satanas seminavit, agrum ante cultissimum simul operuerit vepres. Caulas infecit, et scabies in oves grassari cœpit, hac arte sibi gregem avertit universum, suoque adjecit censui; pugnam a populo Judæorum inchoavit, eoque profligato, adversus Gentiles procurrit, ut eorum cæde prælium conficeret.

V. Calamum senior ille populus, cum Filio Dei illuderet, sceptri loco obtulit; scélere haud dissimili juniores calamo suis in scriptis illum ex Deo purum hominem fecerunt. Calamum itaque pro calamo diabolus adversus

salutis nostræ Reparatorem strinxit, atque pro diversis vestibus, quibus illum ipsius interfectores per summum dedecus et ignominiam induerunt, nuncupationes ipsi minime decoras malitiose confinxit, eique allevit, Effectorem rerum modo creatum, modo factum appellans: et quoniam alias spinis utique mutis coronam ei texuerat, vocales modo sentes in sertum compegit, hisque superfudit carmina in varios modulata sonos; sic vepres canoris inclusit tibiis, ut falleret.

VI. Satanás, cum animadvertisset suam in præteritis conatibus nequitiam fuisse deprehensam, sputaque et acetum, spinas et clavos, crucem et ignominiosam vestium mutationem, arundinem et lanceam utpote in propatulo posita, et vulgo infamia et dolore execrata, mutata velificatione, statuit alium tenere cursum. Quamobrem pro alapis, quibus Dominus noster cæsus fuit, cæcam errandi licentiam induxit, substituit sputis disputandi rixandique prurimum, ignominiosis insignibus clandestinas molitiones, et apertam discordiam arundineo sceptro subrogavit. Adeo nihil prætermisit, quo nos perturbaret et confunderet. Furorem superbia concitavit, incubuere simul invidia, et iracundia, arrogantia et simulatio, factoque agmine Salvatorem nostrum invasere eodem ferme impetu, quo olim in ejus necem conspirarunt. Crucis patibulo conspicuo, et oculis patenti subiere secreta hæresis, clavisque ferreis fraudulentæ disquisitiones, atque Servatoris ad inferos descensui ab orthodoxa veritate defectio. Satanás nimirum typum crucis vetustate prope consumptum restituere sategbat. Pro spongia aspersa aceto ac felle disquirendi pestiferam curiositatem invexit: et Dominus quidem respuit oblatum fel, fatuis contra pruritus a perduelle spiritu accensus, accidit gratissimus.

VII. Illatam Salvatori necem tunc iudices vindicarunt,



contra modo video iudices velut adversus nos conspirasse, et pro chirographis impunitatis scribere damnationis iudicia; et quod magis deffendum, sacerdotes sueti reges consecraro, ipsis offendicula aggerant, cum pacem imperio precari deberent, imperatores ad arma concitarunt, inde cœpta ab iis adversus subjectos sibi populos bella. Pacem, Domine, poscimus sacerdotibus et regibus; præsta, queso, ut in unam Ecclesiam cœuntes clerus et populus, pro salute principum Deo offerant preces et vota, subjectisque clementiam moderatorum exorent. Ita, precor, turbatum intestinis discordiis reipublicæ statum pacato tu, Domine, rerum internus et externus dominator omnium.

---

## SERMONES TRES

IN IDEM ARGUMENTUM.

---

### SERMO I.

I. Nostram stupeo audaciam, cogitans quale sibi culmen quam sublime petat, non quod illuc pervenerit miror, sed quod eo se perventuram crediderit; nec enim quo quis aliquid assequi se posse sperat, eo obtinet, quod obtinendum sibi promisit: spem exitus sæpe fefellit. Sperare admodum facile est; insani siquidem Divinitatis indagatores perfectam ejus notitiam sibi quoque pollicentur, expectationem tamen nunquam non delusit eventus; quamlibet nimirum supereffluit ille intelligentiam, cujus Numine e

nihilo omnes crevere mentes, quare nec hominum investigationi subest, et Angelorum perspicacitatem transcendit: opus artificis sui rationes explicare nescit, sed nec modum, quo ab illo fabricatum est, narrare potest: at si suam effectus conditionem non assequitur, quomodo Effectoris sui majestatem obtineat. Incassum nititur mens in arcem sui Conditoris evadere; infra hanc reptant humi disceptantium studia, dum conantur ei similem invenire, cui præter Unum nemo dissimilis non est; omnes ab ejus notitia exerant, qui unus ipse sibi notus est.

II. Cum rebus e nihilo eductis hunc nulla jungit affinitas, ita ut creatæ mentes, dum sibi proximum quærunt, inventum iri non desperent, nec rebus materia concretis congener est, ut homo lutum ejus rationes exponere possit, sed nec Angelis compar est, ut ex paritate naturæ conditionem ejus conjectent: Cherubim utique socius non est, qui ab ipsis tanquam Dominus gestatur: inter volantes Seraphim inepte requiris, quem propriæ naturæ excellentia ad dexteram majestatis locavit; famulum non esse liquet, cui eadem, quæ Patri exercet obsequia, familia præstat universa: Cœlitum agmina ejus continentur imperio: nec illis Genitorem sine Genito videre licet, nec sine ipso quæ per ipsum a principio facta et constituta fuere. Lux oculo concipitur, totumque corpus illuminat, sonus pepulit aures, omnia membra perculit; ciborum saporem percipit palatum, ejusque sensum toti corpori communicat: simili modo Angeli per Filium vident Patrem, cujus ex utero idem genitus est, perque ipsum Genitoris vocem audiunt, ejusque donis cumulantur: frustra in hoc negotio requiras socium, qui sodali auxilium ferat et ab eo vicissim referat. Sensus mutua indigent ope, et cognatione quadam inter se connectuntur, res omnes velut membra in corpore sibi invicem cohærent et opitulantur; supernæ pariter intelligentiæ

constitutum ordinem servant, et pro graduum differentia altera jubet, obedit altera; unus Unigenitus omnibus, quæ dixi, quæve prætermisi, imperat et dominatur, et ab ipso suspensa sunt omnia. Qua ergo via hunc investigabis? Quod si Patrem cum illo naturæ communione copulatum potis es comprehendere, cum Patre Filium utique simul apprehendes, nec enim ab ejus ore potest abesse, cum ille jubet, nec a manu, cum idem operatur. Pater per Filium jubet, et agit, alter duntaxat alterum capit: Filius in sinum Patris recipitur, cum ejus petit amplexum, cumque sedet, ejus dexteræ assidet: hunc amat, hunc spectat.

III. Vehementior est ejus fulgor, quam ut servorum oculis tolerabilis sit, quare nec Angelis aspectabilis est: ex Mosis facto id conjectare licebit. Mosis in vultum oculos defigere populus non sustinuit, naturæ ex sese existentis faciem videre quis potis erit? Unus ex ipso Genitus Genitorem videt, ad cujus jubar omnis hebetatur oculus. Unus, ut dictum est, Unum videre postest, et per Unum cæteri omnes ab ipso conditi et constituti. Solus ipse sibi sufficit; quocirca non aliunde, sed a sua ingenua bonitate habet, quod præmia dispenset, et a sua ultrice justitia, quod pœnas infligat, ipse sibi modus et regula est; ipse se movet ad iram, cum irascitur, et ad misericordiam ipse se flectit, cum parcit, a sua præscientia habet, quæ futura revelat, et quæ docet, a sua sapientia discit; divitias et scientiam ipse de suo largitur, ejusque solo consilio rebus ab ipso conditis providetur, et ejus liberalitate egentium instruitur inopia. Vere summum bonum, cujus ex thesauris cuncta nobis diffunduntur bona, idem suis Athletis ad vitam olim redituris coronas distribuet, sed cum totus in se retrusus et abditus delitescat, quis hunc assequi investigando valeat?

IV. Adorant Angeli, et silent, clamant Seraphim, et

ejus prædicant sanctitatem, majestatem reverentur Cherubim, et portant. Quæcumque e nihilo crevere, absconditum Patrem per manifestatum Filium a longe adorant; sed etsi alia natura foret, sua vi cohærens, Filiumque investigare potens, hæc utique non ex sese, sed a Filio haberet, unde ipsum videre posset; secus si quam peregrinam substantiam fingis, et Filium propria virtute videre credis, ei utique affinem et cognatam dicere debes. Præterquam quod si natura talis extaret, et ipsa sola Filium cognosceret, vel hunc alium sibi fingeret, ab ipsa sejunctum, tanquam extraneum, vel contra sibi affinem, tanquam communi natura conjunctum: atqui si communionem hujusmodi admittas, quam fingis naturam aliam, alia non est, sed Deus est, nec inde substantiarum, sed nominum duntaxat numerum colliges. At si contra a Deo extranea est, creatura est: atqui nulla creatura, nec ipsi primi ordinis Angeli hanc scientiam tenent; quare nec talem creaturam Deo affinem dicere potes, tum quod nec cum Deo communem naturam haberet, tum quod nec Deum videre posset; sed recte pronuntiabis eam esse extraneam, atque ab ipso remotissimam. Tu autem ex luto, et argilla factus, et infimo addictus loco, vide ad quam sublime culmen aspiras.

V. Te ipse fallis, si credis quanto tibi intervallo supereminet cælum, tanto a te distare cælorum Dominum. Cæli altitudinem definire potes, Conditoris tui excellentia omnem modum exuperat: omne, quod conditum est, comparabile est, et altero fictæ comparationis extremo majus imaginari potes, unus rerum Repertor incomparabilis est, adeo res a se conditas superexcellit, ipsarumque intelligentiam supervolat. Creaturas naturalis cognatio jungit, brevissimum est, quod eas ab invicem dispescit, fretum; qui autem rerum factarum principium est, nec alterius bene-

ficio, sed vi sua cohæret, infinito ab illis spatio discedit. Unus ei propinquus est, per quem unus omnia condidit. Nullus ad eum aditus servo patet, uni nimirum Filio Patrem adire licet, nec ei assidet socius; hanc enim sedem unus obtinet ab ipso Genitus.

VI. Res factas interjectus ingens hiatus a suo Effectore prohibet, nec tamen ei ad illas comœatum intercipit, sine quo omnes nec ab initio extitissent, et modo in nihilum relaberentur. Illæ ipsi cohærent, non item ipsis ille, sed et quantumvis idem illis se immisceat, non idcirco cum ipsis confunditur. Solis influxus per intimos terræ sinus immeant, ejusdem tamen natura non minus ab illa distat, quam a perspicuitate lucis terræ opacitas. Aurum terra cretum ab eadem secernitur, etsi eidem immixtum sit, quanto magis secretum existimare debes ab artefactis artificem quantumlibet ipsis conjunctum. Næ ille ubique impervestigabilis est. Quid te altiora quæris, vile lutum? quin terram cogitas, qui in terra jaces? quam calcas humum, suas te pervestigantem rationes fallit: qui vix hæres in imis, cur summa petis, aut eo evadere speras? Si cognatum pulverem, quandoquidem ex eo factus es, non assequeris, quis tu, ut audeas indagare naturam eximiam et omnium præstantissimam, ac proinde inscrutabilem?

VII. Sed agesis, terram præ oculis habes: res una est, et quidem parva, illam cursim et velut per transennam aspicienti, multiplex tamen et magna serio et accurate consideranti. Una est, et non una, numerum induit a multiplicitate suorum effectuum. Venter unus innumeros sapes concipit, et parit, unum repositorium, nec oppido amplum infinitum ornamentorum apparatus continet, et offert. Terra rerum mater natos generat degeneres, nec parenti, nec sibi invicem similes. Ab exiguo sinu res mirandæ nobis existunt, et in paupere domo plurima aperiuntur æra-

ria. Ex uno fluxere fere omnia, ex uno namque terræ elemento primum crevere cuncta. Terræ nihilominus natura cum omnibus sensibus pugnat, ingesta auribus officit, oculis incidens molesta et gravis est; auditus quippe meatus obstruit, et visus hebetat aciem.

VIII. Terra ex sese inutilis, nobis omnium commodorum fons est, apta ad omnes usus, ad nullum non prorsus inepta est: famis remedium est, at si præter terram mensa tibi nulla sit, victus nullus erit. Terra palatum nostrum offendit, quæ maledicti serpentis cibus est, hanc tamen, quam serpenti Deus dedit iratus, cunctis viventibus propitius offert, quasi mensam congruentibus singulorum conditioni cibis cumulatissime refertam. Cui cum nullo palato convenit, eadem omnibus animantibus convenientia alimenta profert; quam oculis nostris exitiosam diximus, eadem remedia parat; lutum, quod videndi facultatem adimit, hominis a sua nativitate orbi oculos restituit. Terra itaque, seu ejus naturam consideres, seu quæ ministrat alimenta percurras, tantum continet utilitatis quantum fortasse nulla res præterea; qui talia cernis, mirum est, si quas nobis illa profundit opes, non oppido mireris. Elementum exsuccum omnis succi fons est, ex sese inuber et siccum, uberes et profluas emittit aquas, idem ex sese tenerum et molle, æs et ferrum producit, quod vides egenum et nudum, fundit argentum et aurum. Terram habent aves communis provisoris loco, bestię eandem quasi matremfamilias respiciunt, dives et inexhaustum horreum recte dices, quod cunctis jumentis reptilibus, atque hominibus alimenta perpetuo suppeditat.

IX. Aliud rursus in hoc, quem calcas, pulvere considera miraculum, quod tamen ob ipsius simplicitatem vix alius attendat. Naturæ auctor in eodem solo discordes plantas concordavit, et junxit. Suavis, ut vides, et utilis

planta insuavi et inutili adnascitur, terra amari fruticis acerbiter alit, nec dulcis oleris suaviter sua cura destituit; amarum succum ille cohibet, ne istud inficiat, suum hoc saporem continet, ne in vicina olera excurrat. Extrica hunc agrum, si potis es, qui fiat, ut vilis gleba singulis suis fœtibus congruum distribuat alimentum, pomis aptum impertiat saporem, suis tingat coloribus flores, convenientibus odoribus imbuat, suisque tegumentis convestiat; sic est, idem elementum fruges aptat palato, olfactui odoratas species, venustatem et tegumentum floribus. Rursus segetes curat, non secus ac operi intentus suo diligens artifex, frumenta culmis committit, geniculis culmos firmat, velut suis ædificium commissuris, ut pubescentis frugis pondus sustineat, et flatuum impetum frangat.

X. Quot putas terræ naturam dedisse ubera, ut singulos suos lactet fœtus. Ingens sane miraculum narras, si ei tot astruas mammas, quot vegetat alitque plantas, sive fingas, ubere ab uno tot tamque diversa seminum, plantarum et fruticum genera suum unumquodque proprium et singulare alimentum trahere, adeo ut alia succum hauriant suavem, alia contrarium. Quanquam nec isthuc tantam habet in se admirationem, ut non faciat forte majorem, quod nobis exhibent cujusvis generis singulares naturæ; qui videlicet fiat, ut idem, puta, in arbore succus species induat plurimas easque tam diversas, adeo ut pomorum gustus suavis sit, acerbis foliorum; sed et ipsa poma cum primum pubescunt, saporem reddant ingratisimum, et maturata dulcescant. Quicumque vitiosam vitæ consuetudinem emendare statuerunt, hoc symbolo admonentur, duros severioris vitæ labores exitum habere jucundissimum.

XI. Cæterum si limus tuis calcatus pedibus, tuam supervolat intelligentiam, quem te esse credam, qui illius

majestatem pertentare audes, qui te in rebus vilissimis attonitum hæere facit? Luto utique nil despicias, nil capillis tenuius, pedibus subjectam teris humum, ejus tamen opulentiam et divitias necdum didicisti, capitis tui capillamentum tuas ratiocinationes præterfluit, nec quid sit adhuc assequeris. Advertis-ne, ut tibi arcana scrutanti Altissimus non maria objicit, eorumque irremeabile profundum, nec cœlestes orbes et errantia sidera, sed intra angustissimum duarum naturarum vilissimarum ambitum cogit, hic tibi stricto verbere instat, tuam temeritatem in pervestiganda ipsius majestate redarguens. Quanquam nec isthæc, quæ dixi, infima se continere posse videntur, quin acriter in tuam proterviam insurgant, qui velis immensam altitudinem metiri. In geminis hisce vilibus naturis, omnis naturæ Dominus te admonet, ut cæcos istos impetus cohibeas, neve tuis negata oculis adyta pervestigare tentes. Tui porro reprehensores tibi præsentés sunt, nec unquam a tuo latere discedunt, nec vero mirum, si cum tibi semper incumbat superbia, verbere assiduo commonendus sis.

XII. Sed perge, quis, cedo, sanus homo inscendat equum et incitet ad cursum, nisi ante frenaverit. Durum id quidem, sed ad coërcendam bestię ferociam et præcipites impetus, promptum et singulare remedium. Vide igitur, ut sciendi cupiditatem coëreceas, quominus cæco impetu feratur. Habet sua frena arbitrium, vis item sua. Integrum tibi ac solutum arbitrium relictum est, frenandi liberæ voluntatis impetum jus; cogendi datam tibi potestatem tuus sibi reservat Dominus, ut si quid temere decernas, id exequi volentem infirma destituat virtus: velis nolis, Domini tui te frena premunt. Quiesce miser, quem tandem habebit exitum labor iste tuus? Perfectus est Pater, principium principio carens, talis est Unigenitus a solo Patre mirabiliter generatus. Patri nihil deest, nihil Filio addi



potest, hunc enim Pater comparem sibi progeneravit numeris omnibus absolutum: quidquid exigit Divinitas, plene cumulatissimeque tenet uterque, Generator et Genitus. Perfectissima arbor fructum profert sibi penitus penitusque parem, totum, quod habuit, in fructus transtulit. Inexplicabiles arboris sapes in suo fœtu collecti perseverant. Quod si reliquæ arbores genitivas qualitates suis pomis communicant, quæ fiat, ut arbor illa optima fructui suo, quas habet, neget opes? Arbor quidem suas intra se recondit divitias, quas tamen aliquando abnuat externis, in suos semper prodigit fructus, quas vero ipsi concepere opes, petentibus mox dispensant. Atqui sapor ille suavissimus per eum, quem dixi, fructum nobis nunquam manasset, nisi prius in ipsum ab arbore effluxisset: hunc porro in fructum suum arbor transfudit, quia hunc præ omnibus diligit, dulces autem fructus egentibus erogavit, quia quo Pater amore suum fructum complectitur, eo ipse manducantes prosequitur. Occultam radicis naturam ex ejus fructu conjectare licet. Sed tu cave, ne novam de tuo doctrinam comminiscaris, dum vita manebit.

XIII. Ohe satis est, tuam cohibeto sitim, eo humore contentus, qui ex primis fontibus tibi decurrit. O te beatum, si tibi detur inde profluentes haurire aquas. Flumina nempe quatuor veritatem per quatuor mundi plagas circumtulerunt. Major utique fuit illa sitis, quæ Simonem ussit; quas ille bibit aquas, bibisse habeto satis; allatum de cœlo oraculum igneam ejus sitim depulit; ingens, qui ei affluxit, fluvius, ab ipso exundans, ad te profluxit. Scatebra paradisi est hic fons longe præstantior, quid adhuc stagnantes tu petis aquas? Mundo major est fluvius, qui a mundi Domino fluit. Oraculum Petro redditum ad nos usque manavit, et perenni fluxu in ævum decurret; sed nec tu ardentiore in Filium Dei charitate præ Simone fla-

gras; hic tamen cum divinum responsum audisset, dicentis majestatem silentio testatus est. Lingua cætera promptus eo loci solummodo obmutuit, postea in cœna linguam continere coactus, a nutibus prohiberi non potuit: Deo loquente siluit totus, se satis beatum reputans, quod talis appellari meruisset, conticuit. Sic nimirum linguam ipse suam imperato silentio coërcuit, simul exemplo disceptatorum petulantiam castigavit. Ecce autem limites, quos Simon reveritus continuit gradum, audacissimi homines impune proculcant. Multa prostant in divinis Scripturis oppido admiranda, quæ tamen disceptantium cavillationibus obscurata, oculos minime hebetes sæpe fugerunt. Hic porro Dominus magistri officium exercere recusavit, nec Simonem ore proprio docere annuit, quis ipse esset? ipse sibi ignotus videri voluit, ut Pater, quis idem esset, publicaret, non quo Dominus ipse se manifestare non posset; sed quo proprio facto audaciam scrutatorum infringeret. Jam si ipse res suas narrare detrectavit, quem post ejus exemplum earundem enarrationem sibi arrogare non pudeat? et si ipse suam in carne manifestationem suppressit, divinam ejus generationem quis indigare non vereatur? Dixerat alias uni Patri Filium esse notum, ut ergo dicta prius modo confirmaret, Filius tacere debuit, ut non alius, sed Pater notum sibi Filium loqueretur.

XIV. Qui Filium habet in sinu, landes ejus unus effari potest. Unicus Genitus unico Genitori dicendi initium fecit, et posuit finem, quomodo et ipse Unigenitus a Patris voluntate vitam suam et institutum exorsus, ejusdem arbitrio conclusit. Disceptandi facultas nos ipsa destituit, nec adhuc garrulitas nostra continere se potest. Superbia nostra antiquam disciplinam perosa laborat, ut novam inducat, superbus suæ gloriæ detractum putat, si veritatem eo, quo scripta est, calamo repræsentet; arcana quærens, rejectus

est, manifestam veritatem excolere jussus. Expressam a Simone tibi descripto formam; Piscator factus est pictor, exemplar Ecclesiis tradidit, quod alta mente repositum cuique manere debet, Filio Dei ore uno dicamus omnes: « Tu es Filius Dei vivi <sup>1</sup>; » Superi Inferique non alio auctorantur sacramento, hæc tu oraculum pro quotidiano pane habeto, hoc tu per omnem diem mente revolvito. Unus ille beatus, quem talem dixit Filius Dei, fecit autem, quo beatum dixit.

XV. Oculus oblatum lumen non discutit, isthuc videre satis habet, somnum capturus, hujus scire naturam non curat, nec pomorum proprietates palatum. Terram assidue calcas, ejus terminos non requiris, mundum hunc ornatissimum videre te delectat, hunc indagare tamen nil tua certe refert. Næ tu insanis, qui captui commensa tuo præteris, et incomprehensum capere cogitas, quive naturam Conditoris curiose scrutaris, mundumque ab eo conditum spectator otiosus circumspicis; quem demum res nulla sollicitum habet, et omnium rerum Dominus angit.

XVI. In cibo et potu aliquem observas modum, in disceptando nullum. Mente præditus angusta, huic discendi studium attemperare disce, nam si stomachum cibis intemperanter ingestis oneraveris, oppressisti. Orthodoxam doctrinam amplectere, mensa nimirum est apparatus omnibus, et singulis congrua alimenta ministrat. Vide ut cibum inde moderate capias, cave ne voluptas ipsa te capiat. Plurimos namque illa fefellit. Disceptandi studium dummodo modestum sit, remedium est; venenum, si modum excedat. Tu ergo, qui aquas moderate bibis, simili lege disceptare memento; graviores namque a pravis quæstionibus sustinebis perniciem, quam ab aquarum exundantium alluvione ager. Quem petis non parvo te superat ex-

<sup>1</sup> Matth. xvi, 16.

cessu, ut ad eum pervenire te posse confidas; si te cœlum altius est, longe magis ille cœlo excelsior est, et centuplo magis in eodem prospectu a te distant ejus vestigia: non quo ille sublimes retrusus in arce venientes excludat, ideo inveniri non potest, facilis enim et apertus est ipsius creaturis ad illum aditus, idem tamen arduus et impenetrabilis; adeo rebus omnibus interest et superest: ejus item bonitas liberalissime se nobis indulget, majestas tamen omnes ad ipsam indagandam tramites obstruxit. Et hoc quidem arcanum noscet ille solus, qui nihil extra ipsum scire velit.

XVIII. Voluntas penitus penitusque cognoscendi Deum multorum fatigavit ingenium, quibus tandem id unum apprehendere licuit, Deum non esse merum figmentum. Hanc arcem quisquis invadere cogitat, aliquando tandem intelliget ab illa eo se longius abesse, quo minus se ab ea distare male præsumpsit, simili seductæ spe procurrare simul omnes facultates animæ, corporisque sensus, utraque acies inutilem laborem mox damnavit, doluitque se in salebras turpiter impegisse, tum quando rebatur se, quam petebat, attingisse metam. Nec porro aliud sentire aures, præterquam nihil sibi de Deo hactenus præsensum: sed et dum divinitus inspiratæ Scripturæ eis recitantur, collisæ labascunt; dum auris altera, quæ ante fatigatum ab itinere sedisse Dei Filium audierat, post audit hunc esse ingenua naturæ suæ virtute infatigabilem: altera item quæ modo audierat, succubuisse somno oppressum, mox audit insomnem esse, suoque semper operi assiduum atque intentum; et adhuc alia, quæ audierat, ejus amplitudinem ad certos fuisse contractam terminos, dum audit ejus majestate plenum esse cœlum. Quandoquidem unde ille non abnuit videri minor, inde intelleximus ipsum esse omnium rerum factarum universitate majorem.

XVIII. Sed perge, cum audisset auris indocta sibi membra compegisse Deum, hunc tangi posse credidit, sed dum compagem quærit, deprehendit Deum ab omni omnino materia discretum; sed et cum audiret Deum ea in parte morari, simul ei nuntiatur omnia ab eo contineri loca; docta bonum appellare Deum, monetur hunc vocare severum Judicem; Deum scelerum ultorem speculantem, ejus ex adverso bonitas rapuit. Dei indulgentiam consideranti occurrit justa in facinorosos severitas: animum veniæ spes recreat, torquet animadversionis metus; anceps inter utrumque pendet; inter probationem et animadversionem deprehensus, exitum non reperit, circumspiciens ubique prævalere sceleratos, et insontes duro vapulare verberare. Sic res est, Deus justos igne probat, audaces virga coercet: miscet utrumque, non confundit Deus, ordinem ubique servat: infirmarum mentium est in talibus hæerere.

XIX. Novus adhuc hominum mentes oppressit error, dum cernunt parvulos acerbo fato una cum senibus abreptos; et hic quidem agi ex justo et jure, illic præter utrumque; duos vident, neuter est nocens; alter pleclitur, evasit alter. Vident homines pios ac intergerrimos, miseram alii vitam, alii beatam ducunt. « Non cohærent ista, inquirunt, nec consentanea sunt. » Hic ad examinandos varios sceles-torum et impurorum hominum casus, et vitæ exitus digressi, « Quid istuc est, aiunt, ut iste sicarius in primo scelere deprehensus, perierit, et incolumis ille crucem effugerit, plurium licet parricidiorum reus? » Quemadmodum male compactæ naves, coorta atroci tempestate, fluctibus haustæ pereunt; sic non bene instructæ mentes, hinc Dei bonitatem, inde severitatem cogitantes, utrinque velut contrario æstu exagitatæ, naufragium sæpe fecerunt; quod quidem eo contingere necesse est, quod neutram nos


penitus perspectam habeamus, utramque proinde confundimus, et vicissim nos ipsi pro nostra infirmitate confundimur et perturbamur. Atqui etsi non omnia divina assequimur, quæ tamen nostra interest minime ignorare, ea pro modulo nostro intellexisse, satis habere debemus. Supremus hominum Judex iniquus esse non potest, istuc scire homini satis est, ut cætera nesciat, nec Deum a nobis, nisi per summam audaciam reprehendi posse; summa enimvero audacia est, artefacta suum velle monere artificem. At enim a quo admonendus erit, qui vim dijudicandi honestum a turpi naturæ dedit? aut a quo sapere discet, sine quo nemo sapit? aut a quo iudice ejus causa cognoscenda erit, qui omnium causarum cognitor est? Quicumque tuam ab illo scientiam hauris, beatus, si inde intelligas tibi ad illum per sua dona tendendum; te siquidem ducit ad muneratorem munus ab ipso collatum, data tibi ab illo sapientia dedit nosse te ipsum, ac Deum tuum: illius te illapsus ad ipsum suaviter trahit; nec enim tuus te conatus ad eum provexerit unquam.

XX. Intelligentia te auxit, et extulit, vide ne tu gloriam ejus deteras, et imminuas dignitatem. Si forte tibi suscepta negotiatio bene successit, quæstusque tuæ crevere opes, fundo tibi ab illo liberaliter ante concessio, id totum debes: si quid didicisti, ab illo doctus es. Ille archetypus, tu expressum ab ipso exemplum. Quod si concepta ab ejus afflatu luce, verum et falsum ipse discernis, an isthuc sapientiæ fons ignorabit? Justum et honestum doctus, id ipsum recte considera, statim intelliges quæsitam tibi hactenus scientiam alieno indigere consilio, clareque perspicias, quam parvi facienda sit isthæc scientia tua, si absit prudentia. Nefarium est quod cogitas, si tibi fingis effectum Effectore suo sagaciorem; age, interroga a quonam ipse acceperit, quam jactat, scientiam, ac si hanc a Domino

suo non hausit, nec ejus servus est, nec socius tuus. Propriam conditionem occultare nequit; lautus ignis metalli vitia detegit; quod artificis operam reposcit, artefactum se esse prodit. Atqui si suus illi Dominus, quæ scit, scire dedit, si hunc redarguat; nec enim potest, ultra censum sibi ab illo constitutum, suas explicare rationes. Ut amplissima sint dona, quæ accepit, eget adhuc largitoris ope. Quod Opifex opus suum imperfectum reliquerit, non id imbecillitati ascribendum est, sed consilio egenum fecit, ut provisorem requireret. Quidquid rebus factis non deest, ab Uno habent liberaliter concessum.

XXI. Cæterum si divites dicis, quos tales faciunt precarii quæstus, inepte Dominum opulentum negas, qui omnes jure suo dispensat opes. Sua ipsum bonitas coëgit sua tibi dona profundere: egenum se fecit, ut te haberet divitem. Cave ne ejus opibus auctus in tua egestate persistas. Quod ei non placeret te congenita pressum inopia languescere, tuam ejus egestas depulit paupertatem. Cave ne tu ejus numerando opes, pauperem ipsumingas, ( si tamen cogitare potes inopem copiam, omnis inopiæ supplementum. ) Næ ille inopem se facit, qui illum vestigabilem esse credit. Tua utique potior est muti sors, quid enim adversus suum Opificem fari potest? Surdoque inferior censeberis, qui de suo Effectore conferre et disceptare non solet. Si linguam nactus disertam blaterare audes, tibi utique præferendus est, qui nihil dicit. Oh ingratus es, qui talibus ornatus facultatibus, istam Domino rependis vicem!

XXII. Dei Unigenitus te de tuo parvum, magnum de suo fecit, vide ne ejus tu magnitudinem deteras; quamquam nihil ei decedere potest, a quo res omnes sua incrementa petunt; quare non tu illius dignitatem, scrutator insulse, diminuis, sed tuam. Si bonum nactus ingenium,



in pravum mutaveris, continuo senties mutatam ejus erga te voluntatem, tibi que versa in contrarium, quæ cæteris præstare solet, bona. Quare caveto tibi, ne perverse agendo cogas volentem omnes habere divites, te in tua egestate descrere, cæterosque exaltantem, te deprimere, alios errantes revocantem, te in tuo errore relinquere, et paratum omnes perditos requirere, te percuntem negligere. Profecto si de illo disceptare pergas, fiet ipse tibi vitio tuo occasio erroris, tum exitii, si audeas tua decempeda metiri immensum; si que velis illum circumscribere, ipse te circumventum dolebis; nec enim invenies finem, ubi nullum est reperire; quidquid est comprehensum, suo comprehensore minus est.

XXIII. Tecum ipse pugnas, si Creatorem illum prædicas, et vestigabilem fingis; si que summum et supremum appellas, et ad captum tuum demittis et deprimis, inconsequentia et contraria ponis, cum infimum locum teneat comprehensus, comprehensor summum. Et sane si fieret, ut Deus investigaretur ab homine, et comprehensus teneretur, quisquis facti testis adesset, hominem Deo majorem pronuntiaret. Dic sodes, quæ sacra linguam expiabant sceleratam, quæ huc usque suam protulit audaciam? Suorum solent famuli dominorum celebrare laudes, suorum imperatorum insignia facta memorare milites; tu contra impie deteris Unigeniti gloriam, et quo nemo major est, minimum fingis inquirendo. Siccine qui ad ignem propius accedere non sustines, ejus Creatorem audacter appetis? qui ardentis pyræ vaporem caves, Filii Dei violas majestatem? scilicet quia ab obsidente flamma absumptus non fuisti, superbis, nec cogitas divinæ clementiæ hanc te debere gratiam, quod fulmina, quæ tuos sustulere sodales, tibi pepercerint, utique non merenti, adeo te, quæ declinasti, tela monent suum revereri jaculatorem. Ful-



getra et corusca oculi perhorrescunt, et nubium fragorem aures. Quid isthuc, ut os tuum de illorum Domino disceptare minime vereatur? Quæ pedibus trahis, incassum percipere niteris, qui illum summe arcanum et reconditum, tibi comprehensum blateras. Quis tu hic? homo diceris vile lutum, istic ubi jaces projectum, cum ille impleat universum. Te tuus ambit locus, ille nullo continetur loco, omnibus quippe interest, et superest; qua ergo in regione illum requires, qui nullis circumscribitur spatiis? Et quoniam nec in humili aëre tibi volitare concessum est, infra cælum hæc ima perseguere: in rebus perspicuis tuæ mentis experire aciem.

XXIV. Expedi, cedo primum, unde existant, quas videmus semper micantes fontium scatebras, thesauros nempe cuique patentes et inexhaustos. Quid enim? num e nihilo crevere primum, vel e præparatis longe ante conceptaculis tandem eruperunt? Nam si cogitas illas e quibusdam subterraneis promptuariis æstu refusas prosilire, profunde pauperem fingis Conditorem, ut qui opibus aliunde quæsitis, nostro more opulentiam habeat precariam. Næ tu somnias, Creator pauper esse non potest, et si talis sit disceptator ineptus: ipse ei sua voluntas ærarium est, qua jubente, de nihilo crevere omnia. Præterquam quod si aquæ in suos devolvuntur alveos, et rursus ad sua capita, velut perpetuo reciprocante æstu revolvuntur, quid erit, quo præstet homini Deus, nisi forsitan ingenio et arte? Disce ergo magnum rerum repertorem merito nuncupari Deum, quod non alio ei stat perficere, quam ut facere velit, ut voluit, ut peregit opus. Singularem hanc fabricandi scientiam non discit ab arte, qui non subditur arti: res creata suum Creatorem modum creandi docere non potest, nec ars illi voluntati imperare, qua imperante, omnia incœpta, et perfecta sunt. Artifex arti servit, et ab eadem gubernatur,

nec voluntate sua ducitur, sed artis ductum ipse sequitur; sique æstuet incertus, quid consilii capiat, hoc certe a suo arbitrio non petit: et quamvis aliquando votum artificis cum præceptis artis consentiat, et votum sequatur opus: quandoque tamen ab iis dissentit, et recte repellitur, ubique indiget arte magistra illa docente, novit operis sui modum. Non petit ab arte præsidium repertor rerum, ipse autem condidit artem, hominique dedit ducem; illa dirigente, opera sua disponit et format. Quod si nil supra humana Deo tribuis, hominem Deo parem facis: quemcumque fingas in arte sua summum, is tamen, divino Artifici comparatus, umbra est. Si quem Deum dicis, vere Deum credis, quidquid voluntate jubet, potestate tenet: suum homo componit opus, condit e nihilo suum Deus.

XXV. Cæterum si creatura ex eo quod est, naturæ ex sese existenti ac sempiternæ conferenda non est, consequens est nec ex eo, quod agit, illi comparabilem esse; quare si quid in artefactis habes huic cælo simile, narra id-ne solidum est, an fluidum? humidum-ne, an siccum? Igne nostro sol utique vehementior est, nec tamen contigui errantium siderum orbis ejus ardore aliquando deflagrarunt. Solem scilicet lex illa frenat, quæ babilonicæ fornacis impetum repressit. Quis porro sufficiat divinorum operum species retexere, cum illarum numerus et natura talis sit ut non modo eas comprehendere, sed nec suspitione quidem attingere possis; ecce autem quæ cæteroque inquirenti patent, quandoque nostræ intelligentiæ se subducunt; et sane si ea, quæ cognitu facillima sunt ignorari sæpe contingit, quanto magis manere occulta necesse est, quæ sunt a sensibus abstracta et remotissima. Rursus si quæ nobis latere scimus, arcana dicimus, qualem dicemus illum Deum vere absconditum, et in arcano Divinitatis suæ delitescentem? Tu, qui ad incidentes quosque casus

usque adeo trepidas, si proximantem ignem refugis, non mirum; est mirum, quod ad pervestigandum ejus Dominum audacissime prosilis. Quanquam ignem minus ipse times, quam Dominum ille suum. At si æstuantem fornacem exhorres, Numen in ipsam delapsum expavescito : quam oppido magis verendus ille, cui servit ignis, præ ipso, quod ei famulatur, elemento ! Siccine servum homo levissimus times, et herum petulanter insultas ?

XXVI. Sodomam Angeli intrarunt superinducta formosorum adolescentium persona, propriam dissimulantes conditionem; aderant in foro juvenes, et matura ætate viri graves, qui venientes conspicati, mirum ut ad eorum aspectum ad nefandam libidinem omnes statim exarserint. Succurrit tamen Cœlitibus cœlestis ignis, non quo Angelorum inviolabilem pudicitiam tueretur, sed quo impuros amatores cremaret et perderet. Et sane si illi in proprio vultu conspiciendos se obtulissent, ( mutarunt enim, indeque terrigenis crevit audacia fugitque pudor; ) levissimi utique homines inusitata luce percussi, semianimes proni corruissent. Angelos itaque genere sibi cognatos credere, ingenua licet naturæ dignitate ab ea, quam præferabant, materiali specie remotissimos. Præposteram ergo venerem appetebant Sodomitæ, nec ideo a natura discedebant, quia personæ congeneris amore insaniebant; secus naturam exuisse eos oportebat, si Cœlites incorporeos Spiritus ad stuprum depostulassent; substantia siquidem nostris a sensibus abstracta nullum habet cum terrena natura commercium, quanquam aliquando, illo jubente, cui cuncta parent, Angeli nostris quoque se accommodent moribus, et ad usum familiaritatemque nostram descendant. Natura proinde cœlestis terrena corpora ad imaginariam libidinem accendit, quia externam illorum assumpsit imaginem. Sodomitarum ergo concupiscentia se-

cundum naturam, et contra naturam fuit, talis utique non est, quæ scrutatores incessit disceptandi libido; hæc a ratione dissidet ubique, naturam quippe, quam sempiternam, et ex se existentem modo fatebantur, talem esse negant, dum pervestigabilem credunt, et cum creaturis confundunt. Simul ergo magnam appellant, et extra omnem mentis rationisque conatum ponunt, simul parvam faciunt, et propriæ intelligentiæ examini subjiciunt. Heus tu, vel ei, quam proposuisti, appellationi convenientia dicit; vel si hanc ejuras, tuas perseguere disquisitiones, modo ne propositis inconsequentia dicas.

XXVII. Quæstiones de medio sustulit, qui Dei auctoritatem interposuit. Deum inter et hominem præ speculatione fides exigitur: Deum honoras, si ejus testimonio credis; offendis, si ejus dicta discutis: tibi cum Deo agere volenti, occurrunt simplex fides, et humiles preces, ut ejus veracitati credas, et propities Divinitatem. Scripsit ille mundum ab se exædificatum fuisse, tuque affirmanti fidem habuisti; atqui istud factum tibi ex proprio sensu comperit non erat, quid ergo persuasit, ut inexploratum et incomperitum crederes? quod si experimentum ducem secutus es, non ex fide, quam nullam habuisti, dictis assensus es. Cum fide pugnat experimentum, ac minus etiam cum illa consentit scitandi disceptandique voluntas. Disceptator dictorum veritatem inquit, sed si adhuc dubius, num ea vera sint, discutit, ficta non esse nondum sibi persuasit, hoc enim non quæreret, si teneret. Fides, duce veritate, manifestatam veritatem invenit, verius ipsa a veritate inventa fuit, cum venientem excepit et complexa est. Cæterum tanta domesticorum fidei audacia ab ipsis etiam externis vituperata est; similique vitio notantur ab heterodoxis quicumque perspectam veritatem impudenter obtreçant.

XXVIII. Cultores solis ipsum scrutari non audent,

Deum tamen eum non esse ignorare non possunt, cuique servilis ejus conditio occulta non sit, nihilominus Dominum appellant. Sed nec ullus paganus simulacrum examinat, quod ei avorum superstitio adorandum proposuit; nam si disquireret, profecto saxum a sacro discerneret, nec adoraret. Quid enim? num surdo hymnos caneret, aut supplex se ei prosterneret, quod visu audituque carere nosset? quos fusus per omnes gentes error oppressit, plerosque a disquisitione vacare suasit, veritatis tantum alumnos ad disceptandum incitavit, ut perderet. Aliis itaque disputandi sitim restinxit, ut in posterum cæcos haberet, accendit aliis, ut faceret; quemadmodum enim multis profuit fictos Deos discussisse; sic certam perniciem tibi accerses, si quando Deum verum tuo examini subicias. Qui errorem invexit, sequacibus suis suggessit exercere fidem, ubi examen adhibendum fuisset; ubi vero primum sibi locum vindicabat fides, disceptationem obtrusit, qua intrante, fides decessit. Sic homo impudentissimus propriæ imbecillitatis vitio ab utraque excidit: ea siquidem, quæ disceptandi disciplina pollicebatur, adeptus non est, et ea, quæ fides liberaliter offerebat, neglexit. Scrutare surdum, quo usque talem esse certo comperias, nemo prohibet, modo ne eadem utaris licentia adversus cuncta audientem, scitando quomodo, quibusve auribus sonos discernat; quid enim? auribus-ne ille, oculisve indigeat ad dignoscendas voces, aut ad cernendos colores, qui omnem audiendi videndique facultatem continet? Si vis cognoscere, quam audis, naturam se tota videntem cuncta audientemque, petitis a ratione sensuque argumentis omissis, ad fidem confugito; illa quippe, quam petis, substantia supra omnem sensum intelligentiamque posita est. Una namque fides naturæ laboranti succurrit, et vitam ac lucem impertit.

XXIX. Cum auctor erroris diabolus mortalium sorti

invideret, sciendi voluptate titillare cœpit curiosos, unde plerosque incessit ardens nova et arcana disquirendi indagandique cupido, hinc subortæ quæstiones et rixæ civili bello scrutatores implicuerunt. Viderat pacis inimicus advenisse charitatem, generisque humani exaltationem moliri, confestim discordiam ex adverso procurrere jussit, taliaque conantem impellere, submota autem charitate, omnis paganis, contrariæ factiones in orthodoxæ fidei doctrinam toto impetu incubuerunt. Postquam vero vidit error cecidisse duces, et milites in fugam conversos, veritatis larvam induit, ut ejus alumnos falleret; veritatem itaque præ se ferens, ad eam quærendam ejus amatores provocavit, et variis ut antea quæstionibus iterum implicitos, in contrarias sectas discidit. Sic victor exercitus, quem externus hostis profligare nequiverat, victus est, cum cives, divisa acie, inter se dimicare cœpissent. Quin ergo miseri agnoscimus imbecillitatem nostram, ut præter manifestatam nobis veritatem, nil amplius disquiramus.

XXX. Fatere itaque Patrem esse Patrem, et Filium esse Filium, vereque tales esse, quales dicuntur. Propria namque nominis notio subjectum est, cui attributa nomina illigantur, quo circa nemo, si sapit, subjecto ficto ex vero nomen imponit, nec, ut puta, pomum si vere tale non est, obstinat appellare, quale reapse non est. Patrem itaque puta radicem, hujus germen dicito Filium, qui etsi ejusdem communione naturæ ei sit copulatus, ab eo distinguitur: et quamvis in ejus sinu recumbit, ejus dexteræ assidet. Etenimvero si una penitus ei natura conjunctus non esset, handquaquam in ejus sinu cubaret: rursus nisi ab eo hypostasi distingueretur, ad ejus dexteram neutiquam assideret. Ei ergo ejusdem naturæ consortio jungitur, quia in ejus sinu conditur, et ab eo hypostasi discernitur, quia a dexteris ejus collocatur. Unum ergo sunt, quia una ambo-

bus inest vis ac potestas decernendi; duo sunt, quia dualitas nominum dualitatem personarum importat. Personarum ergo numerus, seclusa naturarum pluralitate, vocabulorum infert discrimen. Fœcunditatis nomen Patrem indicat, idemque auctoritatem ejusdem sustinet, nativitatis vocabulum Filii proprium est, ejusque a Generatore originem tuetur. Suo nomine innotescit Pater, suo item vocabulo dignoscitur Filius, ratus nominum ordo, certam originis seriem conservat. Quemadmodum vero illorum vocabula occultare non potes, ut duo non sint, ita nec personas confundere debes, ut dualitatem extinguas. Judæi quidem ignotus ut maneret Filius magnopere studuerunt, luserunt operam; manifesta namque prostat in Prophetarum libris ante descripta rerum gestorumque ejus series, et usque manebunt in præcedentibus ejus figuris expressa ejusdem lineamenta.

XXXI. Numerum important arbor fructusque ex ea natus, esto res una sint, nec porro fructus a propria appellatione unquam excidet, nec arbor, cum sit ejus principium, cum ipso confundetur. Inditum fructui nomen ipsius proprium et singulare est, et arboris vocabulum prærogativam principii importat, duo audis nomina, duas item intellige personas, naturæ et charitatis communionem nexuque copulatas; si enim vocabulum, fructus, concedis, remque per ipsum significatam negas, arborem principium facis fructus non sui; atqui non sic res habet, sed qualem dicis, talem esse fateri debes, veram hujus fructus re et nomine radicem: rursus qualem appellas fructum, talem vere esse credas oportet, qualis proprio indicatur vocabulo; nam si fructum ibane nomen fingis, contra in radice præter nomen rem ipsam agnoscis, fictum fructum, et arborem veram inducis, et inconsequentia dicis: si enim verus est generator, progenitus item verus est.

XXXII. Cæterum sicut Pater et Filius non debent duas habere arbitrii potestates, ita singuli suas debent habere proprietates. Patrem suo a nomine didicimus, et a suo Filium. Nulla foret disciplina, si vocabula nulla forent. Vocabula sunt notiones rerum, tolle cognomenta et nomina, res ipsas confundisti, quem Deum appelles, ignoras; non explicas, quem credas; quis generaverit non discernis; quis generatus fuerit, nescis. Duo nomina velut gemina luminaria suo exortu affusam orbi caliginum dissiparunt, propositaque objecta discernendi facultatem restituerunt; postquam autem Patrem a sua nomenclatione comperisti, innotuitque tibi suo vocabulo Unigenitus, id satis habeto. extraque nomina Patris et Filii nil amplius scitare. Divinæ Personæ faciem non habent, ut ex oris lineamentis eas dignoseas: pro vultibus nomina attendito, distincta enim sunt, quandoquidem simili signo homines etiam absentes nobis innotescunt: supplent rerum absentium præsentia nomina, pro personis vocabula producuntur, ipsarumque imagines nomenclationes exhibent. Emicat vicaria lucis vox, succeditque oculo auris. Excipit ista rerum vocabula, et cum vocabulis res ipsas cernendas rationi tradit.

XXXIII. Quanquam similitudines rerum res ipsas perfecte non explicant, quare nec proposita imago fructus Unigeniti majestatem assequitur, quandoquidem fructus ex arbore pendet, atque decerptus ab illa separatur; nec enim in arbore manere potest, qui in decerpentis migrat manus. Unigenitus non ita, sed permanet simul apud Patrem, simul ad nos descendit: apud illum erat, nec a nobis aberat; accedit, et recedit, cum ubique sit. Mundum implet, qui Genitoris continetur sinu: adeo ejus accessus et recessus omnem superevolat intelligentiam; antequam huc veniret, hic erat, et postquam hinc abiit, hic est: ad Patrem nondum ascenderat, et apud eum totus erat: illuc



ergo rediit, unde non discesserat, huc venit ad nos, ubi aderat, nec abitus reditusve imaginarius est, abit et redit, nec mutat locum. Porro Deus, qui ubique est, a fructu suo abesse non potest, nec potest Unigenitus omnibus præsens locis, Genitori præsens non esse. Si ab eo suspensa sunt omnia, inepte fingis aliquid ab eo disjunctum. Ejus scilicet absentia intima præsentia est, et absentia a præsentia non secernitur. Jam vero quis talia potis est arcana evolvere?

XXXIV. Oh Adæ audacia, quantum malum, quod in nepotes transfusum universam posteritatem invasit! Adamus sublimiorem locum temere appetiit, soboles in sui parentis Dominum audacissime irrupit. Adæ posteris, ex quo licuit Deum pervestigare, visum est etiam comprehendisse ac tenere. O audaces animæ, si vos non puduit vestris Deum maledictis incessere, ne pigeat in generis vestri Auctorem, velut propositum vobis speculum inspicere, nam et ille credidit sibi Deum pervestigabilem esse, propter quod etiam capite damnatus fuit: non quo Dei existentiam compertam et certam habere studuit, eo fuit mulctatus, sed quo ausus est ejus decretorum causas inquirere. Si naturam ex se existentem et sempiternam ponis, tibi minime constas, si eam vestigabilem putas. Sique tibi compertum est eam existere, qualis illa sit, ne ultra requiras; cujus enim nullum designare est limitem, unde tibi pateat ejus prospectus? Si naturam infinitam indagare cogitas, ejus terminos cognosce prius; cumque incomprehensum comprehenderis, unde, cedo, metiri incipies? Ubi nulla tibi recedenti vel accedenti respondent extrema, cum ad medium te pervenisse putabis, ab extremo, quod tibi singebas, longissime te abiisse comperies. Jam si ubique tuæ tenuitatis admoneris, ad divinum mandatum revolvere: Adamum respicito, qui quidem si Dei præcepto fuisset obsecutus, regno nunquam excidisset, ab honore, quem

ambiebat, exclusus fuit, postquam obedientiam rejecit.

XXXV. Deus cum hominem conderet, precaria Divinitate ornaverat, collata potestate decernendi agendique, quod vellet; hac tamen ille facultate abusus, statuit per summam stultitiam bonum sibi quærere, quod habebat, ambiitque principatum non precarium, sed sua virtute quæsitum: deceptus est, bonum, quod tenebat, amisit, quod appetebat non attigit. Magistram tibi dedit Deus legem, ab ipsa audis te a Christo fratris loco habendum, modo ejus præceptis obtemperes. Sed non sic agis, dum qui deberes legem quærere, circumspectas ab illa fugam. Næ tu multimodis cum isto animo vituperandus es. Sit igitur illa tibi speculum, sit norma, ad quam exigas labores et actus tuos, horumque mercedem ac præmium ab ipsa reposcito.

XXXVI. Prostant veterum Justorum pervagata documenta virtutum, ex quibus perfecti in Deum amoris exemplaria tibi proponas. In Enochum inspicio, et animum ac mentem tuam ejus cogitatione conforma: imitare alterum generis humani caput Noëmum; atque si te istis antestare reputas, Abrahamo te certe minorem fateri debes, cujus sinu, etiamsi magnus fores, vitæ tuæ peracto curriculo recipiendus es. Te tuus Dominus in Evangelio docuit suo se tui cursus esse metam, quare si tibi cor sapit, scitare quæ fuerint ejus ordinationes, ac si ille decrevit summum dignitatis gradum homini simpliciter credenti; oh stultus es, qui ad hunc aspirans honorem, per futiles quæstiones oberras. Duo nobis præcepta fuisse discimus ex Evangelio, simplicem fidem et disquisitionum fugam; pure igitur credentes promissam mercedem reportabunt, tractabunt sceptra, qui perniciosas disceptationes fugere. Quisquis fidei ductum sequitur, disquisitiones odit; si amat, fidem nec de limine salutavit.

XXXVII. Vis esse probus, Abrahami vestigia persequere, imitare simplicitatem. Cum pervulgatam de Deo opinionem discutere sibi fas esse sciret, abstinuit; scilicet non ex Mosis disciplina ille didicit esse in cælo Deum, ipse proprio ratiocinio intellexit alicujus præstantissimæ mentis Numine totum hunc orbem natum, auctum et retentum. Qui autem hac imbutum opinione vidit, ei se ipse manifestavit, ut in sententia confirmaret. Postquam vero Abrahamus comperit esse Deum, ad hanc anchoram constitit, nec ultra progressus est scitando, quis ipse esset, et qualis: sed nec postmodum, cum valde familiariter Deo uteretur, eum aliquando rogavit, ut istud sibi arcanum exponeret. Præterea cum Christum venturum præsciret, abstinit percontari, qui esset. Vidit quidem, desideravit et ad ejus aspectum exultavit, secretum nihilominus texit, verbum mutire non ausus, conticuit. Tuam hic animadvertis ne audaciam, scrutator curiose, qui clausa viris sanctissimis Unigeniti adyta impudenter irrumpis? Quin miser fugis hinc, et in divinæ legis æde perfugium quæris? Illic disces, quid tibi pro re tua discernendum sit, quæ tibi restet salutis via, quæve clavis aditum ad vitam aperiat.

XXXVIII. Verumtamen accurate primum examina, quænam lex fuerit lata, quantoque tempore viguerit, quæ tandem de causa fuerit sublata. Cave ne vocum similitudo te fallat, ut quæ distinguere debes, perverse confundas. Leges hujusmodi offendes non paucas; lex nempe alia occurret victimas depostulans, et alia damnans: audies præcipientem: «Cibo utere mundo;» contra audies edicentem: «Esculenta, poculenta omnia promiscua habeto:» lex ista solemnitates statuit, illa statas resigit: altera dies festos et serias instituit, altera etiam sabbata solvit; increpuit ante vox clamans: «Masculum circumcidito,» continuo insonuit alia, circumcisionem tollendam esse pronuntians.

Hæc et hujusmodi audiens, sistito tantisper, dum rem ex vero decernas. Sed vide ne cum multis erres, quos incon-sulta curiositas in altum abstraxit et mersit. Quas audis voces, os unum fudit. Prisca ætas consonam utique sibi vo-cem audivit, jam illa præteriit, successit sequior ætas, nova aures pepulit vox, novamque publicavit legem, quæ etiam postea antiquata est. Jam ætas postrema præsens omnium præcedentium temporum voces simul collectas habet. Cæ-terum cum in hoc Odeum invasissent imperitissimi quidam homines voces consonantes a dissonantibus separare se velle prætexentes, ex variantibus vocibus varios compo-suere Deos, at quos et quales Deos? ad omnem scilicet scientiam ineptos, qui proinde nec ætates nossent, nedum earum habitudines et differentias discernèrent, nec enim temporum rationaria sibi consentiunt.

XXXIX. Et sane si prioris ætatis leges ad sequentem pertinerent, quos cataclysmus sustulit, cujus noxæ dices fuisse reos, quibus utique nullus ad interdictam arborem patuit unquam accessus? Si enim lex, Adamo nascente, lata, ad Noëmi tempora spectabat, quisnam præmio, aut supplicio locus fuerit, ubi actus a lege vetitus nullum po-tuit habere locum? Æquissimum ergo fuit, ut singulis ætatibus peculiares leges ipsisque congruentes ferrentur. Finis enim legis est prodesse, nec prodesse potest, nisi intra eandem ætatem viventibus; plures ac ætate diver-sæque percrebuere voces, earumque numerus confudit imperitorum vulgus supremæ contemptorum vocis, quæ una est. Insani homines voces in hoc infimo orbe natas fecere Deos, cœloque locarunt: quamobrem divino consi-lio factum est, ut Prophetarum voces per eadem tempora percrebrescerent ad castigandam hominum stultitiam, om-niaque pertentarentur remedia, ut naturæ laboranti sub-veniretur. Inter alias porro leges incidunt quædam, quas

sequens ætas abolevit, idcirco quod morbus, qui hactenus invaluerat, extinctus jam fuisset, aliæ contra vigent adhuc, quia nimirum contracta prius ægritudo etiam perseverat. Nec porro dissimili consilio, medici animorum Apostoli et Prophetæ consentaneas sui temporis hominum languoribus composuere medicinas mira arte, ut non modo æqualibus, sed etiam posteris prodesse. Cæterum occurrunt morbi peculiare hujus, vel illius sæculi proprii; sunt alii communes, et cuilibet ætati familiares, et quidem natis legislatores sua ætate morbis pro eodem tempore remedia instituerunt, pervulgantis autem, et per omnia tempora late patentibus perpetua medicamenta decreverunt.

XL. Lex, puta, de furto lata est <sup>1</sup>, in omne tempus utique duratura, quandiu videlicet subjectum legis durabit; perpetuo namque morbo temporarium remedium minime congruebat; e contra circumcisionis legem antiqui Patres sanxerunt, sublata ægritudine, pharmacum abjectum est. Instrumentum præterea condidere signum circumcisionis gestantibus, eorum videlicet temporum conditio hoc tulit: instrumenta tamen ad peculiare alicujus ætatis morbos depellendos rogata, si isti quidem sublati sunt, illa simul antiquata ac rescissa censentur; postquam enim æger convaluit, remedia supervacanea evaserunt: idcirco abrogata sunt hoc tempore præcepta sabbati, circumcisionis, purificationis et similia; inutilia sunt ipsa ultimis, quæ mediis profuerunt, eadem nec necessaria fuerant primis, utpote a scientia satis instructis, sed nec postremis, ut dixi, utpote jam coruscante divinæ fidei luce illuminatis: illis proinde congruebant solummodo, qui prisci gentium erroris contagione afflati fuerant. Quisquis hodie hujusmodi legibus utitur, vix distat a sicario et carnifice, quorum ferrum ad amputanda membra sana acuitur.

<sup>1</sup> Exod. xx, 15. Deut. v, 19.

XLI. Leges scalpellis similes esse Jeremias te docebit <sup>1</sup>, ægris sanitatem afferunt, auferuntque sanis, ad curandos morbos provisæ sunt; inepte agis, si earum usum ad integri sanique corporis perniciem transferas: vulnere patente nocentior est ictus latentem animam feriens: pharmaca, quæ ægro corpori profuerunt, bene affecto exitium pariunt: næ tu insanus censebere, si eo quod tibi præsto sunt remedia, licere tibi arbitraris, perverso eorum usu sana vexare corpora. Quid? quod sancta quoque jura identidem siluerunt etiam, cum adhuc vigerent, cessante scilicet fine legis, qui fuit morbi curatio, non est cur lex eidem remedium requirat, sed obducto vulnere, solvitur fascia, et emplastrum removetur, imo nec corporum curatio, constante sanitate, locum habet. Porro si gliscente malo medicina quandoque intermissa fuit, nunc quando Judæorum statum concidisse cernimus, ejusque gentis morbi refrigere, eo minus ipsorum remedia requirenda sunt.

XLII. Cæterum si morbus alter depulsus est, alter manet: sique aliæ medicinæ rejectæ sunt, aliæ nunquam non retinebuntur, antiqua coaluere vulnera, simul exolevit vetus disciplina ejusque præcepta antiquata sunt, sacrificia et sabbata, decimarum census, et reliqua hujusmodi: alii modo grassantur morbi, horumque retinenda fuere medicamenta, divinæ legis præcepta: « Non pejerabis, non furaberis, non mœchaberis <sup>2</sup>. » Tuæ autem sapientiæ non est legibus insistere, quarum usus delluxit, et causa cessavit, unum, quod tua maxime refert, unice curare debes, ut lex tuorum malorum medicina usquequaque observetur. Mirum quam inconsulte agas, qui periculoso vulnere, omissis utilibus, inutilia remedia paras! Invalescentes duplicantur morbi, dum culpam pertinacia exaggeras, et Legislatorem irritas, stringendo, quod ille laxavit: datam ille legem

<sup>1</sup> Jer. xxxvi, 23. — <sup>2</sup> Exod. xx, 14-16, et Deut. v, 18-20.

rescidit, tu contra obstinas observare rescissam. Jam quod ad legales cæremonias pertinet, te ipsum inepte convenito, scitare te ipsum, utrum expediat, ad curandam hærentem animo luem, carnem per circulum amputasse; intra medullas serpit malum, quod externa circumcissione curare cupis. Sic ergo tecum statue, si bene sapis: circumcissio intra definitum sibi tempus utilis fuit: hanc invenit universalis Pastor, cui placuit hujusmodi nota signare stolidum gregem, quem tanquam proprium peculium sibi addixerat. Cuncta sciens distinxit ejuscemodi caractere armentum pastorum interfectorem, quod præsciret immiscendum pecori prisca gentium superstitione oppresso, et communes cum ipso habiturum sedes; ideoque patente et conspicuo signo suas oves notavit, quod etiam invitas discerneret, motusque ejus turbulentos, et incitatos impetus reprimeret. Hunc porro gregem ille custodire ac regere nunquam destitit in gratiam Agni, qui tunc in utero gestabatur, ac postea natus totius generis humani factus est Pastor. Sic intra vilis pecoris caulas delitescibat Princeps ille pastorum, qui tandem furiosum armentum etiam dereliquit, et gentes in sui gregis oves adoptavit.

XLIII. Vide ergo, ne carnem tuam incommodes ea circumcissione, cujus vires exacta jam ætas detrivit, cum habeas aliam, qua te utiliter exerceas, et vitia penitus tibi infixæ, et hærentia excindas. Concessa tibi potestas decernendi quid velis, sola reseccare potest inveteratas animi tui affectiones; quandoquidem externa vis ad internos ejus sinus penetrare nequit, ulceraque cæca incidere. Hic observa eundem Legislatorem, qui Judæis carnis circumcissionem imperavit<sup>1</sup>, corda simul ut circumciderente dixisse: atqui si prior ante præscripta, atque usu recepta profuisset, quid referebat, ut alteram præciperet? Quandoquidem

<sup>1</sup> Genes. xvii, 10-12.

ergo hanc jussit, sibi que unice gratam esse significavit jam externam illam adhibere non debes.

XLIV. Restat igitur, ut primum in lege mandatum observandum tibi statuas, tanquam cæterorum caput, ita secundum, velut militiæ nostræ ducem. Sicut enim regis imperio, ductuque imperatoris totius exercitus ratio constat et ordo; sic ab illis duobus mandatis pendent lex et Prophetæ. Circumcisionis et sabbati curam deponito; te enim illa prius, cum præterierint, abjecerunt. Sed enimvero cum ea, quæ intra te retrusa latent, curare deberes, tu ordinem pervertis, hisque neglectis, externa persequeris: anima, qua nil magis tibi intrinsecum est, nec magis carum esse debet, tua incuria ecce perit: sabbatum, quo nil minus ad te pertinet, religiose custodis. Judæus legem, cui, cum floreret, parere noluit, nos modo observare cogit jamdiu exoletam: scilicet quo ipse laboravit morbo, integros et bene valentes inficere cogitat, atque incisiones, cauteria et potiones ab initio scite disposita, populoque ægrotanti olim congruenter adhibita, ad lanienam et perniciem sanorum corporum transferre molitur, manicasque et compedes, ac vincula ad coercendos servos inventa illis injicere; quos amor Domini sui liberos facit, hos crudelis servus in nervum compingere meditatur, libertatem suorum popularium inepte ostentans, quos videlicet servos Legislator servili jugo subjecit. Scilicet imaginarium honorem liberis promittit, et veram ignominiam molitur, Mosen offert, Christum eripere cogitat.

XLV Cæterum si Judæus de servi familiaritate gloriatur, longe profecto gloriosior est nostra cum ejusdem servi Domino conjunctio: atqui neque ille suo conservo familiaris dici potest, qui communem Dominum negavit. Præterquam quod Judæi Mosen pessimis despiciant habuere modis, quem nos complectimur, cum autem scirent am-



pliozem Domino honorem deferendum esse, atque suavem in modum agendum esse cum servis, nec ejusmodi lege usi sunt, sed Mosen quidem vexarunt, Christum in crucem egerunt. Olim cum gentes procul a Deo aviis itineribus aberrarent, ipse exulum more visus est profugus ad Judæos confugisse : hodie vero postquam ipsi Deum repudiarunt, et per incertos tramites vagi palantur, ethnicos vocavit, sibi que familiares et domesticos instituit. Intuere utrosque, et observa, quanta morum integritas, et sanctimonia floreat in Ecclesia gentium, et qualis contra vitiorum colluvies mysticam istam Ægyptum oppresserit : Judæus sane in eam, quam reliquit, Ægyptum postliminio revertisset, nisi revertenti aditum intercluderet mare : sedem religionis et sanctitatis fugit, erroris et impietatis cubilia quærit. Scilicet postquam sanguinem illum magnum delibavit, a cædibus sibi temperare non potest, et suam quidem crudelitatem tunc manifesto et palam exercuit; nunc vero in occulto sævit, maria terrasque circumit, Discipulos quærit, quos demum in gehennam præcipitet. Prophetas non habet; palam occideret, si haberet; huc adigit insanum furor : extorris et vagus externorum regum imperium pati cogitur, horumque potestate sævum ejus ingenium coërcetur. Sed cum animadvertisset ethnicos cacodæmonum responsis Prophetarum oracula antepone, eademque meditari et colere, Prophetarum, quos ante necare solebat, personas habitu vultuque repræsentare studet : larvam hujusmodi modo assumit, modo abjicit, ut obvios quosque insidiosis disceptationibus captos jugulet. Sævit olim in Prophetarum corpora, voces nunc imitatur, ut quandoquidem Prophetas vexare non potest, Prophetarum lectioni vacantes occidat.

XLVI. Hunc tu populum fugito miser, in contemptu est illi vita sanguisque tuus, tuo-ne sanguini parcat ille, qui

Dei sanguinem fudit? non timet, dum te fallit, qui non timuit, cum ipse falleretur. Sub columna nobis vitulum conflavit, nec factum erubuit; quadriforme simulacrum in æde Deo sacra collocavit, nec impium facinus exhorruit; Deum patibulo suspendit, et pendentem immotus spectavit, quando ad rei indignitatem mundus ipse contremuit; Spiritus scidit velum templi, ut incredulus suum scinderet cor; confracti dissiliere lapides sepulcrales, pectora lapidea nec sensere quidem; et quoniam talium prodigiorum auctor Spiritus Judæum vidit eo spectaculo minime commotum, populum insanum dereliquit.

XLVII. Omnem sane pudorem tum exuisse gens scelerata visa est, quando sub formidando Dei sui aspectu illa perpetrabat flagitia, quæ puduit Prophetam propriis explicare vocabulis. Ezechielem consulto, qui ejus scelera modestissimo stylo persecutus est, nec sane alio, quam qui virum sanctum decebat; adeo ut sicut divinus sermo per ora impuræ gentis traductus, suam quodammodo detrivisse majestatem visus est; sic scelerum ab illa perpetratorum historia ab ore Sanctorum quamdam honestatis speciem referre videatur. Quid? quod et Prophetas mactarunt quasi simplices agnos, curationem illi ægrotantibus afferebant, necem isti medicis intulerunt. Gentem fuge furentem, et anhelantem cædes; ad Christum celerem maturato fugam, unicum salutis tuæ perflugium. Verumtamen ne videre huc appulisse curiosus arcanorum scrutator, illum adora et sile. Nam si qui Christum negavit, egit in crucem, et qui adorat, perverse ac impudenter explorat; amplam enim vero illi, qui sapiunt lugendi materiam habent, dum alterum divina obtrectantem audiunt, alterum temere scrutantem.

XLVIII. Ad Abrahæ nepotes venit Filius Dei, nactus est parricidas, quos suos nuncupaverat hæredes. Gentilem

populum ejus simplicitate invitatus sibi adoptavit, simplicem mox doluit factum scrutatorem. Tu autem, si tibi sapit cor, simplicem et humilem te tuo exhibeto Domino : callidum et intelligentem habeat te inimicus tuus, et apprime gnarum illius fraudum, quasve ille tibi struat insidias, quonam in loco, quove artificio suos tibi obtendat tegatque laqueos : huc, aio, adverte animum, et assiduam sollicitamque dato operam, ut retia ab adversario occulta et subtili fraude opposita prospicias ; auribus, oculis, teque toto observa vias, in quibus ille tibi pericula intendere consuevit : adde tibi sagacem exploratorem, qui tibi insidiarum deferat locum ac tempus. Næ tu præpostere agis, qui cum satagere deberes, ne te usquam laterent adversarii tui molitiones. Dei tui arcana requiris : adeo necdum persuasum habes ipsum esse Deum, ac proinde fieri non posse, ut incomprehensum comprehendas ; diabolum contra fraudum machinatorem esse, fallendique in arte peritissimum ; quin ergo ad hunc pernoscendum totus incumbis, imo quare Deum cum infensissimo hoste confundis, ut promiscue eodem erga utrumque utaris more ? Non ita : sed diabolum aggredere ut inimicum, aditò Deum humili et simplici corde. Cum illo dimica, hujus petito pacem. Assentire testanti se esse eum, « Qui est, » ne audeas immensæ profunditatis subire pelagus, ne forte in eam incidas altitudinem, ubi deprehensus hæreas attonitus, vix mentis jam compos tuæ.

## SERMO II.

I. Appropinquare cupio, vereor tamen, ne voti compos factus mei, inde quo tendebam, remotior fiam; etenim quisquis islhæc adyta audacter invadere obstinavit, eodem, quo illa petebat, conatu, ipse se ab eis longissime abstraxit: contra quicumque in ejusmodi cura moderate se gessit, hunc justa flagitantem divina æquitas nunquam repulit. Hac igitur moderatione utendum providendumque, ut eo accedamus, unde continuo abscedendum non sit, neque inde abscedamus, unde abscessum ruina sequatur. Quapropter hæc duo permiscenda ac temperanda sunt, tum in appulsu, tum in abscessu, ut quandoquidem nobis incidit sermo de sempiterna natura nullo definita modo, modum ipsi teneamus: remotisque longis, litigiosisque disputationibus, velut proposito nostro minus congruentibus, humoris parvam ab æquore partem delibasse satis habeamus.

II. Usque eo se effert vile lutum, ut res Opificis sui se narraturum recipiat? Pro magna sua bonitate Deus ad hunc limum descendit, ut in eo suam effingeret imaginem; mirum sane si ejusdem justitiam iste non timeat, vel etiam majestatem contemnat. Scientiam accepit, qua se ipse nosceret, quod si secus agat, atque ad pervestigandum beneficii auctorem ejus abutatur dono, ipse facto suo illius benefactum ingratus negavit. Doctrinam æqua lance expensam dabimus iis, qui discendi cupiditatem exigunt ad rationis normam. Trutinam in medio statuamus; dicenda namque libranda prius, ut quæ justum pondus reddere

comperta sunt, eadem discere volentibus referamus, qualia a majoribus ipsi accepimus.

III. Audisti-ne Deum Deum esse? nosti-ne item te esse hominem? quid ergo luto et argilla cretus Artificem examinare paras. Audisti-ne Deum esse genitorem? habes jam unde deducas quampiam ab eo generatam fuisse prolem. Si enim divinus Pater generat, Filius genitus non ab alio aliquo, sed ab ipso, quem Patrem appellas, generatus est. Unum genitum audis unicum non dividuum; vide ne tuis hunc videre strophis velle dividere. Audisti-ne augustam hujus Prolis generationem? impius es, si disceptationes prætexens, huic labem inferre tentas. Audisti-ne divinum Spiritum, Spiritum sanctitatis nominari? Nomen quo majores tui illum vocarunt, religiose observa, cave alio eum appelles vocabulo: si nomen audisti, testare verum esse ac proprium, naturam adhuc investigare tibi nullum jus, fas nullum est. Audisti-ne Patrem et Filium et Spiritum sanctum? in tribus nominibus tres personas teneto: nomina audis distincta, distinctas habeto hypostases, eædem tamen unius naturæ veritate conjunctæ sunt.

III. At enimvero si nomina fatearis, neges autem personas, verbo tenus Deum adoras, reapse abnegas: ubi hypostasis non est, quod prætenditur, vocabulum vacuum et inane est: porro si res subjecta vocabulo nulla est, quid præter sonum nomen habet? Ipsum hypostasis vocabulum rem aliquam veram sibi subesse docet, quam quidem existere, etsi nemo dubitet, quæ tamen et qualis illa sit, nunquam non ignorabitur: nec enim quo tibi compertum est eam existere, continuo patuit, qualis illa sit. Sed neque idcirco, quod illam comprehendere non potes, eam existere negare debes; neutrum tibi fas est, seu inficiando recedere, seu excedere investigando. Mare tibi occurret ingens, si quidem hasce aquas explorare obstinas, fluctuum objecta

moles hærere coget stupenti similem; quanquam ad naufragium unda erit una satis, cum una queat obluctantem rapere, et ad scopulos allidere. Satis habeto miser cymba tuam exercere negotiationem: potior tibi esse debet fides, quam cum fluctibus luctatura navis, quam dum vela attollunt, deprimunt, dumque vehunt undæ, mergunt. Nulli fidem tuam absorbere valent fluctus, nisi tua annuerit voluntas.

IV. At quænam vis tanta, quæ mare cogat parere nautis, aliud cogitat nauclerus, aliud agit atæquor: unus duntaxat inventus est Dominus noster, cui jubenti obsequeretur mare, increpitumque desideret, componeretque fluctus suos. Similem tamen ille tibi concessit potestatem, ut ejus auctoritate ac nomine, maris increpes superbiam et fremitum compescas. Disce tamen infestiorum tibi fore hanc disceptandi libidinem, quam mare, majusque tibi imminere periculum ab istis de religione contentionibus, quam navigaturo a circumfremetis pelagi fluctibus. Quod si ejusmodi furor tuam invasit mentem, perturbatorem increpato, excitosque ab eo tumultus confestim sedare satagito. Mare exagitant procellæ, mentem perturbat vitiosa curiositas. Ad Domini imperium conticuit ventus, quo cessante, navicula pacato mari placide suum peregit iter. Sciendi aviditatem cohibeto, et pacatum senties fidei imperium. Futilibus hisce fatigatum curis te naturæ rerum invitant, ad contemplandos mirabiles ipsarum effectus, ut quoniam tibi negatur uberiores a fonte haurire latices, exiguum ex eadem scatebra pocillum epotare studeas: nec enim quod aliquando ejus aquas degustasti, inde deduces totum te exhausisse fontem. Infra solem semper hæsisti, etsi nullæ te ab ejus aspectu interjectæ umbræ prohiberent, neque eo quod ille ad te descendit, tibi vicissim ad ejus orbem ascendere aliquando licuit. Neque rursus quia aërem attrahis et reddis, ejusque anhelitu vivis, ideo aër te superior non

sit. Etsi magnitudinis ejus specimen quoddam teneas, totus autem quantus ipse sit adhuc ignoras. Oblatam a natura rerum quantulamcumque opem modo utilem, accipito, quod amplius superat in illarum repositoriis inclusum relinquito, tibi nimirum incomprehensum. Modicum itaque non recusabis, quod supra mediocritatem est, ne ambias. Habes indices Conditoris res ab ipso conditas; illæ te admonent, ut ad petendum quidem auxilium promptus sis, ab investigandis autem ejus arcanis abstineas, quare summæ majestatis beneficentiam beneficiaque gratus agnosce, illius autem secreta rimari caveto. Divini Patris gratiam exosculare, sempiternam ejus essentiam indagare absistito. Ad partam tibi a Filio Dei felicitatem aspira, cohibeto curiositatem, ne in ejus generationem inquiras, sancti Spiritus illapsum suspira, modo ne ad eum investigandum temere accedas.

V. Pater et Filius et Spiritus sanctus suis censentur nominibus, cave ne ad Personarum examen progrediare, sed in earum vocabulis tuos sistito discursus, si enim hypostasim explorare tentaveris, certum tibi exitium accersis; sin autem pura et simplici fide in ejus nomen credis, tutus eris. Sanctum Genitoris nomen cursui tuo terminum figito, ne ultra te trahat sciendi ejus naturam vesana cupido. Filii nomen puta murum tibi oppositum, ne ad quærendam ejus originem transeas. Quasi vallum tibi ipse objicito Spiritus sancti nomen, intra quod tuam cogitationem contineas ab illius investigatione remotam. Nomina, inquam, limites tibi statuito, horumque objectu quæstionibus definito modum.

**¶VI.** Restat, ut quandoquidem vocabula veramque eorum notionem percepisti, animum ad studium divinæ legis appellas, ac si hanc didicisti, fac, ut quæ illa tibi imperavit, perficias, cum autem ejus mandata exhausseris, præmia,

quæ promittit, expecta. Cave ne ea, quæ præcepta sunt, negligas, hisque prætermisissis, ad ea, quæ præscripta non sunt, divertas. Quæ vera sunt audisti, plana autem sunt atque notissima, ut mirum sit, si adhuc per dubios et incertos calles vagaris : item clara et compertissima sunt, quæ Simon dixit; at si verum responsum dedit, retulit etiam dignum sua confessione præmium, ut beatus diceretur : observa tamen paucis ab eo quæstionem fuisse decisam, tu noli per plura vagari. Veritas paucis comprehensa et exposita est, quid te per ambages et longa per exorsa fatigas? Patrem esse qui dicitur, nec indoctus ignorat, qualis autem ipse sit, nemo novit. Filium esse Filium confitemur omnes, quis tamen ipse sit, vel quantus, necdum compertum est : Spiritum sanctum nemo esse negat, omnes quid ipse sit assequi desperant. Tu ergo fatere Patrem esse Patrem, nega vestigabilem esse; habes unde Filium esse genitum credas, comprehensum esse ut credas, unde habes? Firmiter tene Spiritum sanctum esse Deum, perscrutabilem esse nunquam dices. Hypostases unius singularis naturæ communionem unum esse sic credito, ut tres esse non dubites.

VII. Patrem fatere ordine primum secundum Filium, tertium Spiritum sanctum. Id omne tibi sit ratum ac certum; non enim mandatum dedit Filius, sed Pater, nec Spiritus sanctus alteram personam misit, sed ipse missus est. Item Filius a dexteris sedet, nec Patris sibi vindicat locum, nec Filii sedem sibi usurpat, qui ab ipso mittitur, Spiritus sanctus. Genitoris majestate lætatur Filius, dilecti sui gloria gessit Spiritus sanctus. Ubique gaudium et pax, intima ubique conjunctio et immobilis ordo. Pater Filii generationem ignorare nequit, nec Filius mandata Patris : Pater jubet, Filius Patris jussa refert, Spiritus sanctus exequitur. Una trium cum sit voluntas, omnem excludit



discordiam : et quamvis sibi mutuo circuminsideant, et alter in altero immaneat, non confundantur; nec enim confusionem perfectus admittit ordo : quamobrem non unde intime conjuncti, et quodammodo permixti sunt, inde deduces esse etiam confusos : rursus nec unde credis esse distinctos, inde argues esse separatos : nec enim, ut dixi, intimæ communioni discretio officit, nec hæc divisionem inducit. Nemo ergo illorum differentias et proprietates confundat : nemo eorum communionem dividat. Hoc arcanum illi norunt, extra ipsos nemo. Quid quæris homo lutum? etiam-ne verbum mutire audes?

---

### SERMO III.

I. Etsi doctrina discentibus et docentibus senior sit, puerorum tamen consuetudinem non fastidit, ut omnibus promiscue se communicet. Docet cum docentibus, cum discentibus discit, erudit et eruditur, unam cum utrisque viam persequitur ac tenet, cursumque communem. Cum oratore encomia texit, cum veteratore dolos. Rudibus et eruditis utitur, atque ad omnes ætates se porrigit, et in qualibet ætate complectitur universos. Rebus omnibus se impartit tanquam ipsarum Domina : dimensionibus se submittit, sua licet amplitudine omnes geometrarum conatus eludat; adeo ut nec discentes illam perfecte assequantur, summa licet contentione pugnent, neque plane vel ipsi comprehendant teneantque docentes; neutri quippe ad ejus fontes pervenire potuerunt. Sed enimvero etsi illa latissime se pendat ultra discipulorum atque magistrorum captum, infra tamen Repertorem suum jacet, et ab ejus in-

telligentia longissime distat. Doctore quisquis eget, si Conditoris potestatem comprehendere non desperat, plane delirat, cum nec ejus quidem opera percipiat, vel quo modo e nihilo crevere, sciat. Quanquam nec mundus quantus quantus est, sui Opificis potentiam exhaurire potuit, sic ut aliquid illo majus moliri nequiverit. Quid enim? num ille præcedentium operum labore fatigatus, ex cessatione otium quæsiuit? Summus ille Opifex defatigationi non subest, cui qualecumque opus sola voluntate constat, quæ quidem nullo coarctatur limite, nulloque circumscribitur tempore. At ille etsi queat in singulos dies nova opera procudere, abstinet tamen, nec facit, quod si faceret, quanta putas inde rerum perturbatio totiusque ordinis confusio sequeretur? Sic enim creaturarum census in immensum procederet, et infinitus hominum numerus communionem et societatem excluderet; adeo ut etsi Deus operam suam nemini negaret, ipsi sibi invicem penitus inutiles evaderent: quorum autem crearet futuros ab invicem alienos, et aversos? Quidquid summus Opifex molitus est, non id fecit, quo sibi aliquid commodi accederet; nec enim minor erat, antequam mundum conderet, neque ab illo condito major evasit.

II. Cæterum cum opera sua locupletare et ornare stauisset, ea numero, pondere et mensura architectatus est: et quamvis in ejus potestate erat, mundi spatia ultra eos, quibus nunc continetur, fines amplificare, consilium tamen non probavit; aucta quippe, ut dictum est, præter omnem modum habitantium multitudine, quæ tum disciplina turbam continere potuisset, vel a recta errantem in viam reducere, atque ab interitu, quo eam error traheret, vindicare? perturbato namque ordine, omnes omnia promiscua habuissent, adeo ut nec Justos tunc reverentur monitores, nec Prophetarum consiliis acquiescerent. Iterum si mun-

dus centuplo major esset, quid agerent, quidve consilii caperent divini Verbi præcones, ut amplissima ejus spatia pervaderent, circumlustratoque toto orbe omnes gentes veræ religionis præceptis imbuerent? Hebræos Dominus in terræ meditullio collocavit, eo videlicet consilio, ut omnes circum regiones ab ipsis virtutum documenta peterent. Et sane tum quando illos ex Ægypto eduxit, tum quando Babylone reduxit, eorum in utramque regionem deportationem, indeque subsecutum reditum mox ubique gentium fama vulgavit.

III. At enimvero etsi mundus laxiora, quam nunc, haberet spatia, nec sua quantalibet amplitudine suum Conditorum comprehenderet, et quamvis ipse ei præsens tum etiam adesset ubique, cum extra eundem in omnes partes sese sine fine diffundat, ipse tamen mundus in eam, quam fingis, amplitudinem productus, quo finges modo ab illo juvandum fuisse? Etenim si modo, cum talis sit, qualem habemus, parvus et angustus, erumpentibus undique hæresibus, velut irruentibus procellis agitatur et æstuat, qualem, putas, tempestatem sustinere cogeretur, si foret in eam, quam cogitas, amplitudinem prolatus. Præterea nec sol suos meatus ab ortu ad occasum intra diurnum spatium perficere posset; horæ in dies, diesque migrarent in annos: hyems et æstas constitutam dimensionem excederent, laxarentque sua spatia dies et nox præter naturæ usum. Præterquam quod quousque tum expectandum foret, donec ad maturitatem segetes pervenirent, et poma miterent? Et hunc rebus ordinem statuere Conditori utique difficile non fuisset; nobis contra gravissimum atque molestissimum. Quidquid ergo molitur ille rerum Inceptor et Perfector omnium, non suis viribus, sed nostra utilitate metitur.

IV. Porro ex hoc immenso sinu prodiit Unigenitus,

quem nec perscrutari, nec attingere fas est, si tamen hunc adhuc pervestigare placet, docebo viam : conare prius ejus Generatorem comprehendere, tuas hic ante experire vires, et hoc sit initium, et meta prima laboris : dimitte, si potes, ejus spatia, scrutare, quam longe lateque quaquaversus ipse se profundat ; cumque substantiam principio et fine carentem metatus fueris, Prolis ex ea genitæ scito te simul tenere modum. Age itaque Patrem tua ista decempeda explora ; nam si Generatorem percipere poteris, inde Genitum intelligere et comprehendere pronum erit : atqui substantiam sempiternam et immensam capere non potes, ergo nec Filium ejus assequi potis eris ; quorsum igitur inepte maris immensi freta vadare obstinas ? Ergo age et ad ea, quæ abjecimus, redeamus ; nec enim debemus, quod compertum est, deserere, ut ad ea discenda, quæ arcana et abdita sunt, sine duce prosiliamus.

V. Recole quod dictum est prius, supremum Opificem non infinita sua potentia, quæ molitur, opera definire ; nec enim quæcumque potest, sed quæcumque decent, operatur ; nam si operum suorum seriem sine interjectione prosequeretur, neque aptam in agendo distributionem modumque teneret, natura rerum informis esset, et ad proprium finem prorsus inutilis : id enim ex confusione partium necessario consequitur. Quamobrem summus ille Artifex fluviiis comparandus foret, qui sine lege vagantur, et causam, cur hac, non illac decurrant, ignorant ; ipsos nimirum natura suis illigavit fontibus, et singulis peculiare alveos distinxit, adeo ut nec ratos cursus frenare, nec variare queant ; nec proinde Deo integra maneret eligendi potestas. Non ita, sed ut nisi ille ad extra efflueret, nulla ejus erga nos bonæ voluntatis haberemus indicia ; sic, si semper eundem teneret cursum, summa, qua pollet arbitrii vis, minime constaret. Cum itaque Deus rerum omnium

inceptor et perfector sit, opera sua distincte et ordinate disponit. Et sane si singulis diebus alios atque alios cœlos, terrasque novas conderet, rerumque factarum species perpetuo congeminaret, quid inde haberemus præter molem quandam indigestam et informem, nec inde profecto Opificis magnificentia commendaretur, a qua abesset sapientia. Annon oratorem in arte sua tenere modum oportet? nec enim quia eloquentia præstat, loqui semper debet; atqui magis operosum est oratori dicere, quam Creatori res quaslibet e nihilo educere; imo longe faciliora sunt sua summo agenti opera, quam sua verba loquenti; propterea qui omnia facere potest, non omnia facit, continuo processu operibus opera annectens. Quid enim? num qui hominem, utpote mente et ratione præditum, ordinem docuit, ipse nesciat, aut sciens minime attendat? Ordinem ipse novit et servat, etsi per singula momenta opera, quæ fecit, congeminare possit.

VI. Cum itaque a mundo condito integrum fuisset quolibet momento nova moliri opera, abstinuit, ut ea, quæ condiderat, disponeret et ornaret. Quænam autem qualiave opera edere potuisset, quis nostrum divinare queat? Plura sunt, quæ fecit, restant adhuc plurima, quæ facere potuisset: sed nec ea, quæ creavit, nobis percipere licet, nec ea, quæ prætermisit, nostrarum virium est indagare. Uti enim idem ipse, cujus nutu crevit mundus, in obscuro delitescit; sic opera ejus nostram intelligentiam fugiunt, nec ea solummodo, quæ per se abdita sunt et retrusa, sed etiam, quæ nostris undique sensibus se offerunt et percipiuntur. Adeo nec ea, quæ reperit, nostræ facultatis est comprehendere, nec ea conjectare, quæ reperire potest: ille duntaxat Unigenitus, qui in ejus conditur sinu, operum ejus modum et numerum novit; scilicet cum ipse idem abditus sit et manifestus, abdita et manifesta tenet. Cui

autem sapientiæ ædem vix e limine inspicere licuit, quem finges ad altissimos ejus fontes perveniendi aditum? Una potest humilibus et infirmis subvenire doctrina, alumnis hæc nempe suis saltus expedit celerrimos, denos denario multiplicat et centenos colligit, centenos iterum denario ducit, et millenos efficit; sic a millenario ad millenarium procedit, et a myriade ad myriadem. Ilinc vim ejus cognoscito, eadem quippe celeritate in cæteris quibuslibet excellit.

VII. Cogita mysticum pontem esse nobis arcana divina petentibus præparatum, thesaurique clavem egentibus oblatam. Doctrina senibus auctoritatem conciliat, juvenes prudentia instruit, virginibus pudoris præsidium comparat, arcet pudicitiae hostes, maria terrasque eadem subegit rusticis et piscatoribus, frena navibus injecit, perque freta celeri cursu eas traduxit. Mare quadrigis submitit, classibus continentem lustravit, ægris commissa amissas vires restituit, impure intemperanterque viventibus sociata veræ laudis gustum ingenerat, ab ejus consuetudine mirum, quam multa discant indocti; mutos et informes formatos et eloquentes facit: cum judice constantiam induit, et cum reo ad pedes se abjicit, illum ad vindicanda scelera informat, hunc supplici prece misericordiam captare docet. Cum disceptantibus disputat, cum doctis quæstiones proponit, eadem nodum stringit et solvit, ad ipsam pertinet utrumque, cum neutrum sine illa constet. Neminem cogit invitum, imperat tamen omnibus. Artificem ipsa docet rerum mutare formas, quo discat summam Dei potestatem, qui e nihilo, quidquid est creat et format, Creatorem proinde creatis opificibus longe præcellere, et ipsos quidem ex rebus præexistentibus alias componere, ipsum autem rerum Inceptorem Perfectoremque e nihilo educere, quæcumque creat.

VIII. Ohe, fratres, quieti satis somnoque datum est, soporem tandem discutite, insomnibus Angelis nostræ vigiliæ placent. Sacra sumamus arma fidei, et peccatum nostræ necis auctorem e medio tollere studeamus, putrescentium membrorum nostrorum fœtor nostras implevit nares, Christo quippe graviter ipsi nos olemus. Fervet pugna nostris excita dissidiis, nosque vigilantes ipso soporat armorum strepitu. Scilicet quia sacerdotes litigant, procurreunt ad arma reges: motum ab externis bellum durat, quia intestinæ civium discordiæ perseverant; pastores invicem se oppugnant, rectores inter se dimicant, eorumque discordia pascua cum ovibus perdidit. Cum pastores subtili pabulo nos pascere obstinassent, proculcarunt suavem disciplinam, quæ sincero veritatis pastu nos sustentabat; cumque nos locupletes facere cogitarent, omnes, quas habebamus, opes abstulerunt. Texerunt veritatis lumen, ut veritatem in tenebris quærerent. Orthodoxæ fidei laudes totus tonat orbis, quam isti in scissuris petrarum scrutantur. Ecce filii lucis in obscuro litigant, dumque veritas sole clarior ipsis se offert: queruntur amissam scilicet montem intra cavos rupium se reperturos sperant; veritatem terra cœloque majorem, quasi in crepusculo dubiam lucem captant. Veritatem omnia prætervolantem spatia attingere laborant, qui præsentem intueri abnuunt. Scilicet aliud quærunt, aliud invenire volunt, veritatem, a qua inventi sunt, perdere contendunt.

IX. At enimvero scrutator veritatis perire potest, veritas perire non potest. Cæcus lucem amisit, quamvis habeat præsentem: surdus item longe est a voce, etiam cum ejus pepulerit aures; sic indoctus etsi plurimos habeat prostantes codices, nullos habet. Omnes scientiæ humano ingenio expositæ sunt, nullæ dementibus et stupidis. Pontifices erroris veritatem agnoverunt, antislites nostri adhuc scru-

tantur, sensere pariter incantatores, postquam sua maleficia ejus vi soluta aspexerunt : confessi sunt Chaldæi, ubi suæ sectæ scita ejus decretis confutata viderunt. Arioli etiam et conjectores dedere manus, postquam ex ejus oraculis patuit ipsis suarum divinationum vanitas. Ipsi eam testati sunt Dæmones humanis corporibus insidentes, postquam ejus cantu ab immundo domicilio ejecti fugerunt. Gentes denique ex prisco errore saxa colentes veritatem amplexæ sunt, postquam Deorum suorum statuæ divina ejus virtute fractæ corruerunt. Orthodoxa fides per totum orbem diffusa clamitat, et isti scitantur adhuc ubi ea moretur. Filii Dei hostes ejus præsentiam sentire se fatentur, quem sibi compertum negant homines ejus designati præcones.

X. Postquam Judæus Christum aperte negavit, intellexit unde suæ gentis excidium fluxisset, suppressit tamen, causam videlicet propriæ ruinæ ipsum fateri puduit. Factum occultare conantem Ecclesia revicit, et Jerosolymam ideo repudiatam fuisse demonstravit, quod ille novam sibi sponsam junxisset, proptereaque aliud sacerdotium, abrogatis levitici ordinis cæremoniis, ab eo fuisse institutum. Ejusmodi conversionem rerum testantur designati nobis Prophetæ, dum uno ore clamant omnia Christi adventu perfecta et consummata fuisse. Tanto Ecclesiæ nostræ splendore offensus diabolus, controversias inter homines contentionis cupidiores, quam veritatis obtrusit, quæ tandem in discordias et odia erumperent. Nec vero latet hujus notæ homines externam speciem magis, quam ingenium habere bonum, introrsum turpes, extrorsum pelle decora speciosos.

XI. Filium Dei invenire rudibus concessum est, relictis eruditibus quærendi labor : e longinquis venere locis alienigenæ, hujus disciplinæ fama acciti, scholam intrarunt, vo-



tique sui compotes effecti, mirabantur indigenas quarere in alienis terris, quibus affluebant, opes. Adco respondent postrema primis; olim Magi e longinquo sensere Regem in Bethlehem urbe natum; candidæ simplicitatis homines existimabant se visuros a sapientibus et Hebræis Filium regis illic natum effuso sinu exceptum, et in ulnas sublatum ferri circum per pagos et compita; deposuere errorem, postquam perspexerunt Hebræos nec animadvertisse præsentem, quem absentem externi in confusa multitudine discreverant. Rex scilicet versabatur ipsis ante oculos, illi interim futilibus quæstionibus tempus terebant. Natus fuerat Rex eo modo, quo ei nasci placuit; ipsi nihilominus de ejus nativitate anxii et incerti disceptabant. Signum Regis nati tenebant externi, cum domesticos teneret cura nascituri. Merito itaque illorum obstupuerunt vecordiam advenæ et peregrini, quod codices de futuro ejus adventu consulerent, perinde ac si ipse præsens non esset, quodve legatus ejus alienigenis ad ipsum venientibus præiret viam, contra indigenæ perinde ac si abesset, promissi ejus adventus expectatione torquerentur: nec ideo tamen a proposito destiterunt, sed ineptos sprevere disceptatores, inceptamque viam prosecuti sunt, Unigenito nato dona ferentes. Sic tandem Magis datum est manifestatam in carne Veritatem invenire, permissumque suas Pharisæis agitare quæstiones.

XII. Vos itaque sanctæ fidei alumnos haudquaquam moveat, quod Judæorum magistri huc usque veritatem quærent, via eadem, qua a Magusæis in urbe Bethlehem inventus est, in sinu sanctæ Ecclesiæ ultro occurret pura mente requirentibus. Tu vero Magusæos imitare, nato Regi munera ferre grata, castos et incorruptos mores: Filium Dei sincera et integra fide adora, qualem ipse reperisti, et qualem ille se tibi quærenti ostendit. Cæterum uti Magusæi illum, scenerata sibi ab ipso luce deducente, repererunt; sic

cundem invenient quicumque probant illud, quod Simon instinctu divino concitatus, fudit oraculum. Nec ætas te præsens commovere debet, a priori nil ista discrepat; præteritus Filii Dei adventus futuro similis est, quare nil mirum, si quemadmodum circa primum ejus adventum inter eruditos plures exortæ fuere quæstiones; sic ante secundum variæ et contrariæ opiniones hodie quoque serantur.

XIII. Asinæ pullo vectus <sup>1</sup>, cum Jerosolymam Dominus venisset, præeuntes gentiles lætis vocibus urbem ingredienti acclamarunt. Circumcisi præsentibus eo clamore commoti, discendi quæ ipsos scire maxime intererat, inde occasionem acceperunt; scitabantur itaque quisnam esset, cujus nuntiabatur adventus. Sic indigenæ ab advenis amissam Regis sui notitiam requirebant: sua proinde ab externis discere satagebant. Gentiles contra, qui ad festa cæcorum convenerant, et ab iis erudiri volebant, vice versa Hebræos erudiebant, sua ipsis narrabant. Incircumcisi ad circumcisos clamabant: « Illic est Jesus Nazarenus <sup>2</sup>. » Vim hujus vocabuli ex cæcorum libris notam, ipsi cæci Judæi ab ethnicis repetebant. Barbari Hebræis traditas ipsis Scripturas exponebant, et Litteras, quibus Deus testimonium suæ voluntatis ipsis consignaverat, interpretabantur.

XIV. Quisquis talia audis, habes unde intelligas hominem cætera doctum in hac hædere aqua; ac si litterarum studium te delectat, utique commovere non debent de ejusmodi arcanis disputantium errores. At sicubi magistrum deceptum fuisse deprehenderit, libros divinitus inspiratos consulito. Sæpe namque contingit curiosos falli scrutatores, ubi prudentes lectores inoffenso cucurrere pede, et præceptores turpiter labi, ubi auditores nec labare solent. Evangelium hominum auctoritas non sustinet, quidquid humanum est, etiam caducum est, ejusque casus rerum ab

<sup>1</sup> Zach. ix, 9. — <sup>2</sup> Joan. xix, 19.

illo dependentium ruinam trahit, Dei autem testimonio nititur fides et stat. Verbo, quod omnia portat, doctrina, quam didicisti, incumbit. Quisquis istud permiscuit fretum, ipse se, non illud turbavit; quisquis ignorat quorsum suum intendat iter, huic perdita via est; hæc autem sapientibus, rationisque ductum sequentibus signal fixis lapidibus milliaria, ac diversoria præparat.

XV. Cæterum si populus universus commissa errata dolens, suos correxisset mores, et in sacco et cinere Deum orasset, ut allictis rebus ferret opem, nunquam sane Altissimus præses his implicari tricis permisisset. Nunc vero Sacerdos talis evasit, qualis populus. Sacrorum hominum vita victuque mutato, mutavit mores promiscuum vulgus, unde partes ambæ se mutuo dilacerarent. Languidus inersque magister nullam ex discipulis requiem capit, ipsos ille pejores fecit, et ipse illorum fuligine imbutus, quod dedit, accepit malum. Gravem et moderatum præsidem subjecti obsequentes relevant, ejus ipsi protectione tutos se fore confidunt, et ille sibi de ipsorum obedientia gratulatur. Curam nostram nostri deposuere rectores, nostros ipsi rectores repudiavimus, nec illi nostris commoventur malis, nec illorum nos tangunt calamitates. Individuum corpus divisum est, a capite membra discordant; feræ in saltu simul morantur, et communitatem servant, homines in Ecclesia litigant ac tumultuantur. Quotus autem quisque est, quem istuc angat commune malum? Postquam a via divertimus, ad indagandum ejus initium revolvimur, cursus nostri metam prope attingimus, et de ejus exordio sciscitamus. Postquam in schola consenuimus, ejus axiomata discutimus, et postquam in legendis libris ætatem trivimus, ad discenda litterarum elementa revertimur.

XVI. Interea pueri hesternò die intra limen Gymnasii admissi, niniviticæ cucurbitæ miraculum geminarunt,

emissis eodem, quo nati, die floribus, novum finxere fidei typum; scilicet quam sanctissimi viri pinxere tabulam, non probant: discordiarum tamen ille semen est, et civilis belli fax; quodque vehementer stupeas, sapientes et modestos a sensibus abalienat et furiosos facit. Multorum ille ora mutavit in canales, nec paucorum aures in aqueductus redegit, quibus collectam errorum colluviem re-funderet. Plerique postquam tale monstrum spectarunt, homines cæteroqui suoapte mites ingenio subito efferati, in rixas et jurgia efferbuere; amici et sodales alter in alterum exacuere linguam, et in muta exarserunt odia; socii et contubernales discordiarum et dissensionum argumenta inde traxerunt: veteres amici inchoatam a pueritia necessitudinem abruperunt: casti ac temperantes suos exuere mores, et in contraria vitia se præcipitarunt. Salem veritatis corrumpere sapientes, homines natura lenes, amisso repente humanitatis sensu, arma sibi inde petierunt: sed et pueri impuberes sexagenariis senibus insultare didicerunt, et septuagenariis septuplo morosiores effecti, parem maledicentiam induerunt: pastores item sibi gregem tanquam domini arrogarunt. Agni mansueti et sine voce muti, oblata disceptandi occasione, tigridum repente ferocitatem deprompserunt. Columbæ denique propriam mutavere naturam, viperis truculentiores effectæ.

XVII. Geminas habet Unigenitus facies, alteram occultam, conspicuam alteram; nec ista velatur, nec illa prostat sensibus, aut ratione tenetur. Diabolus veterator vaferrimus ab altera oculis subjecta nostris nos callide abstraxit, applicuitque ad alteram, non ignarus primam nobis salutis viam a cognitione Salvatoris pandendam fore. Illius intuere Patrem, duas item habere facies deprehendes; indeque factum, ut nemo hunc esse non teneat, qualis autem idem sit, nemo non ignoret, adeo abditus ille est ac retrusus.

Prior ille prospectus apertus plane et facilis est, stolidis etiam ac stupidis expositus, posterior iste ipsis Cœlitibus incomprehensus et impenetrabilis est. Quid? quod non illa dumtaxat majestas, creatis mentibus per se inaccessa, duos habet aditus, sed universim res omnes ab ipsa conditæ; adeo nulla est, quæ ex omni parte aspectabilis sit, ut nulla ejus particula aspectum fugiat. Hinc omnium quidem existentiam percipimus omnes, singularum autem rationes explicare nemo potest.

XVIII. Quod si de rebus factis utrumque statuendum est, et eas manifestas non esse, ubi manifestæ sunt, et rursus notas esse, ubi notæ non sunt, quam verius ipsum hoc iudicium de illarum Opifice, ejusque Unigenito ferendum sit? utrumque igitur tibi certum ratumque sit, tum geminas illas habere notiones, alteram manifestam, arcanam alteram, tum idcirco in ambobus discernenda esse, quæ nostram intelligentiam non fugiant, et quæ abdita et abstrusa sunt, ut omnes mentes superfluant: scilicet notissimum esse illos esse, qui autem, et quales sint, ignotum usque mansurum. Aliquem quidem patere aditum ad cognoscenda, quæ Pater et Filius nobis latere noluerunt, nullum tamen ad ea, quæ decrevere nobis manere occulta; eos proinde vehementer errare, qui ad negatam sibi scientiam aspirant. An Filius existat, si forte rogites, in momento disces; sin tamen qualis ille sit quæris, quid ista demum tibi extundet quæstio? etiamsi videris quem pernoscere desideras, quid tamen ille sit nunquam attinges. Quod si ipsum postquam videris, discutere etiam attentaveris, nec eum vidisse videberis, sique gloriam, quam videre dicis, scrutabilem esse credis, liquet eam a te nunquam fuisse visam.

XIX. Cæterum si istiusmodi arcana perquirere obstinas, pœnas præposteræ curiositatis in regno cœlorum da-

bis, tum quando pius quisque in Christo lætabitur, te autem eundem videndi sitis torquebit. Porro magis credibile est fontes sempiternis flammis submersos inde extractum iri, quam ea, quæ te fatigat, cura liberandum, donec ipse hanc sponte deponas. Attamen si istam disceptandi cupiditatem frenare neglexeris, a regno Dei exclusum te sero dolebis, nec enim pugnæ et contentionis cupidum hominem illud admittit, ne fortes lites serat in sede plenissimæ pacis. Hunc in modum cœleste regnum injuriam sanctæ Ecclesiæ irrogatam vindicabit, illos repellens, qui cum viverent, ejus statum perturbarunt. Nec vero consentaneum est quietis ædem intrare discordiarum satores, cujus imago est vera, in qua vivimus, Ecclesia.

XX. Utinam quemadmodum illud regnum otio utitur jucundissimo; sic sancta Ecclesia simili pace frueretur. Quod si ab illa Beatorum sede exulant disceptatores, unde huc confluxere scrutatores? ac si ab illa curia absunt lites, cur, cedo, forum nostrum litigantibus plenum est? et si in ea Ecclesia quies et pax summa est, in ista quare lis ex lite, et bellum ex bello seritur? Unum Genitum illic Cœlites vident, atque per eum unum Generatorem, qui contendat, quive disputet nemo est, omnes nimirum Patrem et Filium adorant, et laudant. Atqui si Cœlitibus id sufficit, cur ejec-tis et exulibus non sufficiat? ac si spiritus et ignis silent, profecto deridendi sunt limus et cinis, si quid moverint. Tremunt cœlum, cœlique cives, furunt humus, humoque concreti mortales. Illum proinde lauda, qui talia crimina talibus calamitatibus ulciscitur.

XXI. Hostes ecce e longinquo adduxit, qui nos aperto bello aggressi, captivos abducunt, postquam propinqui simulata pace sibi nos fecere servos; barbaris viam munivit, cum viæ duces nobis viam subverterent: sacras ædes cæ-dibus temerarunt hostes, postquam nos ipsi sacra profanis,

vera falsis miscuimus; cum sacerdotes inter se conflagrent, et se invicem impeterent, ethnici extulere caput. Quis autem tantæ molis volumen expediat, ut omnia capiat, quæ de natis inter nos dissensionibus scribenda forent? Hinc porro grave admodum nobis accidit malum, ut fratribus se mutuo odio insectantibus, multos nostrorum ab hostium uno pelli fugarique videamus.

XXII. Cum mitis et misericors Deus miseriis et calamitatibus nostris opem ferret, ab eo ingrati defecimus, idcirco vicinis ludibrio esse cœpimus: scilicet quia cum loqueretur, ab eo fabulam nobis narrari suspicabamur, jam nos fabula sumus, et alienum ludicrum luimus. Artes considera, statim intelliges solertem et præstantem artificem arti suæ decus afferre; negligentem contra pedibusque trahentem, quod exercet opus, passim despiciatum haberi. Enimvero omnium ille Repertor rerum ipsis etiam artibus speciem quamdam ultricis justitiæ immiscuit, adeo ut si quam ab suis artificibus injuriam tulerint, ipsis continuo referant: nec sane alia lege ab eo agendum fuit, in quo tanquam in sua sede consistit justitia? Equidem non miror, si postquam ipsi nostram disciplinam despeximus, simul despectam vulgo fecimus, nosque auctor ejus Deus vicinorum sannis et obtreccionibus objecit: insultant nobis ecce pagani: «Quo abiit, aiunt, illa, quam fidei vestræ arrogatis, divina vis?» Audis-ne quomodo ab externis traducatur potestas, qua nulla in terris major? Nos ejus existimationem gloriamque perdidimus, ex quo arbitrium, quo præditi sumus, inertiae se dedidit, ac tuendæ ornandæque fidei curam abjecit, veritas enim vim suam contraxit continuitque, nosque paganis irridendos propinavit.

XXIII. Erupere sævi scelerum vindices, latrones audacissimi nostros invasere fines; nimirum quia nos disputationum æstu jactati, et ab invicem divulsi, societatem

dissolvimus, illi suas junxere acies, confertoque agmine certatim ad direptiones et prædas procurrerunt. Jam Filii Dei imperium non patimur, ejusque legibus aperte reclamamus, cum ducum illi suorum voluntati refragari non audeant; quia hic jura contempsimus, illic jura suam obtinent vim; quia hic sanctæ ordinationes proculcantur, illic majorum statuta nemo non reveretur. Nimirum illic revixere, quæ hic periire, leges; et quia nos ab invicem dissentimus; illi sibi mirifice consentiunt: secreta Regis consilia inquiri nemo, qualis ille sit, petulanter nemo explorat, quove soleat ignotus hospes divertere; pro quantum ab officio descivimus, qui de generatione supremi rerum Domini disceptare ludum deputamus! Mortalis principis nutus aulici et milites pavescunt, pedibus obteruntur in Ecclesia codices, in quibus suam nobis Deus mandavit voluntatem; nec enim placent iis, qui sua somnia narrant. Nos miseros, qui vitia nostra externis allivimus, nobisque dudum refusa hausimus. Impudentia et contumacia alibi extincta, apud nos flammam extulit. Furta, quæ illic decumbunt, hic in dies convalescunt, atraque ingluvies, quam exteri moderato victu quadam velut tristitia contraxere, hic hilarata triumphat. Languet illic malitia, nos ei vires geminavimus: si autem quomodo valeat veritas rogas, quotusquisque est, qui in veritate stet?

XXIV. Res coram agitur: certe videtis, ut per impios homines nos judicat Deus. Illic colitur sol, nec quisquam rem factam scrutatur. Illic Opificem extenuavimus, dum quilibet ambit adorandum ejus Numen rescire. Illic ignis adoratur, hic Dominus ejus temere investigatur. Ibi aqua honoratur, hic noster baptismus despicitur. Illi inscienter pro Opifice opus colunt: nos prudentes scientesque pecuniam Deo anteferimus, et de hoc nobis plaudimus; vivi viventesque erramus. Atenim quando conscientiam sepem



nos sustulimus, nostræ urbis muros barbari subruerunt; et quoniam mens nostra quietis impatiens æstuat, illi armis omnia turbaverunt. Cor nostrum totis medullis venisque terram inhiat: propterea nos inimici aggestis terræ tumulis obruerunt. Quia charitatem nemo sitiebat, omnes siti conficimur, quia ad aggerandam pecuniam a recta defleximus, civium nostrorum turba in servitutem abducta per campos et montes oberravit; pulvis fuimus, qui triticum esse debueramus, ideo repentinus ac violentus flatus ab Oriente coortus, non dissipavit; quia per omnes partes discursando tempus terebamus, ad omnes mundi plagas disjecti sumus: quia in unicum salutis portum non profugimus, nec munitissimæ arces nos tutos præstare potuerunt: quia cum pace potiremur, vitam duximus inertem, velut jam vitæ lumine cassi, idcirco nobis per obscuros abactis calles, jam oculorum usus nullus erat: quia egenis inedia misere conflictatis victum negavimus, ideo avibus obscænis cadavera nostra præda data fuere. Et quoniam pastores nostri inani ostentatione fastuque pleni summa petebant, humi jacuerunt, et Magorum in terras deportati projectique sunt. Ecclesias nostras nefarii homines incenderunt, quia in ipsis non, ut decebat, oravimus. Altare exciderunt, quia nec, ut par erat, coram illo ministravimus. Sacros Codices lacerarunt, quia eorum præcepta minime servabamus.

XXV. Verumtamen bonus Deus tametsi a nobis derelictus, nos haudquaquam dereliquit, emendare studet, utque plenos officii et religionis habeat, delinquentes castigat. Imminent ecce nobis conjunctis armis variarum gentium acies, mutuam vindicturæ animorum conjunctionem nostris violatam discordiis. Incubnere nobis truculenti duces, tribunalia occuparunt iudices furaces: incidit ab extra bellum, cum intra domesticis seditiõibus conflictaremur; nondum externa sagittariorum agmina nos invaserant,

jamque suos arcus in nos nostri contubernales intenderant, antequam exertis gladiis nos hostes adorirentur, domestici suas adversus nos linguas acuebant : arcibus odiis, velut occultatis fraudulentè arcibus, acutissima tela terquemus, sodalem quisque suum impetit, omnes promiscue se invicem confodiunt. Scilicet hujusmodi calamitates infert vindex pacis, ut istis graviora mala medicetur : arcus intendit, ut odia extinguat, sagittas sub aspectum cadentes vibrat, ut infringat jacula aciem fugientia. Gentem pulchre pexatam adduxit, quæ nos ad exuenda vitia nostra provocaret, utque barbarorum armis pulsati, veritatis arma sumeremus : nudatos gladios opposuit, ut obtrectatorum ora obstrueret : Assyriorum arcus objecit, ut suas libido sagittas contraheret, tum ut externo constricta nervo obtrectandi cupido obmutesceret, et superbus quisque elephantorum horrenda mole aspectuque perterritus, contumaciam comprimeret. Quod reliquum est, demus operam, ut quoniam bella modo occulta, modo aperta nos undique exercent, pœnitentiam et humilitatem amplectamur, nostrisque cordibus inseramus.

## SERMO.

*De iis, qui Filii Dei naturam scrutantur.*

I. Rex cœlestis, immortalis Dominus, Filius unigenitus, dilectus Patris, qui per solam gratiam suam, atque potentiam e terra hominem finxit, pietatis suæ miserationibus victus, propter ipsum hominem, quem immaculatæ ipsius manus formaverant, descendit de cœlis, ut salvaret et curaret omnes male habentes. Cunctos quippe languo-

ribus infecerat callidi inimici versutia; unde el putredo subsecuta est gravis atque incurabilis, adeo ut nec Prophetæ, nec sacerdotes exitiale ipsum vulnus sanare valuerint. Quamobrem sanctus unigenitus Filius, cum cerneret totum humanum genus in malis jacere infirmum, voluntate Patris e cælo descendit, et incarnatus est in sanctæ Virginis utero, atque ex ea genitus, voluntarie processit, ut gratia et miserationibus suis omnes variis infirmitatibus detentos curaret, cunctosque morbos verbo sanaret. Et cum jam omnes a fœtida vulnerum suorum tabe liberasset, ipsi contra agroti post acceptum curationis beneficium, dum Medico gratias pro cura ac sanitate referre deberent, eo usque processerunt, ut incomprehensibilem Medici naturam curiose rimari niterentur.

II. O expavescendum miraculum! o demens stultorum mortalium elatio! Quis talia unquam vidit curata alicujus vulnera, quæ plurimis annis fuerant putrida? ipse autem sanatus, per summam vecordiam, medici substantiam curiose persecrutaris, o infelix? An quia propter te assumpsit formam tuam medicus, ut sanitatem tibi restitueret, idcirco naturam ipsius medici rimari conaris? Audi quæ ego immanitati, et impudentiæ tuæ dicturus sum. Si scrutari velis essentiam medici, nullus curiositati tuæ aditus, nullus exitus patebit. Nam quicumque ejusce investigationis iter ingredi tentaverit, e vestigio via ei omnis occludetur, et ante se nihil, nisi loca deserta et invia conspiciet, nullamque prorsus mansionem aut requiem habentia.

III. Quando igitur in loco deserto ac invio mansionem et requiem non inveneris, quid ages, miser? aut quo, stulte, perges, ubi nulla est mansio, nullusque finis? Pelagus immensum atque infinitum est curiosa Filii unigeniti perscrutatio. Tu vero cum sis gleba pusilla ex pulvere terræ compacta, si in tam vastum hujus investigationis

pelagus te ipsum conjeceris, quo tandem evades, miser? Quis unquam quid tale conspexit, quod modicus ac fragilis pulvis in immensum pelagus descenderit, ad perscrutandam omnem maris profunditatem? aut quis unquam audivit, quod virtutem venti rimandam is aggreditur, qui leni ventorum flatu ubique dispergitur, substantiam atque virtutem non habens vel tenuissimo ventorum flatui resistendi? stipulæ rursus natura vim ignis explorare tentat; est enim ignis comburens, divinæ naturæ pervestigatio.

IV. Cur ego te ipsum, infelix, horrendis flammis comburendum tradis? Dic mihi, o impudens ac temerarie, quomodo in mente tua ipsum effingere ausus sis creaturæ totius Conditorem, atque auctorem infinitum, gloriosum, ac formidabilem; a cujus aspectu, omnis creatura, ut cera a facie ignis, liquescit? creatura, inquam, omnis visibilis et invisibilis, ejus ab aspectu in momento et ictu oculi liquescit ac deficit. Tu autem, vesane ac improbe, magnum, terribilem et inæstimabilem, tua impudentia atque temeritate comprehendisse te arbitraris? Ebrius mihi videris, miser, qui te ipsum, et humilem ac vilem naturam tuam ignoras, et quo quidem pacto ipse, o vilissime, creatus sis, plane te latet. Qui ergo te ipsum nescis, Dominum gloriosum, et terribilem, qua fronte atque audacia scrutari pertentas? Attende, o infelix, Magos illos, qui de longinquis partibus ad adorandum nuper genitum Regem advenerunt<sup>1</sup>; quomodo non illi Regem in purpura jacentem invenerint, atque diademate pellucido caput ejus insignitum; sed infantem in vili præsepio positum repererunt, et continuo, apertis thesauris suis, cum gaudio cordis obtulerunt ei munera. Cerne excellentissimam Magorum fidem. Offendunt in vili præsepio Regem cœlestem, sanctum, nuper pro totius mundi salute natum; reperiunt,

<sup>1</sup> Matth. ii, 7.

inquam, in præsepio; nec tamen ulterius inquirunt. Et quid angusto præsepio vilius? Inter tot porro vilia atque abjecta invenerunt cum Magi, nec tamen geniti naturam scrutabantur. At tu, miser, cum ad dexteram Patris scias Unigenitum cum gloria magna considerare Patri, et cum ipso laudari, adhuc illum temere rimari audes? non vereris, miser? non, stulte, perhorrescis? Qui te ipsum ignoras, Creatorem perscrutaris? Quis non exhorrescat? Deus Dominus unigenitus Patris in cœlis ad dexteram sedet Patris. Angeli, Archangeli, Cherubim et Seraphim cum metu ac tremore ei astant, pressis deorsum cum horrore obtutibus; pulvis autem ac cinis in terra sedens, Opificem scrutari præsumit? Cherubim prope solium consistentia, suam sub alis contegunt faciem, neque tantam illam Domini majestatem intueri sustinent: homo vero luteus, qui seipsum, et mortis suæ tempus nescit, Dominum cunctorum creatorem rimatur?

V. Audi, miser, qui Dominum tuum scrutaris, et admiranda quædam de ipsius Deitate, deque unigenito Dilecto Patris, te enuntiaturum polliceris. Qui gloriosam et incomprehensibilem Deitatem in sua majestate contemplari te affirmas; pauca prius de creaturæ ratione explica, et secundum tuam sapientiam atque intelligentiam, ministrorum expone ordines qui coram Deo astant. Exhibe nobis et exprime, ac in lucem profer naturam Angelorum, figuram Cherubim, Seraphim imaginem propriam, Gabrielis faciem, ignem Michaëlis vere flagrantem. Ministri autem Deitatis et Spiritus cum sint omnes, ignem quo pacto conspiciunt? Lux quippe in circuitu est. Quo item ordine, ac modo spiritum ducit administratorius Spiritus? Flagrantis ignis ubi sunt oculi? Ubi nares ad requiem Spiritus? Quænam illarum sunt staturæ? Erectæ-ne in justæ atque honestæ altitudinis, ac proceritatis speciem;

an globosæ, atquæ rotundæ? Tractabiles-ne sunt, an intractabiles?

VI. Hæc omnia recense, homo temerarie, atque insane; ista expone, quæ nobis sunt ignota; quænam scilicet igneorum spirituum sint alæ, et qui flammantium pedes. Dic, ut illi igneos suos operiant axes sub igneis alis; et quo pacto inter igneas alas, suam velent faciem, non sustinentes intendere aciem in ignem illum immortalem gloriæ Domini. Si ista te superant, homo ignare, atque ingrâte, neque inæstimabilis Domini creaturas eloqui vales; ipsum Creatorem qua temeritate circumscribere conaris? Dices autem miser, rerum magnitudine superatus: « Invisibilis est natura conditionis angelicæ: apud Superos commorantur Deitatis ministri. » Sed dic saltem, vel ipsa visibilia. Ignis sane nobis in usum datus est, atque in ministerium: hunc igitur temere tibi ipsi in os injiciens, carbonem ignitum intrepidus comede, ut auditoribus omnibus, pariterque spectatoribus persuadeas te ipsius quoque Domini opificis summi naturam probe eloqui posse. At si id nequiveris, facesse hinc, temerarie garrule, et te ipsum desse, ac luge: nam fide sancti Conditoris deserta, quæ salvare omnes potest, qui salvari per eam desiderant, in propriam perniciem arma sumpsisti; exacuensque gladium, sponte illum in tuum ipsius cor infixisti; quin et derelicta Patris majestate ac gloria, curiosus summi æternique Opificis scrutator effectus es.

VII. Infelix profecto, ac miser, et impudentissimus est, qui opificem, ac conditorem suum curiose rimari, atque scrutari præsumit. Millia millium, et centies millies millena millia Angelorum, et Archangelorum cum timore atque horrore ipsum glorificant, tremulique adorant, et homines lutei, pleni que peccatis, de Divinitate intrepide disserunt? Non illorum contremiscit corpus, non perhor-

rescit animus; sed loquaciter, ac temerarie de Christo Dei Filio, qui pro me indigno peccatore passus est, verba effutiant; semper enim, ut lux clarissima, resplendet Salvatoris nativitas. Cæterum dic mihi rursus, o infelix: Si voluerit cæcus quispiam, qui nunquam solis radios aspexerit, cum aliquo claris luminibus prædicto, de sole isto, ejusque radiis loqui; contenderitque cæcus ille a nativitate solem ipsum in sublimi cæli regione extra suos radios, sine luce suum cursum peragere, quis fidem verbis cæci istius habere volet? Nonne potius decebat, ut cæcus de lumine audiens, crederet, certa que fide teneret soli semper suos adesse radios, cum hæc præsertim, uti jam diximus, ab iis, qui viderent, ita esse certa, et indubitata ratione probarentur?

VIII. At si cæcus ille cedere iis, quæ dicuntur, recuset, figuram solis secum in corde infinitis cogitationibus effingit, atque describit, cum formam veram insignire nequeat, eo quod splendentem solem cum radiis suis, oculis corporeis nunquam intueri potuerit; et neque his quidem, qui solem inspexissent, fidem præstare velit. Sic quoque nos cuncti, nisi sanctis credere voluerimus Prophetis, et Apostolis, de unigenito Patris Filio loquentibus, quod nimirum homo factus est, natusque ex Virgine de Spiritu sancto, cæco etiam pejores erimus. Sancti quippe illi Prophetæ et Apostoli conspexerunt eum; illi quidem in Spiritu sancto: isti vero etiam visione corporea. Nam alius quidem in Spiritu sancto Filii ad homines adventum prævidit, atque præscivit<sup>1</sup>; alius autem conceptum partumque Virginis expressit, ipsiusque aperte nomen præsignavit, quod est semper nobiscum Deus noster<sup>2</sup>. Alius, cum matris adhuc inclusus esset utero, ipsum ad se venientem agnovit<sup>3</sup>, et

<sup>1</sup> Malach. iii, 1, 2. — <sup>2</sup> Isaï. vii, 14, Matth. 1, 25, et Luc. 1, 31.  
— <sup>3</sup> Ibid. 41.

intra materna viscera magno exultavit eum gaudio. Idemque ipse denuo immaculatum Dominum corporea vidit inspectione, ac ipsum in Jordane flumine baptizavit <sup>1</sup>. Illumque idem rursus intuitus, confidenter exclamavit, ac dixit: « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi per gratiam <sup>2</sup>. » Apostoli quoque corporeis eum oculis conspexerunt, certissimeque nobis tradiderunt, quæ sibi vere explorata erant, quod revera nostrum corpus assumpsisset, multaque signa atque miracula edidisset, præsentibus ejus Discipulis: quomodo item mortem in crucis patibulo subiisset, ac tertia die a mortuis resurrexisset; et deinde ad Patrem suum ascendisset, consessumque ad dexteram ejus accepisset.

IX. Quæ omnia sancti Evangelistæ nobis veraciter, fideliterque in scriptis reliquerunt, ita ut nisi his omnibus firmam fidem habere velimus, oculis profecto fidei inveniamur cæci; et tamen quilibet nostrum, prout libuerit, juxta sapientiam suam ventilare conceptionem, nativitatemque dominicam audeat. Ecce paratam, ac tutam per divinas Litteras habemus viam; venite igitur et fideliter incedamus per illam. Absque enim fide, scire nemo valet ea omnia, quæ de Domino nostro, et Redemptore mundi sunt conscripta.

X. Quare et tu (si me audire velis) indubitanter credas, et ista curiose perscrutari caveas. Audisti, charissime, quia Deus Pater unigenitum Filium ad salutem tuam in mundum misit; firma itaque ac indubitata fide credamus. Nam verax est sanctus Deus. Audisti item quod Unigenitus ipse carnem assumpsit in sanctæ Virginis utero, natusque vere ex ea sit, de Spiritu sancto. Certissimum igitur id tuo in corde habeas, nihilque penitus ex his, quæ de illo quotidie sancta loquuntur Evangelia, in dubitationem vertas; verum

<sup>1</sup> Marc. 1, 9. — <sup>2</sup> Joan. 1, 29.



omnia fide plenissima suscipias, ipsa opera puris fide oculis respiciens. Intuere quoque Dominum oculis cordis tui : eumque tota fide amplectens, quocumque ierit, sequere ; et cum eo loca singula magno cordis affectu perlustra. Gaudeat tua anima, Dominum cernens per suam gratiam morbos omnes curantem, dæmonesque solo verbo ac potestate divina expellentem. Ad nuptias item in Cana Galilææ cum ipso individuus comes ingredi et de vino benedictionis ejus bibe <sup>1</sup>. Imo vero intuere speciem ac pulchritudinem Domini, et nusquam a contemplatione sancti Vultus, atque a suavissimo ejus aspectu aciem deflectas. Præcede illum rursus in locum desertum, et cerne magnalia illius, dum panes in sanctis manibus ipsius ad maximam pascendam turbam multiplicantur <sup>2</sup>.

XI. Perge, mi frater, perge, et toto animi affectu quocumque perrexerit, sequere. Nana si sic illum sequaris, « Non accedet ad te malum, et malignus juxta te haudquaquam appropinquabit <sup>3</sup>. » Sequere quoque illum ad ultimam cœnam, in qua et Discipulis suis sancta tradidit mysteria ; prudenterque considera quo pacto ibi pedes Discipulorum laverit <sup>4</sup>, atque intra temetipsum alta puræ fidei consideratione permotus, ac cum timore admirans dicito : « Deus creator omnium, qui per suam gratiam ex pulvere finxit hominem, ipse sui figmenti, ac plasmatis pedes abluit. » Ista tecum, o frater, perpende glorificans : adora ipsius benignitatem : attende quomodo panem benedixit, ac fregit, in figuram immaculati corporis sui ; calicemque in figuram sanguinis sui, benedixit, deditque Discipulis : et esto tu quoque sacramentorum ejus particeps.

XII. Atque inde descendens, in impii, atque injusti Cai-

<sup>1</sup> Joan. II, 1 et seqq. — <sup>2</sup> Id. VI, 11. — <sup>3</sup> Psal. XC, 7 et 10. —

<sup>4</sup> Joan. XIII, 5.

phæ atrium cum Domino tuo ingrediere <sup>1</sup>; et persiste constanter, ut contumelias, quas ipse pro te passus est, conspicias; perfectusque amator Domini tui inveniaris. Sequere ulterius illum, et ad crucis locum assiste, tanquam servus Domino tuo: intuere quo pacto ex ipsius latere sanguis manavit et aqua <sup>2</sup>, in redemptionem animæ tuæ, frater: ut sedulo quoque attende, ubinam illum de cruce depositum recondunt <sup>3</sup>: primoque mane cum mulieribus ad sepulcrum perge, et assistentes illic Angelos vide <sup>4</sup>. Audi quid Angeli dicant mulieribus: « Surrexit Dominus, sicut » dixit vobis <sup>5</sup>. » Hæc omnia prudenter, perfecte, fideliter, atque indubitanter considera, et cuncta vera esse sicut gesta referuntur, firmissime crede. Nam nisi fidei oculis ista omnia clare perspexeris, non poteris e terra in cælum elevari, Christique passiones spiritualiter contueri. Siquidem fidei oculus cum in corde cujuspiam clare, ac liquide lucis instar effulserit, pure quoque, atque sincere Dei Agnum contemplatur, qui pro nobis occisus, ac immolatus est, donavitque nobis corpus suum sanctum et immaculatum, ut eo vescamur, sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum. Hunc fidei oculum qui possidet, manifeste ac lucide intuetur Dominum, et certa plenissimaque fide sanctissimam Agni immaculati, unigeniti Filii cœlestis Patris corpus manducat, haudquaquam curiose divinam sanctamque fidem perscrutans. Nam fides Dei est, quæ in nobis operatur <sup>6</sup>, et futura prospectat; fidesque semper appellatur, et non curiositas.

XIII. Credis, charissime, unigenito Filio Christo Jesu, quod pro te super terram in carne sit natus. Quid ergo scrutaris? Si enim ista curiose rimaris, non jam fidelis nuncupaberis, sed curiosus. Esto itaque fidelis, atque inno-

<sup>1</sup> Joan. xiv, 15. — <sup>2</sup> Id. xix, 34. — <sup>3</sup> Ibid. 41. — <sup>4</sup> Id. xx, 1 et 12. — <sup>5</sup> Matth, xxviii, 6. — <sup>6</sup> Galat, v, 6.

cens. Participa immaculatum corpus, et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod Agnum ipsum integre comedas. Ignis immortalis sunt mysteria Christi; cave ea temere scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris. Abraham patriarcha cœlestibus Angelis terrenos cibos apposuit. Ingens sane miraculum est cernere Spiritus incorporeos, in terra carniū cibos manducantes. Sed hoc profecto omnem excedit mentem, omnemque sermonem, quod nobis fecit unigenitus Filius Christus Salvator noster. Ignem quippe et Spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum, ac sanguinem.

XIV. Ego sane, fratres, cum Christi sacramenta intellectu meo non percipiam, ad ulteriora progredi non audeo, neque arcana illa sacratissimaque mysteria rursus attingere; neque vero, si de his proterve loqui voluero, Dei sacramenta comprehendere potero: verum impudens, atque temerarius ero, et cum aëre inanibus irritisque conatibus luctans; siquidem aërem ob tenuitatem suam prorsus tenere nequeo. Illa etenim sancta mysteria cunctas ingenii mei vires superant. Potius ergo celebrabo ac glorificabo Deum et Patrem, quod per unigenitum ac dilectum Filium suum, me indignum peccatorem corde simplici in se credentem salvare dignatus est: quippe qui semper illicitas ejusmodi curiositates omnemque præsumptionem Deo displicentem fugi, ac detestatus sum. Mortalis ego sum, et terrenus ex terra, effictusque per gratiam ex humi natura. Agnosco lubens vilitatem conditionis meæ, et Creatorem meum nullatenus scrutari volo. Terribilis est enim et natura prorsus incomprehensibilis. Quare benedicam, et adorabo dominationem ipsius, in sæcula. Amen.

## SERMO.

## ADVERSUS JUDÆOS.

I. Ad panegyrim convenistis, charissimi, præclaris refertam sensibus, Auctori ejus sapientissimo ferte munera plenis manibus, et ore pleno laudes concinite. Ad epulum triumphale venistis, magnanimi bellatores, agite nunc, strenuos imitamini athletas, militiæ vestræ signum prehendite, stringite utraque manu. Ad emporium hodierno die appulistis omnium dives mercium, hinc mysticas comparare licebit opes, in omne ævum mansuras; quare non pigeat spiritu dignam hic facere mercaturam. Freta tranastis, jam portum tenetis, succedite in tutam fidamque stationem, unde securis, omnique metu solutis dabitur insanos pelagi aestus intueri.

II. Eilius Regis nostras invectus oras, nos jubet festos agitare dies, ergo ramos oleæ manibus præferentes adventanti occurrere, hymnos dicite, clamate: « Serva quæso; » et quoniam ad hunc celeberrimum diem festorum ac temporum caput, nostrique computi epocham nos pervenire jussisti, et insuper docuisti in solemnitate præcipuo jure tibi sacra tuas hymnis celebrare laudes, necnon tua tecum beneficia loqui eo die, qui ad instaurandam istorum memoriam statutus fuit. Angelos orare consentaneum est, ut sonantibus tubis, suas nobiscum jungant gratulationes, imo vero omnium gentium populos excitare, ut consenis vocibus suam nobis contestentur lætitiã, festivã de more geminantes acclamationem: « Serva quæso. »

III. Nostrum, quæso, luctum solvat cunctis lætificus

dies : pii tui labores peccata nostra oblitterent. Largire pacem, otium concede, quod præteritarum calamitatum memoriam obruat, naturæ primævum restituat robur, sua quippe vetustate consenuit, quæque nobis obligere bona, rata esse jube, et ordinario cursu fluere. Ecclesiarum tuere decorem; quippe cælestes Spiritus ornas, animas nostras purifica; generis, quæso, nostri propagines tui nominis invocatione revirescant et floreat : non enim te piguit naturæ nostræ cognatum fieri. Expia, precor, animos scelerum conscientia oppressos, nullaque posthac concede maculari culpa, dirutos muros restitue, tuoque adversus oppugnatores præsidio in posterum præsta tutos. Quæcumque nobis bene constituta sunt expolire et ornare ne, quæso, absistas, donec ad primum, quem dedisti, decorem reducas. Te, Domine, Superi Inferique, terra, cælum, resque omnes laudent et magnificent. Quæcumque tuo e nihilo crevere nutu, tuam prædicent magnificentiam, cujusque Numine constitutus ordo rerum perseverat. Gloriæ tuæ serviant flatuum ac ventorum non una ex causa, nec una ex parte mirabilis occursus et concursus. Profecto pulcherrimus iste cælestium orbium concentus de tuis laudibus nunquam conticescet. Gaudeant Superi de tuo descensu; exultent Inferi de tuo adventu, ac utrique bonitatem tuam extollant.

IV. Tuis calcatum pedibus gestiat mare, tuisque dimensum passibus lætetur continens. Animus noster, majestatis tuæ templum, tuam testetur gloriam; tuas mens mea meditetur laudes, et profundo loquatur ore. Gaudeat Prophetarum chorus, pueros audiens tuarum laudum buccinatores, et Apostolorum cœtus exultet circumsonantibus promiscuæ plebis vocibus. Hodiernus dies cælum hilaravit, et omnes Cœlitum ordines incredibili lætitia affecit, quam etiam testati sunt, quando suis singuli argumentis illius

gloriam declararunt, qui majestatem suam ad nostra isthæc infima deducebat : lux eadem superas etiam aquas et inferas, fontes simul et maria ad prædicandas gloriosi et præpotentis nominis tui laudes excitavit, personuitque circum ubique faustum illud : « Serva quæso. »

V. Exultet firmamentum, illumque demiretur, qui nostri non indigens, nostra tamen delectatus consuetudine, cœlum inclinavit, ut terram quæreret. Sed et sol serenato die lætus nunc prodeat radiis septus hilarantibus, sic decet apparere magno illi luminum principi, cujus splendor omnes mundi pervadit ætates, ipsumque lætificat universum. Solis accensa radiis luna exempla sequatur, aliorum etiam luminum fulgore decora, illum et vere summum, sancte verum adoret in sua regia morantem, tum obstupescat, quod ad locum tam humilem, tamque abjectum suam sponte demiserit celsitudinem. Omnia cœli astra suo, quo semper renident decore, Numen summi Opificis deprædicent, qui talem ipsis sœneratur lucem. Exiliat item novo terra cumulatâ gaudio, saliant quasi agni ardua montium juga, sentiant Filii Regis præsentiam, qui terrigenas invisurus ad hæc ima descendit. Lætentur simul maria, quasque cingunt, insulæ, communisque Domini adventu exhilarata triumphant, tum ejus admirentur bonitatem, quæ a cœlesti domicilio eductum, ad sordidam regionem, humanæque naturæ exilium abduxit.

VI. Jam nemora et patulæ arbores sibi mutuo gratulentur frondium honorem, postquam hodie in triumphantium insignia transierunt. Quid? quod nec excludere fas est jumenta et animantes mutas ab ejus dici lætitia, qua vectus asinæ pullo nostras ambit oras ille cœlestium orbium Architectus. Tu vero cum primis adesto civitas David, quippe cui nulla magis fausta dies effulserit unquam; magna scilicet habes inde voluptatis et lætitiae argumenta,

ubi rerum Dominus ad te venire parat; interim cæteris circum civitatibus officiosa recantat echo carnem puerorum, illas modulantium voces : « Benedictus qui venit ! »

VII. At quid inde futurum est? Vineæ Dilecti natali avulsa solo in alienas migrabit terras, illic deserta et inculta, despecta pedibusque proculcata cunctis gentibus fabula fiet : continuo superba illa turris, quæ puerorum hodie vocibus pulsata labare visa est, aliquando tandem vineæ sepe disjecta extirpatisque vitibus et ipsa corruet, urbisque Jerichuntinæ exemplum suo casu geminabit; nam et illa clangore tubarum concussa cecidit. Consentaneum quippe videbatur, ut vites longo senio fractæ exciderentur, et aliæ insererentur novis propagatæ sureulis, ex vite gentium in agro nata resectis. Sic demum cum effectam vineam depascerent agrestes feræ, eaque non uvas, sed quos ferunt labruscæ racemos, produceret, facti indignitate commotus Dominus, degeneres palmites flammis addixit, præcepitque nubibus, ne tempestivis in posterum pluviis illam irrigarent, dum inculta ac deserta ad omnes proventus inepta redderetur. Idcirco non mirum, si divinus Prophetarum suspensus est imber, ac mysticus Videntium ros penitus fuerit sublatus, fons Jacob et Israëlitis rivi exaruerint.

VIII. Geminas Deus virgas sacro delibutas unguento abscidit ex agro Abrahami, periere regnum et sacerdotium Israëlitis. Ille diadematum Dispensator coronam tribui Juda datam abstulit, sustulitque prætorem, virumque verendo spectabilem ore, sapientem simul et consiliarium, Prophetam ac ducem. Tristis in luctu jacet Synagoga, illa feriarum amica, et quoniam festivum Filii Dei diem aspernata est, ejus ipse solemnitates sprevit et abjecit. Continuo defluxit Israëlitarum gloria, et hodie inelyta quondam natio

acerbo pudore suffusa squalet, perque externarum gentium oras vagatur, qualis extorris et exul a fraterna cæde Cai- nus. Posthæc domum Jacob multiplices undique quassarunt machinæ, dum qui ejus extruxerat mœnia Faber, angulorum ejus capita demoliri instituit. Jam inde suum synagoga casum inter gentes plangit, flebile illud resumens carmen : « Adduxit mihi Deus luctum magnum ; dereliquit » me Dominus desertam, et Dominus delevit me ex hære- » ditate sua, reputavit me sibi quasi alienam, et quasi vi- » duam desolatam <sup>1</sup>. »

IX. Interea dum illa suam queritur vicem, nostram ipsi nobis gratulemur sortem. Prophetarum cantibus juvat componere quasi sarta hymnos, carminaque fundere, quasi viridi coma vernantes ramos, et lilia plenis dare manibus. Ad hunc scilicet triumphum nos hodierna lux provocat, et ad carpenda ex Prophetarum hortis poma invitat ; horum quippe gustus animum mirifice oblectat, et recreat. Huc ergo adeste populi omnes, Dominoque triumphanti applaudite ; æquum enim vero est eum a vobis excipi festiva cum acclamatione, qui festa vestra coronat. Hic Jacob vitem et asinæ pullum vobis exhibet <sup>2</sup>, et David infantes et lactentes ad recinendas Domino laudes provocat <sup>3</sup>. Tum Zacharias Hierosolymam ad gaudium et lætitiâ appellat <sup>4</sup>, et Esaiâs Christi Discipulorum adventum, quem prædixerat futurum, præsentem ostendit, dictaque prius repetit : « Ecce super montes pedes evangelizantium justitiâ <sup>5</sup>. » Nemo sane hic non videt triumphalem hujusmodi in urbem Hierosolymam ingressum, cum inusitato occurso acclamantium puerorum, magnum esse argumentum lætitiæ, sed et mysteriorum, et arcanorum sensuum plenum. Agmen ducunt pueri simplices et ingenui, in manibus oliva-

<sup>1</sup> Baruch. iv, 11, 19. — <sup>2</sup> Gen. xlix, 11. — <sup>3</sup> Psal. viii, 5. —

<sup>4</sup> Zach. ix, 9. — <sup>5</sup> Isai. lii, 7.



rum ramos deferentes, divinum illud accinentes Hosanna; latus Magistri Discipulorum pia corona stipat, ornant sanctitas, regnum et sacerdotium; pompam augent Prophetarum imprimis tubæ, quorum nemo hodie sua non recinit de illo vaticinia, dumque Regem salutant, ei regalia munera offerunt odas et hymnos; diversæ proinde resonant voces, dum multas multisque coloribus descriptas ejus imagines referunt.

X. Hic ait: « Ille ipse est, quem prædixi in fine temporum venturum in terras et cum hominibus conversaturum <sup>1</sup>. » Resumit alter: « Et hunc stantem, ait, vidi super scalam <sup>2</sup>. » Excipit alius: « Hic ipse est, qui mihi in rubo in specie ignis apparuit <sup>3</sup>. » Et alius: « Hic est, clamat, quem miraculum nuncupavi, et potentem sæculorum <sup>4</sup>. » Hunc egomet vidi, renuntiat alius, cælo delapsum in montis cacumine condisse <sup>5</sup>; meminique ad ejus conspectum increpuisse tonitrua, coruscasse fulgura, et horrendum quiddam resonuisse tubas. Quousque igitur, subjicit alius, in luctu jacebis, Sion <sup>6</sup>? quin, posito mœrore, Deum tuum laudas? quin citharis cinarisque festiva venienti modularis carmina? Hic Racemum agnosco, regerit alius, quem relictum iri prænuntiabam, finita vineæ isaëliticæ vindemia <sup>7</sup>; talia dicentem assequitur alius, « Et hunc, ait, vaticinabar « Expectationem gentium » fore <sup>8</sup>. Hoc scilicet gramen est <sup>9</sup>, alius prædicat, quod e terra nullo ante gravidata semine oriturum prædixi. Hæc utique est illa virga <sup>10</sup>, alius reponit, quam de radice Jesse egressuram prænuntiabam, et hoc est, addit alius, signum levandum in nationibus <sup>11</sup>. Sed et hunc ipsum, alius narrat, sibi præmonstratum sub specie

<sup>1</sup> Baruch. III, 38. — <sup>2</sup> Gen. XXVIII, 15. — <sup>3</sup> Exod. III, 2. — <sup>4</sup> Isaï. IX, 6. — <sup>5</sup> Ezech. I, 12, et XI, 25. — <sup>6</sup> Soph. III, 14. — <sup>7</sup> Isaï. XXI, 15. — <sup>8</sup> Gen. XII, 10. — <sup>9</sup> Isaï. LIII, 2. — <sup>10</sup> Id. XI, 1. — <sup>11</sup> Id. V, 26.

agni tacentis, ipsum pastore tondente<sup>1</sup>. Dicentem interpel-  
lat alius sciscitans, an illum agnoscat præsentem, cujus  
vultum videre desiderabant gentes<sup>2</sup>? Nunc repeto dicta,  
subdit alius, «Ipse est Dominus, qui descendere mihi visus  
est, et super montium altitudinem ambulare<sup>3</sup>.» Alius admi-  
randa ejus opera retexit; «Ecce, clamat, adest, qui vinctos  
resolvit, et contritos corde sanat<sup>4</sup>.» Alius ejus facta rele-  
gens, ejus percontatur nomen, quove vocabulo nuncupan-  
dus sit quærit, qui ventum pugillo continet, et qui vocetur  
Filius ejus<sup>5</sup>? «Vultum agnosco, ait alius, ipse est, quem ra-  
dici de terra sitiente progerminanti similem fore prædixi<sup>6</sup>;»  
recinit alius, quod ante cecinerat: illius nomen sole anti-  
quius esse<sup>7</sup>. «Puer iste hodie genitus est<sup>8</sup>,» alius renuntiat,  
cui alter, «Imo Antiquus dierum ipse est<sup>9</sup>, estque primoge-  
nitus ante omnem creaturam<sup>10</sup>. Recognosco, ait alius, quem  
olim conspexi alto muro insidentem<sup>11</sup>; ipse est quem An-  
gelum appellavi<sup>12</sup>, visusque mihi est Patris sui nuntia per-  
ferre; Nec ego designabam quempiam ab isto diversum,  
subjicit alius, quando specie sciscitantis illa protuli; «Ve-  
»re-ne Deus habitat cum hominibus<sup>13</sup>?» cui alter respon-  
det: «Etiam hic est ipse Dominus Deus noster<sup>14</sup>.»

XI. Jerosolymam alius jacentem excitat: «Surge, ait,  
»illuminare, quia venit lumen tuum<sup>15</sup>,» cui accinit alter:  
«Exulta, filia Sion, tuba cane, et clama Jerusalem<sup>16</sup>.  
»ORIENTIS<sup>17</sup>» vocabulo quidam illum nominat, alter «STEL-  
»LAM<sup>18</sup>» vocat, aliis alia placuere nomina; «Virgam» pro-  
inde appellarunt, et Israël's «Pastorem, Regem, Ducem,  
»et Consiliarium: Agnum et holocausti victimam<sup>19</sup>; Lapi-

<sup>1</sup> Isaï. LIII, 7. — <sup>2</sup> Id. LXII, 2. — <sup>3</sup> Id. II, 2. — <sup>4</sup> Id. LI, 1. —  
<sup>5</sup> Prov. XXX, 4. — <sup>6</sup> Isaï. LIII, 2. — <sup>7</sup> Id. IX, 6. — <sup>8</sup> Psal. II, 7. —  
<sup>9</sup> Id. LXXI, 17. — <sup>10</sup> Dan. VII, 6. — <sup>11</sup> Eccl. IV, 17. — <sup>12</sup> Amos  
VII, 7. — <sup>13</sup> 2 Paral. VI, 18. — <sup>14</sup> Deut. VI, 4. — <sup>15</sup> Isaï. LX, 1. —  
<sup>16</sup> Id. LIII, 1. — <sup>17</sup> Zach. VI, 12. — <sup>18</sup> Num. XXIV, 17. — <sup>19</sup> Isaï. IX,  
6, XI, 1, et LIII, 7.

» dem sine manibus ex alta rupe abscissum, æquitatis pa-  
 » cisque Principem<sup>1</sup>. » Hunc ipsum alius nube vectum sibi  
 visum fuisse renuntiat<sup>2</sup> : Cherubico alter insidentem cur-  
 rui<sup>3</sup>, et alter in excelso solio sedentem in templo sibi ap-  
 paruisse narrat<sup>4</sup>, ipsumque templum extrema paludamenti  
 ora complementem. Alia alii vates arcanis licet comprehensa  
 notis sapienter prædicant. Testatur alter suis aliquando  
 auribus insonnisse divini Patris vocem : « Venite, descen-  
 » damus Babylonem et habitatorum ejus linguam divide-  
 » mus<sup>5</sup>. » Aures meas, subdit alter, increpuit sæva minantis  
 clamor : « Tibi dicunt Nabuchodonosor<sup>6</sup>. » Ego vero, sub-  
 jicit alius, divinatorum arcanorum olim designatus interpres,  
 jussus fui isthæc Domini ad suum Unigenitum verba ad  
 omnes divulgare : « Faciamus hominem ad imaginem nos-  
 » tram<sup>7</sup>. Alius Filii Dei descensum, symbolo cadentis sine  
 sono pluvie adumbratum sibi fuisse referebat<sup>8</sup>, et Mariam  
 in nitido puroque vellere descriptam. Ejusdem item Filii  
 Dei conceptionem, et nativitatem alius aliis figuris se præ-  
 sagisse dicebat<sup>9</sup> : imo et ejus itinera alius se designasse  
 affirmabat, quando illa dicebat : « Rectas facite semitas Dei  
 » nostri<sup>10</sup>. »

XII. Tales habuit Dominus laudum suarum buccinato-  
 res, cum Jerosolymam intraret, hisque modis Prophetæ  
 celebrarunt ejus ad Sionem adventum, cum velut ex con-  
 dicto pueri, et Discipuli simul illuc convenissent curaturi,  
 ut ejus ingressus pompæ plenus foret, ut illustris, ut splen-  
 didus, haberetque summam speciem ac dignitatem. Ut  
 vero increbuit rumor, pepulitque aures Ecclesiæ gentium,  
 illa statim accurrit, regumque Regem adoravit. Quid in-  
 terea fecerit Synagoga, si rogitas, audi : meretrix ex om-

<sup>1</sup> Dan. xi, 34. — <sup>2</sup> Jer. iv, 15. — <sup>3</sup> Ezech. x, 18. — <sup>4</sup> Isaï. vi, 1.  
 — <sup>5</sup> Gen. xi, 5-11. — <sup>6</sup> Dan. iv, 28. — <sup>7</sup> Gen. 1, 26. — <sup>8</sup> Psal.  
 LXXI, 6. — <sup>9</sup> Isaï. vii, 14. — <sup>10</sup> Id. xl, 3.

nium scelerum colluvione nata, furere cœpit, tantum abfuit, ut Prophetis gaudere et exultare jubentibus obsequeretur. Magnitudinem Altissimi præsentis extimuit, exhorruitque sanctitatem impura, cujus omne tempus ad omnes libidines fuerat divulgatum: vilem corporis assumpti habitum conspicata, contempsit personam: nec recognoscere studuit, vili pallio tectam naturæ ejus gloriam in ejusdem Divinitate reconditam; nec enim vero Davidem attendit, cum occultam ejus publicaret amplitudinem, et hunc, quem illa modo præsentem habebat, « In splendoribus Sanctorum ex utero <sup>1</sup> » substantiæ ingenitæ fuisse genitum asseveraret; eundemque licet nudo in vectum jumento tunc cerneret, ante omne tempus ex Patre fuisse natum penitus arcana et plane singulari nascendi ratione, temporali vero nativitate nobis cognatum et congenerem factum, se omnium oculis obtulisse spectandum: « Juravit Dominus, ait, » et non mentitur (alloquitur autem dilectum Filium suum), » tu es unctus a Spiritu sacerdos secundum ordinem Melchisedech <sup>2</sup>. » Hisce siquidem coloribus veram ejus depinxit imaginem in suis Psalmis David, humanam ejus naturam perspicue designans; de humana quippe natura talia commemorat, quam ille induit factus homo; in hac enim ei sacerdotium decernabatur futuro Pontifici omnium sæculorum, et regalis dignitas nullum penitus habitura finem. « Tu es, inquit, sacerdos in æternum, potestas tua in » sæculum, et regnum tuum in generationem et progeniem <sup>3</sup>. »

XIII. Mira hujusmodi formæ venustate nitentem, quæ ab occulta utique Divinitate manabat, filiæ Jerusalem David repræsentavit augustam hujus Regis majestatem. Cæteri simul instabant Prophetæ, illam ei regerentes parænesim. « Audi, et vide, inclina aurem tuam <sup>4</sup> » tum animum

<sup>1</sup> Psal. cix, 5. — <sup>2</sup> Ibid. 4. — <sup>3</sup> Id. ci, 13. — <sup>4</sup> Id. xlv, 11.

tuum, ut pueros sequaris cantantes : obliviscere tuos, populique tui mores, gentisque tuæ contumaciam exuito, « Et concupiscet Rex decorem tuum <sup>1</sup>, » deque gloria tua nunquam non cogitabit. At illa Prophetarum voces contempsit, et Apostolorum repulit monita, nec puerorum et parvulorum cantibus perfida meretrix commota est. Postquam vero nec beneficio lætata est, nec beneficii Auctorem laudavit, ingratham ille repudiavit ; cum videlicet ipsa se despicabilem fecisset, et criminiosam, confestim capiti amictum abstulit, fronti pudorem, reliqua deinceps ornamenta, vestes et murenulas, annulos et inaures ademit, prostitutæque pudicitie convictam expulit : ecce autem nuda jacet, aperto capite, pessimis ubique despicata modis.

XIV. Quo abiit, narra, si potes, eximia oris species, quæ te juvenem ornabat ? Quomodo illa nuptiarum thalamique pompa evanuit ? siccine repente florentissimus ille rerum status concidit, defluxitque regni majestas, et augusta corrui domus, quam rex Salomon magnificentie opulentieque tuæ testem excitavit ? Quod crimen, aut quæ culpa mulctatur tua, quod sola deserta, undique afflictâ jaces ? Nullus jam tibi sacerdos sacro fungitur ministerio : sublata jam sunt rationale præcipuum illud tui pontificis ornamentum, pretiosa tunica purpureo stringenda baltheo, aureæ torques, byssinæ et coccinæ vestes, auroque nitentia tintinnabula et punica mala sacerdotialis habitus insignia, gemmarum ordines, et pretiosis ex lapidibus globi ? Jam amissa doles mensam auream, eique superimpositos propositionis panes, propitiatoria thura, holocaustorum hostias, arcam et huic inclusas lapideas tabulas, calices, et patinas. Abrogatas ecce videmus tuas solemnitates et festos noviluniorum dies, stasque tuorum sacrorum cæremônias. Tecum omnia communi luctu obruta jam cernis,

<sup>1</sup> Psal, XLIV, 12.

postque ruinam tibi, natisque tuis perpetuos questus esse poscendos.

XV. Scitare, filia Jacob, quodnam fuerit crimen, quod tanto debuit vindicari supplicio? infame scortum, et exhausto pudore meretrix, regem regisque filium graviter offendisti, alterum in deserto, Jerosolymis alterum. Patrem vitulo primum, deinde aliis monstris posthabuisti, Filium etiam latroni et sicario: natique tui spiritum Domini exacerbaverunt exteris commixti gentibus. Scilicet insanæ matris progenies insanire cœpit, simul ac sempiternam Trinitatem sprevit et ejuravit. Deos, quos fecit, amavit, malosque dæmones coluit; fortunæ sana frequentavit; simulacra, quæ finxit, adoravit<sup>1</sup>: honoravit Saturnum, quæ Verbum Patris nec flocci pendit: Chamos inanem Deum amplexa est<sup>2</sup>, quæ probris et contumeliis Filii Dei majestatem violavit. Adonidem<sup>3</sup> in oculis tulit, quæ cœli Dominatorem infra lutum depressit. Veneris simulacrum cum pompa vehabat, cum mundi Conditorem abjecisset. Idolo Baal mactatis hostiis litavit<sup>4</sup>, Christum gens impura negavit et occidit. Noctuas et lemures domi adoravit, quæ postea publice Filium Dei per fora alapis cecidit cœlum terramque suis librantem ponderibus. Quis audivit talia, qualia acta adversus Salvatorem? « Propterea conteram vos, ait » Dominus, et faciam vos in opprobrium magnum<sup>5</sup>. » Sed et illa ex ore Prophetarum Israël audivit. « Ecce Cusæis » similes vos estis, filii, qui transgressi estis legem meam<sup>6</sup>. » Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, populus autem meus non cognovit Deum suum, » et Israël non intellexit<sup>7</sup>. Si populus meus, ait, cognovisset me, et Israël in viis meis ambulasset, adhuc modicum

<sup>1</sup> Isaï. II, 20. — <sup>2</sup> 3 Reg. XI, 17. — <sup>3</sup> Ezech. VIII, 14. — <sup>4</sup> Jer. XXXII, 35. — <sup>5</sup> Id. XIX, 11, et XXIII, 40. — <sup>6</sup> Id. XXIV, 5. — <sup>7</sup> Id. I, 5.

» et adversarii ejus consumpti fuissent, et super inimicos  
 » ejus convertissem manum meam <sup>1</sup>. Tunc locutus est ad eum  
 » in indignatione sua magna, et in ira sua dissipavit eos <sup>2</sup>,  
 » et implevit facies eorum ignominia <sup>3</sup>. Et iratus est contra  
 » Jerusalem, et fecit eam desertam <sup>4</sup>. » Jerosolymam item  
 spectant illa Esaïæ præsentia. « Sicut umbraculum in vinea  
 » et sicut tugurium a custode relictum, dereliquit Dominus  
 » Jerusalem propter iniquitatem ejus. Et nisi Dominus exer-  
 » citum reliquisset semen Synagogæ domus Israël in radice  
 » Jesse mox germinatura, quasi Sodoma essent, et Gomor-  
 » rhæ similes fuissent <sup>5</sup>. »

XVI. Nunc vero populus, qui omnibus actis gestisque suis Dei indignationem huc usque provocare non cessat, ambit petitque restitutionem in pristinum, et quasi pro merito præmium reposit, queriturque hujus solutionem in tempus trahi. Prophetarum scripta volutat, sensa non explicat, jamque velut de eversæ reipublicæ restitutione certus, sibi gratulatur et plaudit : inde ingeminari sibi somniat Jerosolymam fore instaurandam ; idque enimvero vehementer desiderat, causam vero, ob quam illa fuerit eversa, hebræa progenies necdum satis compertam habet ; jactat ejus urbis gloriam mirum in modum amplificandam fore ; quomodo autem id transigendum sit, explicare non potest ; quin et ejusdem famam totum pervasuram orbem sibi persuasit ; cujusnam autem virtute ducis tantum honorem adeptura sit, non explicat. « Salvatam <sup>3</sup> » nominari Jerosolymam prædicat ; a quæ autem ei salus paranda sit, non exprimit, subditque delirans eandem magnum nomen et splendorem habituram ; quis autem, quæ via talem conditurus sit civitatem, reticuit, quia de mente discessit :

<sup>1</sup> Psal. lxxx, 14, 15. — <sup>2</sup> Id. 11, 5. — <sup>3</sup> Id. lxxxii, 16, 17.  
 — <sup>4</sup> Isaï. v, 6. — <sup>5</sup> Id. 1, 8, 9. — <sup>6</sup> Id. xxxv et xxxvii,  
 35, et passim in utroque.

« Incrassatum siquidem est cor ejus <sup>1</sup>, et Israël aggravavit » aures suas <sup>2</sup>, » ne audiat quæcumque scripta sunt. Ecce salutis nostræ Reparatore Jerosolymam intrante, clamat Prophetarum chorus : « Hic est, quem venturum tibi præ-sagiebamus, habes jam præsentem, et cernis; asinæ pullo vectus te petit <sup>3</sup>. Quid cunctaris? Quin festina occurris et illo solemni « Hosanna <sup>4</sup> » salutem exoras, quinve crepantibus tympanis venientem excipis? » Faceret, si saperet, atqui plane desipuit. Ut ergo rumor increbuit, ejusque aures pepulere voces ultro citroque discursantis turbæ, excaudit, puerosque clamantes compescere conata est; sed nec ille clamor puerorum singularis et unus erat; Apostoli namque suas ad eum cantum conjunxerant voces. Sic enim decebat, ut Vetus et Novum Testamentum ad dignitatem Salvatoris sustinendam conspirarent, cum Prophetarum senatum parvuli repræsentarent, et Apostoli per se adessent. Unde simul etiam intelligeremus Christi adventu geminum Prophetarum atque Apostolorum ordinem fuisse perfectum; quin et Auctorem esse utriusque, qui ab utroque laudaretur.

XVII. Quid interim Judæi? non illi modo gemina rejecere Testamenta, sed et Patrem ignominiose tractarunt, necaruntque Filium, nulla causa necis extra invidiam fuit. Israël's populum ad celebrandas ejus hodie laudes invitat Propheta; cogitat ille vitam ei etiam adimere, jamque impotenti furore præceps facinus parat: « Cœli gloriam » ejus enarrant <sup>5</sup>, » Sprevit cœlorum concentum Synagoga Judæorum. Filii Dei humilitatem admirabundus orbis terrarum suspectat, Judæus nec advertit quidem; antiquarum figurarum præ-sagitiones eventus oculis expositus vanas non fuisse revincit; ille negat præteritis præ-dictionibus

<sup>1</sup> Deut. xxxii, 15, Matth. xiii, 15, et Act. xxviii, 27. — <sup>2</sup> Zach. vii, 11. — <sup>3</sup> Marc. x, 2 et seqq. — <sup>4</sup> Ibid. 9, 10. — <sup>5</sup> Psal. xviii, 2.



consequentia facta congruere; quamobrem ea, quæ prævisa fuere futura, jamque ad exitum perducta cernimus, ipse necdum inchoata pejerat; et quanquam manifeste liquet, adumbratas a Prophetis rerum futurarum imagines, Salvatoris nostri adventu perfectas fuisse universas, negat et pernegat Judæus, id esse verum asseverans, nihil hactenus actum novi, sed omnia de Christo a Prophetis præ-sensa ac prævisa, in posterum rejecta latere, suis singula implenda temporibus. Quousque miseri, vos trahet hic error, nec tamen invitos? Prophetarum vaticinia ante oculos sunt, ad trutinam, agite, expendamus singula, inde patebit, utrum sancte et vere prædicta, vera et magna facta consecuta sint.

XVIII. Jacob filio suo Judæ ultimum amplexum, et suprema mandata daturus, sic præfatur: « NON AUFERETUR » a te sceptrum, nec a tua stirpe interpretes, donec veniat » Pastor, cujus est regnum, illum expectabunt gentes <sup>1</sup>, » tanquam prisci erroris expulsorem: « Alligabit ad vitem » pullum suum, et ad palmitem, fili mi, asinam suam <sup>2</sup>. » Agedum Judæe, et quoniam nostræ non acquiescis sententiæ, hunc nobis solve nodum, ac si quidem sustinere potes, manere adhuc posteris Judæ regalia insignia, et apud eos hodie quoque florere divinarum arcanorum Interpretes, et Vates futuri præ-sagos, fatendum utique erit ea, quæ sacris consignata sunt Tabulis, oracula adhuc suspensa manere, nec porro suum hactenus habuisse exitum; sin autem diffiteri non audes, Judæis ablatum fuisse sceptrum, atque apud eos audiri desiisse Prophetas, jam hinc suæ pudeat impudentiæ Judæos, qui nec sua hodie jactare somnia absistunt. Profecto si is, quem credimus salutis humanæ Reparatorem, pullo asinæ vectus non fuit <sup>3</sup>, sicut Zacharias futurum prædixerat nec ab infanti-

<sup>1</sup> Gen. XLIX, 10, et Matth. II, 6.— <sup>2</sup> Gen. XLIX, 12.— <sup>3</sup> Zach. IX, 9.

bus et lactentibus laudatus <sup>1</sup>, juxta Davidis vaticinium, ac si idem a Prophetis comminatum Ephraïmitis regni sui ruinam effectam non dedit, et ne multa, si ea, quæ a Prophetis præsentia atque prædicta fuerunt, ejus adventu impleta non sunt, nemo mortalium, per me licet, credat promissum hunc esse Regem sine fine regnaturum.

XIX. At enimvero si Christus omnia illa ad exitum perduxit, et cuncta universim vaticinia et prædictiones exhausit, erubescere discat Judæus; tum vero maxime postquam Deum audivit illa suis popularibus severe denuntiantem: « Vos non populus meus, et ego non ero vester » Deus <sup>2</sup>. Gentibus populus mutatus est, et longinqui propinquis successerunt. Dispersi te in gentibus <sup>3</sup>, dicit Dominus ad Israël, et sine pretio vendidi te, nec addam » redimere te <sup>4</sup>, quia commixtus es inter gentes, et didicisti » opera earum <sup>5</sup>. Ecce ego ejiciam te, et vocabo gentes, et » in Sion ponam lapidem probatum, lapidem offensionis; » quicumque crediderit in nomine ejus, non confundetur, » dicit Dominus <sup>6</sup>. » Propheta pariter se vidisse ait Dominum stantem super murum adamantinum, in manu habentem lapidem adamantinum <sup>7</sup>, eundemque simul audivisse se sibi talia proloquentem: « Ecce ego ponam adamantem » in medio populi mei Israël <sup>8</sup>, » quibus plane consentiunt illa Davidis: « Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic » factus est in caput ædificii <sup>9</sup>. »

XX. Hic porro, Judæe, observa, et ex collatione textuum disces Jerosolyman a Domino reædificatam jam fuisse, ejusque muros fuisse reffectos, et ejus habitatoribus pacem, et multa bona data fuisse. « Recordatus est Domi-

<sup>1</sup> Psal. viii, 3. — <sup>2</sup> Osæe i, 9, 10. — <sup>3</sup> Jer. ix, 16. — <sup>4</sup> Psal. xliii, 13. — <sup>5</sup> Id. cv, 55. — <sup>6</sup> Isaï. xxviii, 16, et Psal. cxvii, 22. — <sup>7</sup> Amos vii, 7. — <sup>8</sup> Zach. iii, 9. — <sup>9</sup> Psal. cxvii, 22, et i Petr. ii, 7.

» nus misericordiæ suæ, ait Propheta, et in multis misera-  
 » tionibus suscepit Jerusalem <sup>1</sup>. Sicut filium consolatur  
 » mater sua, ut obliviscatur afflictionum suarum; sic con-  
 » solatus est Dominus Jerusalem <sup>2</sup>, dicens: In magna in-  
 » dignatione percussi te, et in miserationibus æternis sus-  
 » cipiam te <sup>3</sup>. Pro opprobrio abjectionis tuæ et ignominia  
 » indignationis tuæ, attollam caput tuum inter gentes, et  
 » magnificabo gloriam tuam, et decus tuam <sup>4</sup>, » sed et in  
 » ea urbe, quam vocaverunt « Infidelem, et plenam abomi-  
 » nationum <sup>5</sup> » effundam sanguinem meum, et auferam ini-  
 » quitates, et peccata ejus. Quoniam orbata es Israël,  
 » « Quem ego projecì a facie mea <sup>6</sup>. Aperiam portas tuas in  
 » lætitia, et ingredientur ad te virtutes gentium, et erunt  
 » in te populus electus <sup>7</sup>. Et regnabit Dominus super Sion,  
 » et venient gentes plurimæ, et laudabunt eum in Jerusa-  
 » lem <sup>8</sup>. Et sicut terra dat fructum suum et sicut hortus  
 » profert germen suum; sic proferet Dominus justitiam  
 » suam coram universis gentibus <sup>9</sup>; et dicent gentes in illa  
 » die: Ecce Deus noster Salvator: ecce Dominus in forti-  
 » tudine veniet et salvabit nos ab angustia. Nomine novo  
 » vocabunt te, quod os Domini imponet tibi <sup>10</sup>. Dixit Sion  
 » amare flens: Dereliquit me Dominus, quia ad iracundiam  
 » provocavi eum, et Deus oblitus est mei, et ejecit me.  
 » Numquid obliviscetur mater, ut non misereatur dilecti  
 » sui? aut non blandietur, nec amplexabitur fructum ama-  
 » bilem, quem peperit? Et si illa oblita fuerit, ego non  
 » obliviscar tui in sæculum <sup>11</sup>. Ecce in vola manus meæ  
 » descripsi excelsos muros tuos Jerusalem. Amodo remissa  
 » est iniquitas tua, humiliata statim exaltaberis <sup>12</sup>. Ecce ego

<sup>1</sup> Isaï. LIV, 8 et 10. — <sup>2</sup> Id. LXVI, 15. — <sup>3</sup> Id. LX, 10. — <sup>4</sup> Ezech. XVI passim. — <sup>5</sup> Isaï. LXI, 3. — <sup>6</sup> Jer. VII, 15. — <sup>7</sup> Isaï. LX, 11, 12. — <sup>8</sup> Id. XLIII, 20, 21. — <sup>9</sup> Id. LXI, 11. — <sup>10</sup> Id. LXII, 2. — <sup>11</sup> Id. XLIX, 14-16. — <sup>12</sup> Id. XL, 2.

» faciam omnes lapides tuos gemmas, et fundamenta tua  
 » electa faciam lapidem zapphirinum, et turres tuas faciam  
 » quasi jaspidem eximium, atque portas tuas faciam ex la-  
 » pide crystallino, et murum excelsum tuum faciam ex  
 » lapidibus electis. Implebo, Jerusalem, interiora tua divi-  
 » tiis, et gazis ac thesauris, chalcedoniis et margaritis, et  
 » vitris et beryllis : et sardio implebo thalamos tuos, et  
 » auro electo ædes tuas. Filii tui omnes, et filiæ tuæ erunt  
 » docti a Deo, et multiplicabitur pax in turribus tuis, et  
 » justitia in plateis tuis : et in conspectu multarum gentium  
 » sanctificabo te, et in te habitabo <sup>1</sup>. Ecce venient populi  
 » in lumine tuo, et gentes in splendore ortus tui <sup>2</sup>. In ho-  
 » norem meum dedi te in populis, et in gloriam meam in  
 » gentibus <sup>3</sup>. Ecce tetendi in te tabernaculum meum, et  
 » fixi in te clavos meos, ampliabo et dilatabo angulos tuos,  
 » et producam in te tentoria mea <sup>4</sup>. Habitabo in te, et  
 » sanctificabor in te, et ero Deus tuus in æternum <sup>5</sup>. Hic  
 » habitabo, quia concupivi eam, et pabulatoribus ejus be-  
 » nedicam. Et producam cornu ipsi David <sup>6</sup>, et salus mea  
 » non auferetur ab ea. »

XXI. Pro eo quod commota est Jerusalem clamore puerorum, Ecclesia congregabit parvulos, et confitebuntur mihi in Hosannis suis; et quia convocavit infantes, ut me laudarent in plateis suis, adducam ad eam fortitudinem gentium, et cantabunt mihi in Hosannis, et clamabit Jerusalem, et filii ejus: « Benedictus, qui venit, et qui venturus est : Hosanna in excelsis <sup>7</sup>, » et imis Filio Altissimi Patris. Benedictus, qui ob nimiam charitatem, qua dilexit nos homines, pro nostra salute ad hæc ima descendit. Benedictus Rex ille ditissimus, qui paupertatem adamavit, ut pauperes

<sup>1</sup> Isaï. LIV, 11-15. — <sup>2</sup> Id. LX, 3. — <sup>3</sup> Id. XLIII, 7. — <sup>4</sup> Id. LIV, 2.  
 — <sup>5</sup> Ezech. XXXVII, 23 et 26. — <sup>6</sup> Psal. CXXXI, 14 et 17. — <sup>7</sup> Matth.  
 XXI, 9, Marc. XI, 10, et Luc. XIX, 38.

locupletaret. Benedictus, qui adventu suo ad exitum perduxit Prophetarum prædictiones, et vaticinia. Benedictus, qui Patris sui donis, et inexhausta munificentia mundum implevit, et exhilaravit. Benedictus, cujus laudes in Hosannis ora cecinere muta. Benedictus, cui parvuli canticum novum modulati sunt. Benedictus Rex novus, cui noviter dato noviter editi novum canticum cantaverunt infantes. Benedictus, cui juncti Discipulis pueri balbutientes symphoniam conflarunt.

XXII. Quisnam interim, Domine, factum non obstupescat, secum reputans locum, ad quem tuus te dimisit amor? Scilicet, quem cherubicus currus in summis cum pavore ac tremore vehit, hujus in imis magnum et sanctum Numen vile jumentum portavit, postquam nostras ille miseratus ærumnas, se nobis sociavit, ut pace facta, nos in sublime proveheret. Quin inde tuam in nos profusam beneficentiam enarret os meum? Id certe reposcit hodiernus dies usquequaque faustissimus; quidni tuas mea laudes moduletur lingua? Hoc etiam congruit diei tuorum in nos beneficiorum amplissimo testi. Quidni etiam gaudeam eo die, quo mundus exultat; sique ramos non præfert manus, lingua pios proferat hymnos; recinat lingua carmen, quod pueri majestatem tuam jumento vectam deducentes cantarunt, et juvet cum parvulis acclamare Filio David Hosanna. Infantes perinde, ac si loquendi facultatum haberent integram, modulati sunt in Hosannis triumphale carmen, quod nemo Prophetarum ante cantaverat. At enimvero cum pueri Filio Dei pleno ore canerent, stupidos tum fuisse senes oportuit, qui visi sunt nec illum animadvertisse præsentem, nec enim laudarunt.

XXIII. Laudent te, Domine, cogitationes meæ, nec tamen, ut pueri rationis usu carentes, sed affectu et gravitate Discipulorum præsentium tuæ munificentiae testium; illud

que mihi impertire gaudium, parvulorum quale replevit corda, et ad illa tibi canenda carmina lætissima concitavit. Ita est, hodie Jerosolymam ingressus est Dominus regum urbem, regalem ipse dissimulans majestatem, humili vectus jumento, afflictum nempe genus nostrum relevare volebat : idcirco etiam Angelorum choros sublime illum sanctum una cum Patre prædicantes dereliquit, nec humi a pueris et infantibus laudari recusavit. Sionem intravit Dominus asinæ pullo vectus ; ingressum præsensit, prædixitque Zacharias, et populum ut venienti occurreret admonuit : « ECCE REX » TUUS, ait, ad te veniet justus, humilis, nudo insidens jumento <sup>1</sup>. » Nec vero ad alium refertur illud puerorum melos : « Hosanna Filio David, benedictus, qui venit, et » qui venturus est, ipsi, et Patri, a quo missus est, laus » tribuatur et gloria <sup>2</sup>. » Cœlitum agmina magnitudinem ejus admirantur et clamant. Benedictus Dominus de loco suo, puerorum chori ramos olivarum præferentes urbem ingredienti præeunt, et Hosanna proclamantes, magnifica illum prædicatione venerantur.

XXIV. O memorabilem diem, in quo omnium Conditor sæculorum prætulit ima summis, et alta Angelorum subsellia vilis jumentum dorso posthabuit ! O admirandam Domini Prophetarum potentiam, qui illorum vaticiniis effectum præstitit, et auctoritatem vindicavit, pueros et simplices Discipulos præsentis humilitatis suæ testes, suarum etiam laudum statuit buccinatores ! Usque adeo parvuli sermonis humani adhuc ignari, Dominum pullo insidentem intuiti continere se nequiverunt, quominus in sinu matrum exultabundi in ejus laudes erumperent.

XXV. Alius tamen Solymitis sensus erat ; populus humani sanguinis sitientissimus Dominum conspicatus eo, quem dixi, habitu et comitatu venientem stomachatus est ;

<sup>1</sup> Zach. ix, 9. — <sup>2</sup> Matth. xxi, 9.

inutilem videlicet credidit regem modestum, nihil excelsum, nihil non submissum præ se ferentem. Tu autem mirare, et lauda rerum Dominum ab omni fastu pompæque remotum, nec recusantem ad minima se submittere, ut sibi potius duxerit jumento vehi omnium vilissimo; Sionis contra vecordiam condemnato, quæ Regis sui voluntariam demissionem derisit, eundemque venientem exclusit: jam et illam vicissim condemnat supremus Cœlitum ordo; fatetur enim se hujus Regis lucem sustinere non posse; nec sibi licuisse oculos aliquando in ejus vultum intendere; etsi nunc pueris, et Discipulis daretur eidem Hosanna solemne modulari carmen. Cherubim agmina Numen ejus contremiscunt, jungique ad ejus currum in lucro deputant. Quid igitur isthuc est, quod pullum asinæ Discipuli Magistro præparant, et ille sibi decorum putat vectura uti adeo vili? Omnem profecto vincit admirationem voluntaria submissio Regis nostri nobiscum conversantis. Quid enim hoc facto magis obstupescendum, quod igneos ille fugiens jugales, oblatum asinæ pullum admiserit, eoque vehi statuerit circum per loca urbis frequentissima; vel quod ille, quem tremunt in supremi Patris regia morantem Angeli, quos ignem urentem Conditor fecit; aures præbuerit infantibus pie canentibus: « Hosanna Filio David. »

XXVI. Israëlitides sœminæ Davidi futuro regi tympanorum cantu applauserunt<sup>1</sup>, quidni ergo Filio David pueri gratularentur, festivum geminantes Hosanna, atque præsens turba vestes Regis regum jumento substerneret? Equos ille recusavit et currus, ac vile jumentum delegit: tanti videlicet intererat, Zachariæ prædictionem impleri, a quo filia Sion ante audierat: « ECCE REX TUUS VENIET » sedens super pullum filium subjugalis<sup>2</sup>. » Lusit ante Dei arcam rex David<sup>3</sup>; figura fuit: rem ipsam præstitere pueri,

<sup>1</sup> 1 Reg. xviii, 6, 7. — <sup>2</sup> Zach. ix, 9. — <sup>3</sup> 2 Reg. vi, 14.

quando Davidis Filio honoris causa præeuntes cum vernantibus olivarum ramis solemne refudere melos. Irrisit Michol Davidem ludentem <sup>1</sup>; cantantes pueros increpuere sine corde senes <sup>2</sup>; turbæ plaudenti suos invidi opposuere clamores; turbare volebant pium populi, ac Discipulorum concentum, atque præconia suppressere publicantium Regis regum adventum in speciem despectum, atque ob vilis jumenti vecturam etiam despiciorem.

XXVII. Interea vero, dum Rex suam ingreditur civitatem, ea cum pompa, quæ ipsum decebat, Synagoga sciscitabatur: « Quis hic, vel cujas? » confertamque videns vulgi multitudinem cum vernantibus palmarum ramis ei occurrere, et plaudere, ea specie et splendore offensa, pueros ad silentium redigere tentabat. Mirum sane, accedente rerum Domino, eamque præferente mansuetudinem, animique submissionem, Sionem aspidem illam mœchorum amicam veternum, quo premebatur, haudquaquam discussisse: magna proinde debetur laus illi, qui gentem superbam reliquit, populis proculcandam subjecit. Quidni ergo a Judæis repulsus populo impuro sanctam Ecclesiam subrogaret? Id certe jure factum declarant præconia, quibuscum hodierno die ab eadem excipitur.

XXVIII. Huc adeste, precor, Prophetæ, quicumque referta habentes pectora, æterno sensu et mente isthæc facta prospexistis futura. Videtis certe Regem ab ea, quam ei instruxistis, via minime deflexisse. Frontem attolle, tu primus David; Nepotem agnoscis præsentem, qualem prænuntiasti futurum? En pueri et lactentes festivis acclamationibus ei plaudunt; audis laudem illam, quam a senioribus populi, ac Pharisæis corruptam, parvuli integram a veræ disciplinæ præceptoribus simpliciter hauserunt? Pueros intuere tuæ sapientiæ alumnos ingenue clamantes: « Hos-

<sup>1</sup> 2 Reg. vi, 16 et 20. — <sup>2</sup> Luc. xix, 39.



» nua Filio David. » Scilicet postquam Judæorum senatus Regi suo meritum triumphum negavit, senum errorem correxere innocentes et simplices parvuli, illumque solemnium cum pompa Hosanna clamantes, deduxerunt. Somno satis usque datum, o fili Jesse, nostra jam jungamus tripudia; tuque, si placet, tuam instrue citharam ad cantum, atque illum sanctæ Ecclesiæ gratissimum modulare carmen: « Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, » ut concupiscat Rex decorem tuum <sup>1</sup>. » (Quia videlicet a filia Hebræorum rejectus fuerat, a filia gentium excipendus fuit.) Quam dulce melos tua mihi fundit lyra! oppido quam jucunde sonant voces citharæ tuæ, quæ simplices etiam pueros docuit, vocem ad hosce modos numerosque moderari! Sionem ingressus David pulsabat citharam, puerisque prosequentibus præcentor factus, sacra præibat carmina: « Benedictus qui venit in nomine Domini <sup>2</sup>, » præcinebat David; succinebant pueri simplices: « Benedictus, » qui venit, et qui venturus est <sup>3</sup>. » Nec te, Zacharia propheta, pigeat cum istis symphoniam componere, quandoquidem dies præsens præterita tua vaticinia vana non fuisse testatur; quod enim prædixeras jam impletum cernimus, Regis nempe Filium vectum filio subjugalis. Sique tibi libet, prodire jube obviam sponso Synagogam suis infamem stupris, sique illa recuset, hortare, ut pueros mittat, qui venienti occurrant, solemne Hosanna cantantes.

XXVIII. « Tu, filia Jerusalem sancta, » non ita, « Quin » exulta et lætare, quoniam ecce Rex tuus venit <sup>4</sup>; » jubila, filia Sion hunc hodie receptura filio subjugalis invectum. Illic ipse certe est, qui equum ex Ephraïm perdidit, et currum ex Israëli, gentibus autem in eum credentibus affert salutem et pacem. Tuque, Jacob optime senex, tuum

<sup>1</sup> Psal. XLIV, 11, 12. — <sup>2</sup> Id. CXVII, 26. — <sup>3</sup> Matth. XXI, 9. —  
— <sup>4</sup> Zach. IX, 9, 10.

simul jungere tantum laudaturus illum, qui tuarum benedictionum arcana effecta dedit. « Ligans ad vitem asellum » suum et ad palmitem filium asinæ suæ<sup>1</sup>. » Sed neque tibi, sancta Christi Ecclesia, hodie cessare licet, quin ergo trepida accurras sponsum exceptura venientem? Quinve pueris ejus laudes cantibus te adjungis, et omnes gentes ad illum laudandum invitas? Id enim vero tui officii est præstare in ea solemnitate, in qua recolis pro adventu Salvatoris nostri, a prisca gentium superstitione te fuisse liberatam.

<sup>1</sup> Gen. XLIX, 11.

---

# INDEX

## TOMI TRIGESIMI SEXTI.

---

### CLASSIS I.

#### SERMONES IN SCRIPTURAM EXEGETICI.

SERMO I. <i>In illud Genesis</i> : Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.	pag. 3
SERMO II. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo qui comedit.	6
SERMO III. Et placuit Henoch Deo, et non apparuit, quia tulit eum Dominus.	16
SERMO IV. <i>In illud Genesis</i> : Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit.	18
SERMO V. Lux orta est justis, et rectis corde latitia.	22
SERMO VI. Pone, Domine, custodem ori meo, et custodem labiis meis.	25
SERMO VII. Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam.	31
SERMO VIII. Cuncta vanitas, et afflictio spiritus.	34
SERMO IX. Tollatur peccator et non videat gloriam Dei.	41
SERMO X. Væ nobis, quia peccavimus.	50
SERMO XI. Surge, vade in Ninivem civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas, et abiit in Ninive juxta verbum Domini.	62
SERMO XII. Hæc cum dixisset, clamavit voce magna : Lazare, veni foras.	99

## CLASSIS II.

## SERMONES DE SE IPSO.

SERMO I. <i>Reprehensio sui ipsius, atque confessio.</i>	111
SERMO II. <i>Reprehensio sui ipsius, atque confessio.</i>	118
SERMO. <i>De fine vitæ suæ sive Testamentum.</i>	155

## CLASSIS III.

DE FIDE CONTRA GENTILES, SCRUTATORES, JUDÆOS  
ET HERETICOS.

SERMO I. <i>Adversus eos, qui dicunt terræ motus a terræ inflatione fieri.</i>	173
SERMO II. <i>Ne decipiamur gentilium erroribus.</i>	175

SERMONES POLEMICI OCTOGINTA SEPTEM ADVERSUS  
SCRUTATORES.

SERMO I.	178	SERMO XIV.	217
II.	180	XV.	218
III.	182	XVI.	220
IV.	184	XVII.	222
V.	188	XVIII.	223
VI.	192	XIX.	225
VII.	197	XX.	227
VIII.	199	XXI.	229
IX.	205	XXII.	231
X.	207	XXIII.	232
XI.	210	XXIV.	235
XII.	215	XXV.	236
XIII.	215	XXVI.	239

INDEX.

493

SERMO XXVII.	243	SERMO LIV.	315
XXVIII.	246	LV.	319
XXIX.	249	LVI.	322
XXX.	251	LVII.	325
XXXI.	253	LVIII.	328
XXXII.	256	LIX.	331
XXXIII.	258	LX.	334
XXXIV.	260	LXI.	337
XXXV.	262	LXII.	340
XXXVI.	265	LXIII.	343
XXXVII.	268	LXIV.	347
XXXVIII.	271	LXV.	349
XXXIX.	273	LXVI.	352
XL.	275	LXVII.	353
XLI.	278	LXVIII.	355
XLII.	280	LXIX.	357
XLIII.	283	LXX.	359
XLIV.	285	LXXI.	360
XLV.	289	LXXII.	362
XLVI.	291	LXXIII.	364
XLVII.	294	LXXIV.	366
XLVIII.	297	LXXV.	368
XLIX.	300	LXXVI.	370
L.	302	LXXVII.	371
LI.	304	LXXVIII.	373
LII.	307	LXXIX.	376
LIII.	312	LXXX.	380

SERMO LXXXI.	<i>Alias I</i>	DE MARGARITA.	382
LXXXII.	<i>Alias II</i>		385
LXXXIII.	<i>Alias III</i>		387
LXXXIV.	<i>Alias IV</i>		389
LXXXV.	<i>Alias V</i>		393
LXXXVI.	<i>Alias VI</i>		394
LXXXVII.	<i>Alias VII.</i>		397

IN IDEM ARGUMENTUM SERMONES TRES.

SERMO I.	401
II.	436
III.	441
SERMO. <i>De iis, qui Filii Dei naturam scrutantur.</i>	458
SERMO. ADVERSUS IUDÆOS.	468

EXPLICIT INDEX.







Vol. 3  
# 9763

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES  
59 QUEEN'S PARK CRESCENT  
TORONTO - 5, CANADA

. 9763 .

